

# CHRONICON INSI- gne Monasterij Hirsaugien- fis, Ordinis S. Benedicti,

P E R

IOANNEM TRITHEMIVM  
ABBATEM SPANHEIMENSEM, VIRVM SVA  
ætate doctiss. conscriptum, ac diu hactenus à multis  
desideratum, nunc uerò primùm in  
lucem editum.

Inter annos 1514  
virescentibus fuit adhibita  
adversus in duo magis p[ar]tes  
volumen exp[er]ditu[m] h[ab]et  
et continet 1<sup>o</sup> 2<sup>o</sup> 3<sup>o</sup> 4<sup>o</sup>  
et 5<sup>o</sup> l[ib]ros v[er]o p[er]ditu[m].  
H[ab]et aut[em] p[er] h[oc] m[an]u[m] p[er]ditu[m]  
p[er]p[et]uum ad annu[m] 1502  
quo p[er]p[et]uum de h[ab]itu p[er]p[et]uum  
volumen h[ab]et p[er] h[oc] p[er]ditu[m]  
p[er]p[et]uum 2<sup>o</sup> p[er]p[et]uum p[er]p[et]uum  
volumen p[er]p[et]uum h[ab]et a h[ab]itu v[er]o  
p[er]p[et]uum p[er]p[et]uum 1<sup>o</sup> 2<sup>o</sup> 3<sup>o</sup> 4<sup>o</sup> 5<sup>o</sup>  
p[er]p[et]uum p[er]p[et]uum p[er]p[et]uum. h[ab]et  
p[er]p[et]uum h[ab]et p[er]p[et]uum  
p[er]p[et]uum h[ab]et h[ab]itu p[er]p[et]uum  
h[ab]et p[er]p[et]uum adhibita. v[er]o  
h[ab]et a h[ab]itu. p[er]p[et]uum 1044 ar  
p[er]p[et]uum p[er]p[et]uum. 1514.  
p[er]p[et]uum ab alio h[ab]itu. v[er]o  
h[ab]et de anno 1526. v[er]o  
7 v[er]o h[ab]itu p[er]p[et]uum  
h[ab]et. lib 3 de p[er]p[et]uum p[er]p[et]uum

*De cuius utilitate, & qua in eo potissimum observanda Le-  
ctori sint, ex Praefatione intelliges.*

Accessit locuples rerum & uerborum in to-  
to Opere memorabilium  
INDEX

Cum gratia & priuilegio ad decennium.

BASILEAE, APUD IA-  
cobum Parcum.



REVERENDO IN CHRISTO PATRI  
AC DOMINO, PETRO LOTICHIO, ABBATE  
TI SOLITARIENSI, GVILIELMVS  
RADENSIS S. D.



ELIQVIAS colligēdas esse, grauius hor-  
tatur CHRISTVS. Id quod nō modò de  
uictu, sed de alijs etiam donis Dei (inter  
quæ ingeniorum labores, & monumen-  
ta præsertim piorum & excellentium ui-  
rorum, nō postremū locum habent) in-  
telligendum est. Sicut enim uictu carere  
non possumus ad hanc corporalē uitam  
sustentandam: ita etiam absq; doctrina-  
rum monumentis in omnium literarum & artium genere actiones,  
quæ maximè in uita humana, in uero cultu Dei, in rerum iudicijs, in  
uirtutum officijs necessarię sunt, rectè institui, dirigi & expediri ne-  
queunt. Estq; barbaries, rerumq; piarum & honestarū ignorantia,  
longè perniciosior tum corpori tum animæ, quàm inopia & extre-  
ma fames.

Piè igitur facere, & laudem non exiguam mereri existimo, qui  
scripta grauium & utilium autorum ex puluere, blattarum cor-  
rosionibus, & ab ipso interitu uindicant, eosque toti Ecclesiæ Dei  
communicant.

Est aut̃ Ioannes Trittenhamius propter insignem eruditionem,  
& uariarum rerum noticiam, celebris author: & optandū sanè esset,  
eius monumenta omnia, quæ quidem scripsit plurima, extare. Na-  
ctus aut̃ sum quorundā amicorū opera & beneuolentiā, quoddam  
eius Chronicon Hirsaugiense, quod hætenus typis quidē euulga-  
tum non est, & à multis bonis uiris desideratū fuit. Eas quasi præcla-  
ras huius uiri reliquias nō tantum mihi colligendas & asseruandas,  
sed rursus proferēdas, ac toti Ecclesiæ proponēdas putauī: ne quasi  
granarium quoddam in fame cōtra omnium desiderium clauderem.

Etsi autem non pauca in hoc Chronico uarios næuos spirāt & pa-  
tefaciunt, qui in Ecclesia Christi extiterunt: tamen eos ipsos cogno-  
scere, & iam cum ueritate patefacti Euāgelij cōferre, nō erit inutile.

Præterea, quod uel in primis consideratione dignum est, Tritten-  
hemius in hoc Chronico satis clarè docet, Antichristū Romanum  
mille & amplius annis non tanta crudelitate ac tyrānide in ipsis mo-  
nachorū delubris omnia occupasse, ac pro arbitrio statuisse & egisse,  
ut nunc, proh dolor, sit. Recitat enim hic autor historico ac conti-  
nuo filo, illorū nomina, qui Scholis monachorū per multa tempora  
præfuerunt, eosq; Scholasticos appellat. Vnde satis liquet, mona-  
steria olim aliud nihil fuisse q̃ Christianas Scholas, ad ætatem iue-

## E P I S T O L A

nilem in omni genere literarū & bonis moribus usq; ad annos maturioris ætatis instituendā: quæ quidē nunc tristissimi carceres facta sunt, in quibus tenelli animi legibus, ui ac uerberib. ad idololatriā, impietatē, superstitiones, contemptū ac blasphemias Dei cogūtur.

Exponit etiam, quæ monachorū studia fuerint: nempe assidua ac feruens Bibliorum sacrorum lectio: cui etiam aliarum liberalium artium studia adiunxerunt. nam Vuindichinū Corbeiensē monachum, qui sub Ottone primo circa annū Domini 950 claruit, Meginradī Scholastici Hirsaugiensis fama celeberrima excitum, eò uenisse scribit, tantumq; ibi uidisse ardorem discendi sacras potissimū literas, imò etiam tot ibi reperisse doctissimos uiros, ut satis nequiverit admirari. ipsumq; præcipuis laudibus celebrarit, scilicet Meginradum Scholasticum esse alterum Hieronymum, & nulli ueterum eruditione inferiorem.

Monachos insuper studia linguarum coluisse, non uno, sed plurimis in locis testatur. Scribit enim, in monasterijs Hebraicè, Græcè, Arabicè & Latinè monachos doctos fuisse: quorū præclara opera ex sequentium ignauia interijisse, inq; eorum loco barbarica scripta remansisse queritur.

Fuisse autem non in uno aliquo monasterio, sed in omnibus sui ordinis, publicas Scholas, prolixè his uerbis testatur: De diuersis quoq; nostri ordinis per Germaniā monasterijs, monachi ad scientiam scripturarū hauriendam Hirsaugiam mittebātur: quia talis eo tempore consuetudo in ordine nostro seruabatur, ut monachi pro pleniori eruditione cōsequenda, si qui uiderētur idonei, ad diuersa monasteria instruēdi mitterentur. In omnibus enim nostri ordinis cœnobijs, in Germania & Gallia maximè, monachorū, scholastici ex monachis habebantur, qui iuniores quosq; & ingenio præstātes in primitiuis literarū scientijs erudirent: & postea qui habiles inuenti fuissent, ad altiora transmitterent. In solis aut famosiorib. cœnobijs, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior, & monachorum numerus maior, constituebantur ad officium docēdi alios, monachi omnium doctissimi, & non solum in diuinis, sed etiam in secularibus literis eruditi: ad quos ex inferiorib. gradus cœnobijs mittebantur monachi altioribus disciplinis instituēdi. Quicumq; uerò inter eos maioris eruditionis famam in ordine acquisierat, etiā plures ad se missos discipulos ad erudiendū monachos habebat. Inter monasteria aut hunc morem studiorū habentia, hoc tēpore præcipua fuerunt: Monasterium Fuldense, S. Galli, Augiense, Hirsfeldense, nostrum Hirsaugiense, S. Albani Moguntinēse, Corbeiensē, Prumiense, Mediolacense, S. Dionysij Parisiense, S. Maximi Treuicēse, Remense, Altisiodorense, Thuronense, Stabulense & Vuissenburgense. in quibus omnibus erant monachi & multi, & ualde studiosi:

è quo.

è quorum collegio, in singulis cœnobijs, unus ceteris in scientia scripturarũ excellentior, scholasticus ponebatur. Hactenus Trittenh.

Quòd si cum istis nostrorũ monachorum mores & studia contuleris, unde nũc tãta barbaries in monasterijs regnet, mirari defines. Nam nunc nemo ferè est (aut saltem paucissimi) qui uel à limine sacras literas in monasterijs, ab Antichristi fermento nõ repurgatis, salutarit, nedum profiteatur. Imò si quis sit qui Bibliorũ lectioni intendat, inq̃ usum trãsferre uel saltem cogitet: hunc statim hæreticum, schismaticum, inobedientem, apostatam, ac Lutheranum proclamant, conuicijs mille proscindũt, uerberibus ac carceribus ad impietatem & ignauiam, seu (ut ipsi uocãt) obedientiam cogunt. Autores bonos exurunt: monachos rudiores compellũt, ut loco sacrorũ Bibliorũ, Dormi securè, Parasitos (Paratos dicere uolui) Discipulos, & alios obscuros sermonistas, qui nihil præter nugas cõtinēt, legãt. Imò adeò illos inscitix non pudet, ut quidã ordines peruersis suis (conuersis dicere oportuit) omniũ librorũ lectionem iam aliquot seculis penitus interdixerint: publicoq̃ decreto fancierint, orationibus Dominicis & AVE MARIA, ut uocant, horas canonicas ab ipsis persoluendas. Et in Italia, Ignorantiæ ordo excogitatus ac confirmatus est: quasi aliàs nõ satis notũ esset, ipsa ruditate eos rudiores esse.

Linguarum & artium liberalium adeò nullam noticiam habent, ut multos reperias qui in monachorum lupanarib. multos egerint annos, ac planè cõsenuerint, & tamen uix Latina scripta legere possint. Nec pudet Epicuri de grege porcos, tenellis monachorũ peccatoribus inculcare, ipsos plus satis doctos esse, si modò sciant preces nõ intellectas murmurare, Missas & alias idololatricas cantiones fortiter boare: atq̃ ita egregiè eorum inscitiam & ignauia, ad quam aliàs natura plusquam satis propensi sunt, cõfirmant. Hinc fit, ut interrogati, Quot sint genera uerborum? respondeãt, tres. ipsi alios de psalterio interrogaturi, dicant, Est Psalterius? Audiui aliquando abbatem quendã, qui sibi ad miraculũ doctus uidebatur (quòd olim Lipsiæ Baccalaureus creatus esset) facetiam quandã recitantem, utq̃ eruditionem suam ostentaret, adñcientē: In uerbis, herbibus (nota elegantia) & lapidibus magna est uirtus. Possent multæ tales historiolæ recitari: sed quid opus est, cum nunc cum impietate eorum ignorantia detecta sit?

Patet etiã ex hoc autore, monachos olim nõ fuisse perpetua Abbatum mancipia, propter impijsimum illud inobedienciæ uotum, ut nunc. Nam in omnibus ferè, ut ita dicam, pagellis hic autor indicat, monachos ex monasterijs exemptos, ad episcopatus, abbatias, & alias dignitates seu prælaturas in alijs locis euectos esse. Id si nunc fiat, bone Deus, quæ imprecationes ac dira contra huiusmodi effrontem apostatam fierent; quæ non persecutiones, uincula ac

carceres huic minitarētur: cum nunc Gnathones illi monastici, qui pueris erudiendis præficiuntur, impudenter & sine fine uociferētur ac clamitent, Votum illud monasticum & Antichristi characterem adeo esse indelebilia, ut si omnes Rheni & Albis aquæ in unum confragum monachum effunderentur, elui tamen non possint.

Romanorum quoque & aliorum pontificum scelera teterrima recitat, præsertim autem Ioannis Papæ, eius nominis 13, qui ab Ottono primo Romam uocato, sacrilegij, incestus ac stuprorum, homicidij, periurij & aliorum nefandissimorum scelerum coram tota Synodo accusatus, depositus est: Leone, huius nominis 8, in locum eius substituto. Hattonem etiam Moguntinum episcopum, ob crudelitatem eius in pauperes nimiam, à muribus consumptum refert.

Insignem autem, memoriæque dignam papisticæ fidelitatis & fastus historiã de Siphrido Coloniensi archiepiscopo recitat: nempe quod post septenniũ suę captiuitatis, multo precio de manu comitis Montensis liberatus, non diu postea arte & industria usus, contra iuramentum fœderis, ipsum Comitem nil tale metuentem cæperit, & duro carceri incluserit & mæcipauerit. Captum Comitem, & in maxima afflictione detentum, omnia se redditurum archiepiscopo, quæ ab eo extorserat, maioraque pro sui liberatione additurum, liberaliter ac sponte promittentem, pontifex non solum non exaudiuit uel dimisit, sed insuper ex magno fastu & arrogantia pontificia tale responsum reddidit: Habet S. Petrus, quo sine tuis rebus promissis suos enutriet famulos: ideoque me uiuente non dimittetis, sed mortem in carcere subibis: discesque, quomodo archiepiscopum debeas tenere captiuum. Sicque Comitem, nulla consolatione ab episcopo, seu potius archilatre Coloniensi accepta, mortuum esse refert.

Quod autem suos monachos aliquando nimium laudat, quantum sæpe etiam satis acriter eorum ignauiam incuset, & alia uitia intrepide taxet: quod Hildebrandum etiam, seu Gregorium, eius nominis 7, Papam nimium commendat, quod sui ordinis monachus fuerit, (quem alij scriptores istius temporis, propter Antichristianam suam religionem, longè alijs ac uerioribus coloribus depingunt) id eius affectibus, & sui temporis tenebris, per omnes ac Deum timentes adscribant & imputent: agantque ipsi gratias Deo, quod nunc ad fastidium penè spiritali manna pascimur, recteque de omnibus ex uerbo Dei iudicare possumus.

Continent hæc Chronica & alias memorabiles historias, mirandas regionum & imperiorum mutationes & uastationes: horrendaque prodigia, quæ ad timorem Dei, ardentemque inuocationem pios omnes excitare debent.

Tuæ uerò R. P. multas ob causas hæc Trittenhamij Chronica dedicare uisum fuit. Primum, propter insignem eius pietatem, liberalitatem  
in pios

in pios ac doctos omnes, eruditionem ac ueram dñiudicationem summorum Christianæ pietatis articulorum, & grauissimarum in Ecclesia controuersiarum, qua eam non solum ab alijs passim commendari audiui, sed etiã ista omnia coràm inspexi & intellexi, quando superiore anno bonæ indolis adolescentem, Christianum Glauburgium, clarissimi L. L. Doctoris Hieronymi Glauburgij filium, & mel Francofurdiã uenientes excepit.

Deinde etiã, quia in eius monasterio talem scholam uidi, quales hic noster Trittenhamius multas olim in monasterijs fuisse indicat: imò etiã magis piã & Christianã, nullis Romani Antichristi astrictam legibus, in qua tenera iuuentus rectè in pietate & bonis moribus educatur & instituitur. Vtinã alijs abbates ex bonis Ecclesię & piorum elemosynis luxuriãtes, illud eius studiũ imitarentur.

Tertiò ac postremò, ut, quia hoc nostrum Chronicon Trittenhamius non ad eam metam, quam in sua Præfatione promittit, perduxit: aut certè reliquo carere cum alijs bonis uiris ac tota Ecclesia inuitus cogor: tua R. P. pro sua summa humanitate mihi auxilio sit, ut quę defunt, aliunde impetrari possint. Item, quia hic autor Spanheimensis monasterij Chronicon edidit, quod simili modo prodesset extare: præterea aliorum bonorum authorum scripta plurima nondum impressa recitat, quorũ multa tuę R. P. uisa non dubito, eiusq; auxilio & consilio euulgari posse confido. His alijsq; rationibus permotus, tuę R. P. meum studium ac officium declarare uolui. Quare ut tua R. paternitas, honesta uoluntate adductum me hæc Chronica sibi dedicasse existimet, meumq; studium boni consular, etiã atq; etiã rogo. Deus æternus pater liberatoris Domini nostri IESU Christi, tuam R. P. seruet ad gloriã sui nominis, & ad salutem Ecclesię quã diutissimè incolumem: eiusq; consilia & negotia fortunet. Ex Magdeburgo, Anno Domini 1559, tertio Martij die: quo exstructum est de integro templum Hierosolymitanum post exilium Babylonicum, & absolutum anno sexto regni Darij, magna celebritate sacrificiorum & lætitiã populi dedicatum, est 1 Esdr. 6. annis 515 ante Christũ natum. Fuerat autem ædificatio à uicinis Samaritanis impedita, à secundo anno Cyri, ad secundum annum Darij sedecim totos annos: quo exemplo Deus, uelut illustri & insigni testimonio, ingentem suam misericordiam erga suam Ecclesiam, & potentiam erga eius hostes declarauit, quòd non uelit eam in tanto

odio diabolorum & furore aduersariorum deleri, sed

usque ad finem mundi magis magisq; propagari.





# CHRONICA


INSIGNIS MONASTE-

RII HIRSAVGIENSIS, ORDINIS

S. BENEDICTI, PER IOANNEM TRITE-

MIUM ABBATEM SPANHE-

MENSEM EDITA.



ISTORIIS conscribendis ueteres incredibilem diligentiam adhibuere, quibus Rempubli-  
cā non secus posse ornari crediderunt, quā armis defendi. Quippe cū historia sit quædam memoriæ conseruatricis, uirtutisq; exemplar, & prudentiæ comes: quæ uel sola famam bonorum uirorum, qui sapientiā, sanctitate ac fortitudine sese præstare cæteris conati sunt, sempiterna quadam celebritate facit immortalē.

*Historie commẽdatio.*

Quis originē mundi, annorumq; supputationem, & illa quæ interea tacta sunt hodie nescientibus innotesceret? quis incarnationem, natiuitatem ex Virgine, doctrinam, miracula, passionem, mortemq; ac resurrectionē Iesu Christi saluatoris nostri æterniq; patris filij non credentibus persuaderet? aut quis passionem martyrum, conuersationes sanctorum, Troianorum excidium, in orbe latum imperiū Romanorum, gesta diuersa regum & principum, cæteraq; uetustatis memoratu digna, quæ nobis innotuere, scriptis ignorantibus panderet, uel etiam narrantibus data possibilitate crederet, si scriptores historiarum ante nos nulli extitissent? Sola igitur historia est, qua fit, ut qui longissimo temporis interuallo disjungimur à ueteribus, & eorum gestis interfuisse, & ipsi uixisse temporibus uideamur. Nempe historia immortalitatem hominibus inter mortales confert, rempublicam exornat conseruatq;, & à multis periculis prudentia ueterum custodit, immunem fidem instruit, erigit spem, præmio æternitatis proposito, robur legibus addit: & cū omnia quæ sensus uel appetit, uel metuit nihil aliud, quoniam somniū persuaserit, immortalitati animæ consulens, ad contemplationem diuinorum auidos reddit.

*Demonstratio exempli.*

*Historia absentes facit esse presentes.*

Quanta uerò nobis utilitas proueniat lectione historiarum, nemo qui uel mediocriter sapit, nescire potest. Cognitio rerum gestarum ueterum si bonæ fuerunt, nos ad imitationem uirtutum, ad sapientiam fortitudinemq; heroum docet & instruit. Si uerò malæ aut perperam factæ, ne imitatores prauorum efficiamur, nos auisando cautos ac prudētes facit. Historia enim mortuorum, uiuum exemplar, mortaliumq; inextinguibile lumen, merita, uirtutes, laudesq; bonorum uirorum ea ratione nobis proponit, ut eorum incitati gloria, fama & immortalitate studeamus esse quod ipsi fuerunt: quatenus tale nos uirtutis & sanctitatis exemplum relinquamus posteris, quale suscepimus ab his, qui nos & tempore & uirtute præcesserunt.

*Historie utilitas.*

*Historia facit immortales.*

Cū autem prauorum impiè facta, probra & merita pœnas legentibus nobis ostendit, non ideo putemus hæc scripta quasi ad imitationem nobis proposita sint: sed potius auisari nos credamus, ne similia patran-

*Prudentia quid efficiat.*

pares incidamus pœnas, quas illi dederunt. Adde, quòd prudentia per experientiam multarum rerum dūtaxat apprehendi à nobis potest, ad quam arte longa, uitaq̄ breui existentī, nulli facilior patet accessus, quàm illi qui ueritatis amore quotquot inuenerit historias transacti tēporis solerti mentis indagatiōe percurrit.

*Blasius Abbas commendatur.*

Quæ cūm ita sint, non uanitatē studio, sed diuino potius afflatum spiritu te crediderim optime Blasii, Hirsaugiēsis monasterij insignis Abba, qui me tot importunis precibus, imò tot magnificis beneficijs hortari non cessas, ut historiam ipsius Cœnobij, cui fauente Deo præsides, ex schedis monumentisq̄ per te mihi oblati, & ex diuersis nostrorum Chronicis, quarum ingens apud nos copia est, conscribere uelim, & ad posteritatis notitiā fratrumq̄ tuorum consolatiōem & tantī cœnobij honorem immortalem, in lucem edere non omittam.

*Difficultas historiæ huius conscribendæ.*

Res magna & admodū difficilis est, mihi crede pater, seriem rerum gestarum cœnobij tui, à septuaginta annis supra sexcentos nimium turpiter neglectarum repetere, & in unum opus continuum, seruata ubiq̄ integritate ueritatis, ordinare.

*Duo sunt præcepta historiæ, ueritas & ornatus.*

Nam inter multa, quæ dantur historiam scribere uolentibus, præcepta, duo sunt potissimum custodienda. Alterum, ut in narratione ubiq̄ ueritas inuiolata permaneat: alterum, ut ipsa narrationis integritas aptissimè proprijs & concinnis uerbis exornata, sua uenustate alliciat intuentes. In primo quidem satis me facturum & posse & uelle, non abnuo: quippe quem & professio ipsa monachica, imò Christiana fides non permittit esse mendacem: sacra attestante scriptura, quæ dicit, Os quod mentitur, occidit animam. & amator ueritatis cūm sim, nulla me necessitas urget ad mentendum. In secundo uerò non me polliceor obedientem futurum, nisi fortè tepida sufficiat uoluntas, quæ mota ratione fraterna, nec satis uelit, nec si cupiat, multum possit. His enim quibus sum scripturus historiam, amatoribus simplicitatis morem gerere, & propter eorum utilitatem uolui, & propter meam rusticitatem, quod omnes iudicabunt, facile potui.

*Tria historiae genera sunt.*

Sunt autem tria historiarū genera. Vnum, quod generale dicitur, cōplectens seriem rerum gestarum, totius orbis seu multarum prouinciarum, regum & principum: quo genere scribendi usi fuerunt Titus Liuius, Orosius, Eusebius Pamphili episcopus, Cornelius Tacitus, Casiodorus, Freculphus Episcopus, Vincentius Beluacensis, Marianus Scotus monachus Fuldensis, Martinus prædicator, Antoninus Archiepiscopus, Helinandus monachus, Rupertus monachus, Hugo Floriacensis monachus, Iohannes de Columna, Iacobus Philippi Bergomensis, Marcus Antonius Sabellicus Venetus, Harmānus Schedel de monte Norico, & alij cōplures. Alterum, speciale, quod unus aut paucorum regnorum, prouinciarum seu gētis res gestas describit: quo genere usus est Iosephus & Egesippus Iudæi, Beda in gestis Anglorum, Gregorius Thuronensis Episcopus, Vuindichinus monachus Corbeiensis Saxo, Regino Prumiensis Abbas, Otto Frisingensis Episcopus, Marcus Antonius Sabellicus præfatus in historia Venetorū, & multi alij, quorum incertus est numerus. Tertium uerò genus historiarum, topicum siue locale dicitur, quod unius ciuitatis familia seu loci narrat historiam. Hoc genere usi sunt Beda monachus, Sigebertus Gemblacensis monachus, Strabus Fuldensis, & complures alij, qui monasteriorum suorum historias conscripserunt. Hoc ipso quoq̄ scribendi genere ultimo pro Hirsaugiensium fratrum amore, historiam texere, nimia eorum charitate

*Quo genere hinc utatur.*

tate

tate impulsus statui. Cui etsi nitorem eloquentiæ adhibere nequeam, ueritatem tamen in omnibus, quantum ad consciëntiam meam pertinet, me polliceor obseruaturũ. Eorum uerò quæ scripturus sum, testes complures adducere possum, ex quorũ historijs transumpta sunt, quorũ ista sunt nomina. Ex annalibus literis & priuilegijs prædicti monasterij Hirsaugiensis nomina & successiones abbatũ, cum eorundem rebus gestis accepi. Item multa ex diuersis autoribus, historijs, legendis sanctorum & epistolis consecutus sum. Auhores autem sunt Vuindichinus monachus in historia Saxonum, & alius qui historiam ipsam compleuit, Regino Prumtensis abbas in historia Metensium, Berno abbas Augiensis in historia Alemanorũ, Theodericus monachus in historia Treuitorum, Golscherus monachus in gestis eorundem, Marianus Scotus monachus Fuldensis in omnimoda historia Germanica, Ottho episcopus Frisingensis in historia sua, Andreas monachus S. Hemerani Ratisponensis in gestis Bauariæ ducum, Henricus de Erphordia in historia memorabilium, Gotfridus Viterbiensis in chronica sua Pantheon. Gotfridus monachus S. Pantaleonis in historia Coloniaensium, Ioannes de Hildens, item Carmelita in chronica sua, Rupertus ordinis Præmonstratensis in omnimoda historia sua, Hugo monachus Floriacensis, Iohannes monachus Castellensis in libro de uiris illustribus nostri ordinis, Eneruinus monachus Segenburgeris in chronica sua, Bernardus monachus Corbeyensis in sua historia Saxonum, & Bertrandus monachus in historia Hirsfeldensium. Multa quoque ex alijs diuersis historijs Bauarorum, Sueuorum, Moguntinensium, Spirensium, & ex gestis comitum Palatinorum Rheni, per quendam monachum Laurissensis cœnobij descriptis, sparsim hinc inde non sine magno labore inserui, quæ mihi ad rationem historiæ pertinere uidebantur. Denique multa per digressum sparsim in Germania facta historiæ nostræ placuit inserere: quo non modo Hirsaugiensibus, uerum etiam quibuscumque ipsam legentibus animi conferat uoluptatẽ. Id ipsum penè omnes ante me fecisse inuenio, qui monasteriorum suorum historiam, abbatumque successiones, aut res gestas literis commendarunt. Erit forsitan tempus, quo hoc opus nostrum, non in unius cœnobij angustia latere queat, sed hominum studio (ne dicam curiositate) tandem extractum in plurimorum manus perueniat examinandum. Vt ergo uacuum nusquam progrediatur, nullique fiat onerosum memorabilioribus illud clausulis rerum in Germania gestarum, exornare moderamine certo uolui. Quatenus & uarietas rerum iucunda sit legentibus, & prolixitas nulli fiat onerosa.

Ex quibus sumat  
quæ dicit.

# FUNDATIO MONASTERII

HIRSAUGIENSIS FACTA PER

Erlafridum Comitem & Nottingum filium eius episcopum

Vercellensem, anno dominicæ in  
carnationis 830.



Cripturus auxiliante Deo historiam insignis monasterij Hirsau-  
giensis, operæ precium arbitratus sum, ab eius prima fundatio-  
ne exordium sumere: & quæ causa mouerit ipsos fundatores, ut  
hanc rem aggredierentur, demonstrare. Erat eo tempore quo Lu-  
douicus primus Romanorum gubernabat imperium, Erlafridus comes  
de Calue, uir diues & potens apud Imperatorem, qui habebat filium Not-  
tingum nomine, uirum in omni doctrina scripturarum eruditum: qui pro-  
pter scientiam literarum ac uitæ honestatem, sub Carolo Magno imperato-  
re, patre Ludouici, episcopatum Vercellensis ecclesiæ fuerat consequu-  
tus. Is postea quàm ecclesiam suam aliquandiu secundum Canonicas san-  
ctiones probè rexisset, dulcem uisendi patriam cupidinem incidit: ad quam,  
ne uacuis remeasse uideretur, cogitare cœpit, quid muneris præcipui se-  
cum adduceret, quo eam faceret clariorem. Impetrauerat sanè non longè  
antea maximis precibus corporis sanctissimi præsulis Redicianorum Au-  
relij Armenij reliquias, iaspide & auro preciosiores, quas ad ecclesiã suam  
Vercellensem deferens, in mauseolo pulcherrimo quod præparauerat, col-  
locauit. Itaq; uisurus patriam dulcesq; genitores, hunc thesaurum in ferre  
Germanis cùm deliberasset, inter spem metumq; fluctuans animo, ne fortè  
illatio hæc aut sancto displiceret Aurelio, aut si à populo Vercellensis eccle-  
siæ perciperetur, à suo cogere tur resiliire proposito, rem omnem diuino con-  
silio terminandam commisit. Vnde tota mente conuersus ad Deum, ac iux-  
ta sepulchrum sancti noctem ducturus in somnem prouolutus in terram,  
ipsum Aurelium diuum Christi amicum ardenti compellabat desiderio  
cum lachrymis, dicens: Sancte pater, Aureli decus meum, unicumq; post  
Deum animæ præsidium meæ, tibi expando desiderium famuli tui, quod  
Deo coniunctus proculdubio nescire non potes: rogo te per diuinum amo-  
rem, qui te mihi uenerabilem, ecclesiæ celebrem, agris medicum, unumq;  
cum Deo sanctum & immortalem effecit, ne me diutius in hoc ambiguo  
fluctuare permittas, sed exaudi me famulum tibi prostratum, & doce me  
ut sciam quid agere debeam secundum Dei tuamq; uoluntatem. Cùmq;  
orans diutius in lachrymis humiq; iacens perseveraret, fatigatus oratione  
protractuq; uigiliarum paulisper obdormiuit. Cui dormienti mox diuus  
Aurelius pontificalibus indutus splendidior sole asstitit, Nottingumq; com-  
pellans ex nomine dixit: Salus tecum frater Nottinge, surge, ne fleueris, ad  
hoc ueni ut pergam tecum in Germaniam, plures ibi Christo adductu-  
rus populos iam corpore mortuus, quàm si adhuc uiuus inter gentes præ-  
dicans miraculis coruscarem. Quò cùm ueneris, ibi monasterium seruo-  
rum Dei constitues, ubi cæcum nobis obuium subito conspexeris illumina-  
tum. Quibus dictis euauit. At uerò Nottingus uenerandus episcopus  
de somno confurgens, latus mox in ipsa nocte sarcophagum clam aper-  
ruit, ipsasq; reliquias sacratissimi præsulis Aurelij in domum episcopi sui  
occulte deportauit, mauseolum diligentissimè reclusum multo tempore  
Vercellenses delusit, hospitem se habere putantes, quem non habebant.

Erlafridus co-  
mes in Calue.

Nottingus epi-  
scopus Vercellis  
filius eius.

Aurelius Vercel-  
las transfertur  
à Mediolano.

Propositum Not-  
tingi episcopi.

Oratio Nottingi  
ad S. Aurelium.

Aurelius appa-  
ruit Nottingo.

Vercellenses de-  
lusi sunt.

At uerò Nottungus episcopus, paratis omnibus quæ ad rationem itineris pertinere uidebantur, ex familiaribus suis fidiiores quosdam in comites tantæ peregrinationis assumpsit, imponensq; iumento sarcinulam sacras Aurelij reliquias continentem, itineris duce optimo comitatus propositam uiam ingreditur.

*Nottungus in Germaniam proficiscitur.*

Quumq; Germaniam feliciter ingressus, post aliquot dies patriam intraret suam, magna suorum lætitiâ exceptus est: & quantum inferret regioni thesaurum, absens scriptis, præfens uerbis & operis exhibitione, patri cæterisq; omnibus terræ incolis demonstrauit. Verum quum non esset in promptu locus munere benedictionis consecratus, tanto hospite dignus, nolentesq; tam uenerabiles reliquias ultra triduum commorari inter homines peccatores, communi deliberare consilio cœperunt, ubi habitaculum Christi confessori pararent. Erat eo tempore non procul à castello comitis Erlafridi capella in honorem S. Nazarij consecrata, quæ nomen monti, in qua sita fuerat, indidit usq; in præsentem diem. Placuit itaq; omnibus, qui consilio intererant, corpus sancti patris Aurelij in eam reponere, donec de conuenientiori loco prouideretur. Postera die mane consurgentes Nottungus episcopus cum familiaribus suis & Erlafridus pater cum altero filio fratre pontificis Ermefrido, coniunctis quàm plurimis ex nobilioribus & plebeis, quos comes ob honorem tantorum hospitem fecerat esse præsentem, dispositisq; necessarijs pro reuerentiâ sancti, corpus sacrum per decliuum montis circumgyrando ad præfatam diuî Nazarij capellam ferre cœperunt. Venientes autem in eum locum, ubi hodie monasterium sancti Aurelij constructum est, ecce cæcus quidam in medio turbæ sacris reliquijs obuius, clamare cœpit uoce magna dicens, Illumina me sanctissime me cultor Dei Aureli, precibus tuis, quemadmodum pollicitus es. Ad quem Episcopus dixit: Vbi sanctus Aurelius promisit se te illuminaturus? Qui ait, Domine hac nocte dormienti mihi, in angustia mentis meæ sanctus iste apparuit dicens, Cras in nomine Iesu Christi illuminaberis. Et dixit: Domine, quis es tu? Ego sum (inquit) Aurelius episcopus, nouus hospes in Germania, quem filius domini tui comitis Erlafridi pridem adduxit. His dictis iterum clamauit: Sancte Aureli, adiuua me, ut uideam te. Statimq; aperti sunt oculi eius, & uidit perfectè. Omnes autem qui aderant, uiso tam insolito miraculo magnificabant Deum dicentes: Laus tibi domine Iesu Christe, fili Dei uiui. Dixitq; unusquisq; ad coherentem lateri suo: O quàm magnus est iste sanctus, qui etiam cæcos illuminare potest. Nottungus uerò episcopus dixit Erlafrido patri: Hunc pater locum sanctus Aurelius in mansionem elegit: concitatoq; gradu montem ascendentes, pontifex immolato redemptionis nostræ sacrificio, reliquias sacras ad locum præparatum reposuit. Deinde post dies paucos Nottungus episcopus exposuit Erlafrido patri & Ermefrido fratri uotum, quod dudum sancto Aurelio hortante in somnis mente conceperat, monens, orans & obtestans eos, quatenus ob amorem omnipotentis Dei, in honore beati Petri principis Apostolorum & sancti Aurelij episcopi monasterium seruorum Dei construerent, in eo loco, ubi cæcus fuerat illuminatus, promisitq; se pro uiribus suis huic negotio non defuturum. Et facillè quidem persuasit, non modò suis exhortationibus, sed uel maximè consideratione miraculi quod uiderunt. Erat enim pater alioquin deuotus, timens Deum, & ministrans pauperibus, qui iam dudum terrenis cœlestia præposuerat: & ob id nihil hæsitans, se cuncta facturum unà cum Ermefrido filio, sine mora episcopo promisit. Igitur Nottungo pontifice ad ecclesiam suam Ver-

*Capella S. Nazarij martyris.*

*Nottungus episcopus Verceil. Erlafridus. Ermefridus frater episcopi.*

*Cæcus obuius illuminatur in præsentia populi.*

*Aurelius apparuit cæco.*

*Reliquie in capellam ponuntur.*

*Nottungus Vercellas reuertitur.*

*Hirsaugia fundari cepit.*

lensem post duos menses reuerso. Erlafridus comes promissionis non immemor suæ, monasteriũ sancto Aurelio in loco premissõ edificare cœpit: & eodem anno, quo sacratissima eius pignora per filium fuerunt allata, inchoauit: qui fuit ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi octingentesimus tricesimus annus, Ludouici imperatoris primi septimus, à transitu sanctissimi patris nostri ducentessimus atq; tricesimus primus, quod celeri perfectione in septem annis feliciter consummauit. Copiam siquidem tam lapidum quàm lignorum ingentem terra illa profert, ita ut non sit opus illa aliunde quemadmodum nobiscum adduci. Interea dum hæc agerentur

*Munera Nottin-  
gi transmissa.*

*Aureas cruces,  
calices, libros &  
ornamenta.*

Nottingus reuerendus antistes, ut tam sancti operis se faceret participem, magnum pondus auri argentiq; misit ad patrem, quo non solum in cœpti operis iuuaretur intentio, uerum & monachis inibi coadiuuandis de uitæ necessarijs ad seruiendum Deo liberius prouideretur. Misit etiam cruces aureas argenteasq; & calices in ministerium diuini cultus, libros quoque & diuersa ornamenta ad decorem domus Domini, quæ omnia ad hæc nouerat esse necessaria, Erlafridus autem cœpto perstabat in opere, necessarium iudicans consummationis gratia festinare, ne si (quod non uidebatur impossibile) ipse præuentus morte decederet, opus imperfectum aut tardius perficeretur, aut intermitteretur penitus. Nã & si Ermefridus filius cooperator patri in hoc opere sancto extitit, non tamen propter iuuenilem ætatem tantus amoris diuini zelus in ipso ardere uidebatur, quantum tale negocium requiebat. Anno igitur septimo post quàm cœptum est monasterium Hirsaugiense construi, perfectum est, qui fuerat à natiuitate Domini 837. indictione 15. per indefessam Erlafridi comitis diligentiam, qui nullis parcebat impensis, ut hoc perficeret quod mente conceperat. Erat autem ecclesia satis pulchra more antiquorum sine columnarum sustentatione fabricata, ampla, & superius ligneo tabulatu cooperta, quatuor altaribus intus ornata. Porro dispositio claustrum imitatione ueterum, ampla quidem, sed simplicioris structuræ fuerat, ligneo tabulatu nihilominus desuper cooperta, & talis quæ non ad fastum, sed ad deuotionem monasticam satis uidebatur idonea. Cætera monachorum habitacula, per gyrum claustrum disposita, quantum ad consuetudinem istius temporis attinebat, satis pulchra & ordinata fuerunt: quanquam si nostri monachi hodie similibus includerentur cellulis, se mancipatos uinculis & tenebris clamarent. Huius rationem dabimus. Veteres olim monachi cellas quidem, ecclesias & alias mansiones humiles habebant & tenebrosas, sed eorum corda erant lucida ualde in amore Dei omnipotentis, & in scientia diuinarum scripturarum. Nostri autem ecclesias, cellas, domosq; & omnes mansiones iam lucidissimas fabricant, sed corda eorum tunc & desidia plena, tenebrosa sunt: quoniam nec Deum sicut debuerant, diligunt, nec lectionibus scripturarum animum intendunt. Ita quoq; quum calices olim essent cuprei, sacerdotes aurei fuerunt: hodie autem calices sunt aurei, & cuprei sacerdotes. Hoc uero monasterium ab Erlafrido constructum in eo loco fuerat, ubi & cæcum illuminatum diximus, & ipse propter uenationes suas domum saltus habebat. Quod tamen post annos ferme ducentos triginta, quatuor (ut in sequentibus suo loco loco dicemus) ab Adelberto

comite dirutum, & in eam formam qua hodie cernitur, extitit reformatum. Prioris enim monasterij hodie nullum penitus manet uestigium, quamuis utriusque locus sit unus.

Quando

QUANDO ET VNDE PRIMI MONACH  
 i ad Hirsaugiam fuerint introduci, & quis primus eorum  
 abbas fuerit constitutus.

POSTquam Erlafridus nobilissimus comes consummato tam insigni opere, propositum suum ad effectum, non sine maximis impensis perduxerat, moræ impatiens, quippe qui nihil plus se optare diceret quam illum uiuere diem, in quo choros monachorum in suo prædiolo collaudantes Deum cernere potuisset. Cœpit anxia mente reuoluere, unde in nouum cœnobium à se gloriose fundatum, ueteris conuersationis monachos, ad regulam sanctissimi patris Benedicti religiose institutos posset acquirere, qui & ipsi essent in conuersando sanctissimi, & idonei in idem propositum, uenturos etiam alios informare. Viguit eo tempore in monasterio Fuldensi maxima religio monachorum sub regimine Rabani Mauri abbatis, quæ se per totam Europam fama præuolante diffuderat in ora omnium, eratque laus & memoria Fuldensium monachorum apud Imperatores, Reges & Principes in magno precio, non solum propter sanctitatem uitæ, sed etiam propter incomparabilem scientiam scripturarum, qua Fuldenses monachi eo tempore præ cæteris multis dicebantur eruditi. Vnde multi ex eis, in diuersis ecclesiis ad apicem pontificatus fuerunt assumpti. Ad hunc igitur Rabanum abbatem Fuldensem Erlafridus habito sociorum consilio legatos misit, mandatis Otgarî Moguntinensis eo tempore archiepiscopi adiunctis, postulans sibi concedi quindecim monachos & abbatem, monasterio suo quod ædificauerat inferendos: promisitque se facturum omnia, quæcunque illorum iudicio ad monasticæ institutionis utilitatem oportuna uiderentur. Erant eo tempore in cœnobio Fuldensi ducenti & septuaginta monachi uiri religiosi, & pro magna parte in sacris Scripturis doctissimi. Hos ergo Rabanus audito nuncio Comitû, conuocans in unum, mandatum Otgarî archiepiscopi, ac preces Erlafridi coram eis exposuit: & quid sentirent ipsi in hoc negotio secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti requisit. Qui unanimi assensu concluderunt, tam sanctum Comitû desiderium non esse spernendum, quod & placitum nullus ambigeret omnipotenti Deo, & in salutem multorum speraretur esse futurum. Elegerunt ergo ad hanc prouinciã subeundam quindecim fratres, quibus præfecerunt abbatem Lindbertum uenerabilem senem, qui fuerat frater Brunonis abbatis Hirsfeldensis, uir nobilis secundum seculum, sed multo nobilior secundum Deum. Anno igitur Domini 838, indictione prima, Lindbertus abbas cum quindecim monachis uenit in Hirsaugiam, missus per Rabanum Fuldensem abbatem. Comes uerò deuotissimus Erlafridus abbatem ipsum & monachos sibi destinatos cum ingenti exultatione suscipiens, ad nouum monasterium lætabundus introduxit, eisque de uitæ necessarijs copiose præuidit, & omnia quæ in mente disposuerat, cum eorû consilio deinceps pertractabat. Eo tempore corpus sancti Aurelij adhuc seruabatur in capella beati Nazarij martyris, ecclesia monasterij nondum consecrata. Igitur post paucos menses, ut omnia desideratum consequerentur effectum, comes Erlafridus ad curiam imperialem apud Francfordiam cum alijs principibus multis euocatus, terminatisque causis imperij, pro quibus conuocatio principum indicta fuerat, Otgarium Moguntinensis ecclesiæ archiepiscopum, qui tum præsens aderat cum multis alijs episcopis, ad consecrandum nouum monasterium rogauit, inuitauit & obtinuit. Quemadmodum uerò ista consecratio facta sit, consequenter est dicendum.

Religio monachorum magna Fulda uiguit. Rabanus Maurus abbas.

Erlafridus nuncios mittit ad Fuldam.

Monachi Fuldenses.

Consultatio monachorum Fuldensium.

Lindbertus abbas cum monachis mittitur. Fratres ueniunt in Hirsaugiam.

Corpus S. Aurelij.

Conuentus principum apud Francfordiam.

Q V A N D O, P E R Q V E M, E T Q V I  
 bus presentibus, facta sit dedicatio & consecra-  
 tio monasterij Hirsaugien-  
 sis primi.

Conuentus prin-  
 cipum in Spira.

Ecclesia mon-  
 asterium Hirsau-  
 gien-  
 deducantur.

Episcopi qui  
 presentes fue-  
 runt.

Abbatē & du-  
 ces presentes.

Corpus S. aure-  
 lij in monasteriū  
 transferitur.

Corpus S. Aure-  
 lij absconditur.

Lintbertus fit ab-  
 bas in Hirsau-  
 gia.

Cum eo tempore inter Ludouicum Imperatorem & filios eius gra-  
 uis propter imperium ageretur dissensio, contigit eam conuocatio-  
 nem principum, ad quam Erlafridum uocatum diximus à Franckfor-  
 dia, transferri ad ciuitatem Nemetensem, quam Spiram usitato uocabu-  
 lo nuncupamus: quæ quum non procul ab Hirsaugia distet, quatenus  
 cum maiore solennitate nouiter fundati cœnobij dedicatio fieret, cau-  
 sam & oportunitatem comiti Christianissimo dedit. Conuenerant enim  
 multi episcopi, abbates & principes, ad Imperialem synodum conuoca-  
 ti, è quibus complures inuitante Erlafrido comite, dedicationis officio in-  
 terfuerunt. Anno igitur Domini 838. indictione prima, mense uero Se-  
 ptembri, Otgarius reuerendissimus Moguntinensis ecclesiæ episcopus,  
 Erlafrido Comite & eius filio Ermefrido postulantibus, monasterium  
 Hirsaugiense consecrauit sub honore principis Apostolorum Petri & fan-  
 cti Aurelij episcopi, in præsentia multorum principum, episcoporum &  
 Abbatum, qui curiam Imperatoris eo tempore sequebantur. Aderat ibi  
 præfens Hildeboldus archiepiscopus Coloniensis, Vuillencus episcopus  
 Bremensis in Saxonia, Ebo episcopus Hildeshemensis, Thiagrius epi-  
 scopus Haluerstatensis, Rabanus Maurus abbas Fuldensis, Benno ab-  
 bas Hirsfeldensis frater Lindberti abbatis huius primi Hirsaugiensis, Hil-  
 deuinus abbas sancti Dionysij sacri palatii archicapellanus, Henricus dux,  
 Bernhardus dux, Bruno dux, Ludolphus filius eius, Erlafridus comes fun-  
 dator monasterij, Ermefridus filius eius, Ortrungus comes, Adelhardus  
 comes, & alij complures, quorum nomina cum præscriptis in libro gesto-  
 rum Otgarij episcopi non sunt imposita, seu forsitan ex incuria scripro-  
 rum omissa. Cōsecratione autē Ecclesiæ solenniter (ut moris erat) peracta,  
 Otgarius archiepiscopus unā cū ceteris episcopis, abbatibus & principibus  
 corpus sanctissimi præsulis Aurelij de capella sancti Nazarij, cū magna de-  
 uotione allatum, summo altari honorificè inclusit, per cuius meritum  
 multa miracula fiebant. Sed cū post annos quinquagintatres sub Arnol-  
 do Imperatore Nortmanni deuastarent Vuormatiam, abbas Hardradus  
 metuens, ne tam sanctæ reliquiæ quauis fraude aut uolentia in manus de-  
 uenirent exterorum, accedente ad hoc fratrum consilio, testudinem fecit  
 in ecclesia subterraneam, in qua corpus preciosi Christi confessoris Au-  
 relij in sarcophago lapideo reposuit, cum inscriptione nominis & digni-  
 tatis, ipsamq; cameram ita rursus cooperuit humo, ut nemo deinceps po-  
 tuerit suspicari aliquid ibi esse occultum. Mansit autem hic tantus reli-  
 quiarum thesaurus ita sub terra reconditus per annos fermè centum &  
 septuaginta, usq; ad tempora comitis Adelberti, qui sub Henrico Impe-  
 ratore quarto renouauit Hirsaugiam: ita ut penè in obliuionem ductus, so-  
 la fama à proauis delata in nepotes, corpus sancti Aurelij quiescere in mo-  
 nasterio Hirsaugiensi prædicauerit. Et de hoc latius suo loco dicemus. Sa-  
 cratissimo itaq; Aurelij corpore per Otgarium archiepiscopum summo  
 altari, ut præmisimus, cum maxima reuerentia incluso, Lintbertus bacu-  
 lum pastoralis curæ, comite Erlafrido & monachis petentibus, ab eodem  
 Archiepiscopo in conspectu omnium suscepit. Deinde, accedens ad  
 altare Comes Erlafridus cum filio, coram omnibus qui aderant, tradidit  
 omnipotenti Deo, eiusq; sanctis Petro Apostolo & Aurelio pon-  
 tifici



ifici monasterium ipsum quod construxerat, cum uiculis syluis, pascuis, aquis, aquarumq; decursibus, agrisq; & pratis circumadiacentibus, & omnibus uiribus & prouentibus, quos illi assignauerat secundum tenorem eulogij, quod super altare posuerat, secundum consuetudinem Ecclesie catholice, in quo preter generalem donationem totius nemoris, terrae ac uiculorum in circuitu, etiam ista specialiter continebantur expressa. Ecclesia in Stamheim cum magna parte eiusdem uillae, cum uiculis ad eam pertinentibus, Ecclesia quoq; in Deckenpfrum cum omnibus quae ibidem habuit. Dedit & in Giltein duodecim hubas. In Meuchingen duodecim hubas & ecclesiam. In Muechlingen praedium bonum. In Toffingen ecclesiam. Et haec sunt nomina uillarum eulogio inserta, quae sancto Aurelio eadem hora tradidit: Lutzehart, Altburg, Luzenhart, Ebersbuel, Kallenbach, Kugelbach, Nagalthart, Ottenbrumen, Hugessteten, Gumprechst, Vuilar, Altiburan uillam dimidiam, & alia multa praedia & bona, quae in libro donationum fuerunt exarata. Hanc donationem solenniter factam, Otgarius Archiepiscopus praefatus, uice Apostolici domini Gregorij papae quarti, & pijsissimi Imperatoris Ludouici primi, banno perpetuae stabilitatis communiuit, ipsumq; monasterium cum omnibus deuotionibus factis, & in futurum rite faciendis, tradidit in manus praefati Lintberti abbatis, & successorum eius canonicè secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti constituendorum, in perpetuum possidendum. Ea uidelicet conditione, quod uita monastica iuxta normam praefati patris runctis diebus in eo uigorosa permaneat: & quoties monachos orbari spiritali pastore contigerit, alium uel ex se, uel ex alio eiusdem ordinis monasterio idoneum, sine contradictione alicuius, in locum defuncti patris, eligendi liberam habeant potestatem. Constituit autem praefatus archiepiscopus aduocatum Hirsaugiensis monasterij ipsum comitem Erlafridum, sub ea uidelicet conditione, ut mortuo patre, filius in aduocatione non succedat, nisi fuerit ad eam per abbatem & monachos, qui pro tempore fuerint, libera & spontanea eorum uoluntate assumptus. Verebatur enim deuotissimus comes, ne monasterium post mortem suam per filium siue nepotes iniuriam aut uiolentiam aliquam pateretur (quod hodie apud multos fieri cernimus) si aduocatia haereditario iure deuolueretur ad posteros. Idcirco statuit, in abbatis uoluntate pendere suo monasterio quem uoluerit idoneum habere aduocatum. Et haec libertas, multis per successum temporis confirmata priuilegijs, tam Apostolicis quam imperialibus, usq; in praesentem diem, in Hirsaugiensi coenobio inuiolata perseuerat. Eodem quoq; anno haec dotatio & priuilegiata traditio facta per comitem Erlafridum, ab Imperatore Ludouico pijsissimo confirmata est. Peractis enim omnibus, quae ad solenne dedicationis officium pertinebant, singulisq; ad sua reuersus, comes Erlafridus Lintberto abbate secum assumpto, una cum Otgario uenerabili archiepiscopo & quibusdam alijs, ad Imperatorem Ludouicum in ciuitate Nemetensi, cum filijs, eo tempore (sicut diximus) curiam tenentem properauit, & lecto coram eo donationis eulogio perpetuam ab eo omnium confirmationem impetrauit. Nottingus autem Vercellensis episcopus, qui foundationis Hirsaugiensis monasterij primus author fuit, multa pro decore domus domini miserat, cruces aureas & argenteas, calices, libros, & uaria diuini ministerij ornamenta, qui utru huic dedicationi interfuerit, incertum habemus. Sed iam ad tempora quibus praefuit monasterio Lintbertus abbas primus calamum directuri, uita

Donatio monasterij prima facta per comitem.

Nomina uillarum quas dedit.

Confirmatio donationis.

Concessio liberae electionis.

Constitutio aduocati.

Libertas huius monasterij.

Confirmatio imperatoris.

Nottingus episcopus.

tam san-

*Vita S. Aurelij  
episcopi.*

*Verus episcopus  
opere & sermo-  
ne Aurel. fuit.*

*Dionysius Me-  
diolanensis episco-  
pus mittitur in  
exilium in Arme-  
niam.*

*Maxima inter  
eos charitas.*

*Virtutes & mi-  
racula in Christi  
nomine facta.*

tam sanctissimi præfulis Aurelij, qui omnium istorum causa fuit, sub breui compendio duximus præmittendam, ut quicumq; ista lecturi sunt, cuius meriti uir fuerit apud Deū, intelligat. Et ne prolixiores inueniamur quam ratio huius operis exoptulat, ita conuersationis eius historiam ueterem nobis oblatam percurramus, ut uerborum quidem plurimum, sententiarum uerò aut nihil aut parum obmitteremus. Natus igitur in Armenia beatus Aurelius ex parentibus Christianis atq; nobilissimis, ubi primum per ætatem licuit, literis traditus fuit. Qui prouidentia diuina instructus, breui non mediocriter in omni scripturarum eruditione proficiens, uniuersa quæ uel discere uel scire potuit in exercitium diuini conuertit amoris, noctes diesq; meditator diuinæ legis existens, animum à terrenis penitus cœpit auertere, & in supernorum contemplationem dulciter eleuare. Crescentibus annis omnibus, exornatus uirtutibus & sanctitate præcipua fulgebat, norma & exemplar Christianæ conuersationis cum uniuersorum admiratione factus: utpote qui ætate quidem iuuenis, moribus & sapientia multis senibus senior apparebat. Vnde per omnes ecclesiastici ordinis gradus ad pontificatus apicē in ciuitate Rediciana maximo populi non minus quam cleri applausu, quamuis renitens, ascendere meruit: in quo constitutus, honore maioribus quam hactenus uirtutibus clarior effulsit. Formam se gregis dominici irreprehensibilem exhibuit, & non minus exemplo quam sermone populum ad obseruantiam mandatorum Dei concitauit. Erat pater pauperum, & pius consolator uiduarum: qui quicquid habere potuit, totum in usus egentium ministravit. Tam sanctæ irreprehensibilis conuersationis extitit, ut nemo fuerit illo tempore in Armenia, qui Aurelium episcopum Dei famulum cum laudis præconio non timeret. Omnis diocesis Redicianæ uiculos circuire monendo & prædicando sua sanctissima in persona solebat, cunctis ministrans uerbum salutis. Erudiebat inscios, confortabat pusillanimes, delectos erigebat, bonos & humiles hortabatur, quatenus in melius proficerent, desides pungebat, superbos & inquietos ad poenitentiam reuocabat. Interea dum his sanctis operibus instaret, contigit beatum Dionysium Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopum ab Arrianis in eorum blasphemias subscribere nolentem, imperatorum iussu in Armeniam exilio relegari, in eam uidelicet ciuitatem Redicianam, cui sanctus Aurelius præerat episcopus.

Hæc autem relegatio sanctissimi uiri Dionysij facta est ab impijs Arrianæ factionis episcopis sub Constantino, Constantio & Constante Imperatoribus, anno Domini nostri Iesu Christi 361. Liberio papa Romanæ ecclesiæ præsidente, qui & ipse eodem anno in exilium mittitur. At uerò sanctus Aurelius uenientem beatum Dionysium in ciuitatem suam Redicianam, ut uerum Christi discipulum cum ingenti lætitia suscepit, & cognitis causis sui aduentus iterum atque iterum complexans uirum, & cum lachrymans eum cōsolaretur audiuit, Lachrymas frater compeisce, Domini est terra & plenitudo eius, omnisq; orbis Christiano patria est. Maxima Dionysius episcopus à beato Aurelio reuerentia susceptus, nec minore humanitate hospitalitatis & munificentia ab eo procuratus, in eadem ciuitate usque ad mortem, exilio relegatus permanfit. Mutuæ igitur conuersationis introducta consuetudine, magna inter eos amicitia & familiaritas intercessit, quæ tunc cœpit in tempore & iam manet & perficitur in æternitate. Tanta uerò amborum sanctitas fuit, ut totam Armeniam fama eorum trāscurreret, & omnes homines in admirationem pertraheret.

Conflue

Confluebant infirmi ad eos & curabantur à languoribus inueteratis, obfessi quoque à dæmonibus ipsis orantibus sanctis liberabantur. Tanta siquidem miracula omnipotens Deus per hos seruos suos operari dignatus est, ut Armeniam totam uirtute & doctrina eorum ad cultum sui misericors pater conuerterit. Sanctus denique Aurelius doctrina & prædicatione sua fideles quosque diligentissime præmonebat, Arrianæ pestem hæreseos fugere, & in fide sanctæ Trinitatis cum ecclesia sanctorum permanere. Quamuis autem beatus Dionysius sub custodia teneretur, sicut relegati seruari eo tempore solebant, patuit nihilominus ad eum quodcumque uolebat sancto Aurelio accessus, tantaque sibi inuicem dilectione coniuncti sunt, ut simul & cohabitare uiui & consepeliri mortui condixissent. Verum post aliquot annos cum felix Dionysius mortem sibi instantem cerneret, beatum Aurelium his uerbis alloquitur, dicens: Scio frater charissime, finem mihi adesse in hoc mundo uiuendi, tempusque resolutionis meæ iam instat, cursum consummaui, fidem seruaui, reliquum in præsentī seculo est unum quod à te peto, ut cum mortuus fuero, quam primum potes, corpus meum ad ecclesiam meam Mediolanensem referas, ut quæ me uiuum habere non potuit, mortuum saltem habere mereatur. Neque longi itineris incommodo terrearis, Dominus erit tecum, merces tua magna nimis. Cui S. Aurelius nimia eius dilectione & amore deuinctus consensit, seque rogata faciendum promissit. Itaque sanctus Christi confessor, imò & martyr Dionysius consummato uiuendi ordine moritur octauo calendas Iunij anno domini 379. Sunt qui scribunt eum relegatum in Cappadociam, ibique mortuum, & eius reliquias per S. Basilium episcopum Mediolanum ad diuum Ambrosium fuisse remissas. Sed hæc opinionum diuersitas, apud eos qui nouerunt historias, facile potest concordari. Sanctus itaque Aurelius uirtutum & miraculorum gloria insignis, tum ut laudes hominum ex his nascentes declinaret, tum ut defuncto satisfaceret amico. Post paucos annos reliquias beati Dionysij arte desiccatas nauis imposuit, & ponto feliciter transmissis, Mediolanenſibus muris post longi spacium itineris, S. Ambrosio episcopo cum omni clero & populo in eius occursum extra urbem properante gloriosus inuexit. Quanta exultatione omnium sacrum cadauer fuerit exceptum, nemo facile dixerit, quippe quod omnes ut cælo remissum ducebant reuerentia dignum. Diuus autem Aurelius (ut breuior sim) peracto pietatis officio, cum ad suam redire cogitaret ecclesiam, hortante Ambrosio, cui contradicere nefas ducebat, remansit, & Mediolanenses non minus quam proprius pontifex uerbo & exemplo ad amorem cælestis patriæ docere & inflammare curauit. Cumque in orationibus quotidianis suam peregrinationem Domino dirigendam commendaret, post reuolutionem anni quo Mediolanum uenerat, apparuit ei sanctus Dionysius dicens, Exauditæ sunt orationes tuæ apud Deum frater Aureli, ecce Domino te ad æternæ felicitatis gaudia uocante morieris, & iuxta corpusculi mei sacellum optatam recipies sepulturam. Confestim febris inuasit S. Aurelium, qui disposito testamento ualedicens fratribus, inter manus diui Ambrosij episcopi Mediolanensis commendatum, Domino spiritum emisit octauo calendas Iunij, eodem uidelicet die, quo & sanctus Dionysius ante triennium in Armenia discesserat, anno Domini trecentesimo octuagesimo tertio, Gratiano cum fratre Valentiniano imperante. Sepultus uero est in proprio sarcophago ad latus S. Dionysij in Ecclesia Mediolanensi. Cuius exequias beatissimus pontifex Ambrosius cum multis lachrymis profecutus, illum sermonem insignem fecit ad populum, qui incipit, Amisimus fratrem & pastorem

S. Dionysius in custodia seruatur.

Dionysij uerba ad S. Aurel.

Dionysius moritur.

Aurelius in Italiam proficiscitur.

Corpus Dionysij Mediolanum introducitur.

Ambrosius detinet Aurelium.

Dionysius apparuit Aurelio.

Aurelius moritur.

Ambrosius orationem facit in depositione Aurelij.

*Durat sepultus  
Mediolani annis  
437.*

*Aurelius trāsfer  
tus Hirsaugiam.*

storem dulcissimum, imò præmissimus aduocatum: in quo laudes & præconia ipsius sancti præsulis Aurelij, magnis eloquentiæ uiribus effert in cœlum. Mansit itaque corpus S. Aurelij ibidem sepultum multis clarescens miraculis, à tempore imperij Gratiani usq; ad imperium Caroli Imperatoris Magni, per annos fermè 437. quousq; Nottingus Vercellensis episcopus magnis illud precibus ab Archiepiscopo Mediolanense impetratum, anno quinto Ludouici Imperatoris primi, ad suam ecclesiam transtulisset. Quod non longè postea sub eodem Ludouico, in Germaniâ patriam suam euectum (sicut prædiximus in Hirsaugienſe) monasterium collocauit, ubi usq; in præsentem diem meritis eius omnipotens Deus multas uirtutes & gna operatur.

DE LINTBERTO, PRIMO HUIUS  
monasterij abbate, qui præfuit annis XVI. & de conuersatione  
eius, gestisq; illius temporis.

*Lintbertus abbas  
primus.*

*Qualitas Lint-  
berti abbatis.*

*Quando sit mona-  
chus factus.*

*Conuersationis  
eius sanctitas.*

*Scriptit in Canti-  
ca canticorum.*

*Rabanus præfuit  
scholæ Fuldenſi  
publicè.*

**A**Nno itaq; Domini 838. sub Ludouico Imperatore pijsſimo, Lintbertus monachus Fuldenſis, primus huius monasterij abbas, constitutus electione fratrum, qui cum eo uenerant de Cœnobij Fuldenſis gremio, per Otgarium reuerendiſſimum Moguntinæ ecclesiæ archiepiscopum baculo pastoralis donatus est, & præfuit regimini huius Cœnobij annis sedecim. Natus erat parentibus non infimis, secundum seculi dignitatem, ex Sueuia, frater Bunonis abbatis Hirsfeldenſis, qui & ipse monachus sancti Bonifacij, sub abbate Baugolfo multis annis extitit. Porrò Lintbertus ab infantia deuotus Deo, monachus factus est in cœnobio Fuldenſi, anno ætatis suæ octauodecimo, sub præfato abbate Baugolfo, qui sancto Sturmone & Rabano successoribus, moribus sanctitatis, & scientia eruditionis multum profecit. Itaq; monachum induit anno Domini 796. indictione quarta. Ad Hirsaugiam uerò missus Abbatiam suscepit, anno domini (sicut prædiximus) 838. ætatis suæ 60. conuersionis uerò quadragesimo secundo, & rexit annis 16. Erat autem uir multum reuerendus, regibus ac principibus notus & familiaris: qui semper ex eo, quo monasterium ingressus est, non solum irreprehensibiliter uixit, sed quod amplioris cenſetur uirtutis, tantæ sanctitatis emicuit, ut omnibus ueræ perfectionis in sua conuersatione præberet exemplum. Ad hunc Rabani præceptoris sui nonnulla in sacris literis scimus extare synthemata, quæ studiosi uiri ingenium postulasse uidentur. Legi sub nomine Lintberti abbatis pulcherrimum in Cantica canticorum Salomonis opusculum, in quo fidelis animæ Deum suum sitientis desiderium & statum, tam pulchrè, concinnè & propriè describit, ut nullus meo iudicio, què legerim, de hac materia clarius unquam tractauerit. An uerò huius author operis idè sit, abbas noster Lintbertus Hirsaug. non satis probatū habeo. Verum persuaderi posset amanti, quia quisquis tandem fuerit, sub Lothario Imperatore Ludouici filio scripsit, quod ex ipsius operis prænotatione constat. Cùm autem Lintbertus hic noster abbas Rabani Fuldenſis doctissimi per omnia uiri, multo tempore auditor & condiscipulus fuerit, non eum nisi eruditissimum euadere potuisse credendum est. Tenuerat enim ipse Rabanus adhuc monachus scholam monachorum publicam in cœnobio Fuldenſi, quam etiam abbas continuauit: in qua monachos non solum in sacris scripturis, sed etiam in secularibus literis omnifariam erudiuit. Nec solum Fuldenſis cœnobij monachos, sed etiam ex diuersis locis alijs ad se transmissos, multos in omni genere doctrinæ discipulos instituit. Ex his complures postea successu temporis ad  
magnas

magnas dignitates promoti sunt. Præceptorem habuerat ex discipulis Be-  
 dæ Anglici monachi reuerendissimum uirum Albinum monachum & Ab-  
 batem monasterij sancti Martini Turonensis, Magni Caroli Imperatoris  
 quondam didascalum, à quo ipse hauserat in Gallia, quod alios in Germa-  
 nia postmodum docebat. At uerò Lintbertus Rabani primùm condiscipu-  
 lus & postremùm auditor, quod à bono præceptore didicerat monachus,  
 abbas non neglexit. Erat sanè regularis disciplinæ studiosissimus cultor, qui  
 non solum uiuere secundum normam sanctissimi patris nostri Benedicti  
 subditos sibi monachos uerbo docuit, sed etiam in omnium uirtutum plen-  
 tudine conuersando, oues sine reprehensione præcedens, ut bonus pa-  
 stor exemplo boni operis patuit. Eius siquidem meditatio die ac nocte in  
 lege Domini continuata semper extitit, qui sine intermissione orans ad  
 Dominum, uerus Christi discipulus in finem permansit, fama sanctitatis &  
 eruditionis eius se per omnem circa regionem diffundente, multi uiri no-  
 biles filios suos magisterio eius instituendos tradiderunt. Complures etiam  
 ex his qui clari apud homines in seculo uidebantur, ultrò se illius discipli-  
 næ propter amorem regni cœlestis subdiderunt, unde numerus fratrum bre-  
 uii auctus ualde cœpit excrecere, & substantia temporalis & multorum  
 oblatione dilatata fuit. Hisdem temporibus monasterium Corbeie in Sa-  
 xonia sub regula sancti patris nostri Benedicti, nouitatis suæ sumpsit exor-  
 dium, quod fundari cœptum est anno Domini 822. indictione 15. quod pe-  
 nè eodem tempore cum isto monasterio diui Aurelij pontificis completum  
 inhabitari cœpit. Eodem fermè tempore monasterium sanctorum Mar-  
 cellini & Petri martyrum, in loco qui dicitur Selgenstadt in Moguntineri-  
 si parœchia, sub regula diui patris nostri Benedicti fundatum per Ludouic-  
 cum Imperatorem primùm extitit, cooperatione uenerabilis uiri Einhardi  
 olim Cancellarij, tunc autem monachi & primi eiusdem cœnobij abbatis,  
 in quò corpora prædictorum duorum martyrum Marcellini & Petri, an-  
 no Domini 828, à Roma, procuratione Imperatoris mense Nouembri alla-  
 ta honorificè reposita sunt. Temporibus Lintberti abbatis primi sancti Au-  
 relij Hirsaugienlis, circa annum Domini 840. Sub Ludouico Imperatore  
 pijsimo & filijs eius claruerunt in ordine nostro benedicto multi celeberr-  
 rimi uiri, sanctitate & eruditione scripturarum insignes, qui uelut astra cœli  
 totam ecclesiam moribus & doctrina mirum in modum illustrarunt, Raba-  
 nus Maurus abbas Fuldenis, de quò supra diximus, his temporibus apud  
 omnes in precio habebatur, propter integritatem uitæ & inestimabilem  
 scientiæ disciplinam. Qui quanta scripserit, tam in libro nostro de Ecclesia-  
 sticis scriptoribus, quàm in secundo de Illustribus uiris ordinis nostri, ma-  
 gna ex parte demonstrauimus. Deniq; anno Domini 842. qui abbatis Lint-  
 bertus quartus annus erat, de Fuldeni monasterio per fraudes quorundam  
 incitatus exiit, atque ad Ludouicum, filium Ludouici senioris Imperatoris  
 confugiens, usq; ad mortem Otgarij Archiepiscopi Moguntinensis, qui eum  
 expulerat propter quam nescio causam, quasi exul remansit. Sed post annos  
 quinque mortuo Otgario Rabanus archiepiscopus in locum eius successus  
 anno Domini 847. indictione 10. omnium suffragio sedit annis nouem.  
 Homo in pauperes misericordissimus, qui ecclesiam suam moribus & scientia  
 strenuè gubernauit. Claruit etiam iisdem temporibus in Saxonia Haymo  
 ex monacho Hirsfeldensis cœnobij, tertius episcopus Halberstatensis,  
 qui anno Domini 840. indictione 5. in episcopum ordinatus præfuit an-  
 nis 5. In omni sanctitate & doctrina, qui multa præclara uolumina scripsit,  
 de quibus in præfatis libris nostris fecimus mentionem. Einhardus quoq;

*Albinus præcep-  
tor Rabani.*

*Abbas Lintber-  
ti religio.*

*Multiplicatio fra-  
trum sancti Aure-  
lij.*

*Corbeia Funda-  
tur in saxonia.*

*Golgenstatensis  
monasterij funda-  
tatio.*

*Uiri ordinis no-  
stri insignes.*

*Rabanus ex ab-  
bate archiepisco-  
pus.*

*Haymo episco-  
pus Halbersta-  
tensis.*

ex imperiali cancellario monachus, & ex monacho primus abbas in Selsgenstad, uir doctus & religiosissimus, inter alia eruditionis suae monimenta scripsit gesta Magni Imperatoris Caroli, in unouolumine. Historiam quoque sui temporis, & quaedam alia, quibus se non modo Latinae linguae, uerum & Graecae peritum ostendit. Freculphus monachus Fuldenensis, qui scripsit ab origine mundi usque ad incarnationem Domini chroniscam ualde insignem, quam de septem aetatibus mundi praenotauit: episcopus Lexouienensis his temporibus claruit, qui sua praedicatione & sanctitate multos in agnitionem ueritatis erudiuit. Floruit etiam circa haec tempora Hecti ex abbate monasterij Mediolanensis, archiepiscopus Treuerensis, qui fundauit (monente sancto Materno in somnis) monasterium canonicorum regularium in Confluentia, ubi uidelicet Mosella Rhenum influit, in quod corpus sancti Castoris de Cardona transferens collocauit. Sed canonici sancti Castoris ante plures annos regulam abiecerunt. Idem uero episcopus anno octingentesimo trigesimo octauo, quo Hirsaugia fundata est, moritur: & apud sanctum Mathiam extra Treuerim sepelitur. Hildeuinus quoque abbas sancti Dionysii Parisiensis, uir undecunque doctissimus, descripsit uitam & passionem sancti Dionysii, ad Ludouicum imperatorem primum. Qui anno Domini 828, ossa sancti martyris Sebastiani a Roma transtulit in Galliam: cuius caput post multos annos in monasterio nostri ordinis Treuerensis dioecesis, quod Viridisaugia nuncupatur, a fundatore ipsius repositum est. Eodem tempore apud Gallos magno fuit in precio Theodulphus, ex abbate Floriacensis monasterij episcopus Aurelianensis, non minus sanctitate uitae, quam eruditione Scripturarum omni populo uenerabilis. Hic a Ludouico imperatore positus in custodiam, nescio ob quam suspicionem coniurationis ad filios a patre tum nimium dissentientes, hymnum quem in die Palmarum, in statione cantare solemus, composuit: quem quum eo die Imperatore prope custodiam in processione solenni transeunte, dulci melodia uoce canora personasset, delectatus ille & uiri constantia & dulcedine symphoniae, mox eum dimitti praeconis uoce mandauit. Incipit autem hymnus ipse conuenienti carmine editus, Gloria, laus & honor sit tibi, &c. Strabus quoque monachus Fuldenensis, Rabani auditor & scriba, isdem claruit temporibus: qui multa & uaria scripsit, sicut in alijs libris de Scriptoribus, editis declarauimus. Hic Fuldenensis monasterij Chronicam inchoauit, quae per alios succedentes continuata, non paruum nobis in editione huius operis, iuuamen praestitit. Sed & Angelonus monachus Luxouienensis coenobij, in exponendis Scripturis diuinis, hoc tempore doctissimus apparuit. De quo alibi fecimus mentionem.

Ansegisus ex abbate Bobiensis monasterij archiepiscopus Senonensis, uir in Scripturis doctus, & in consilijs regum magnus & celeberrimus, plura scripsit, quorum alibi ratio habetur. Iohannes abbas Vercellensis, natione Scorus, Graecae & Latinae doctissimus, his temporibus claruit: qui iubente Carolo, Ludouici imperatoris primi filio, libros sancti Dionysii Areopagitae in Latinum primum omnium transtulit, & commentarijs non spernendis exornauit. De Naturae quoque diuisione, librum multae subtilitatis, cum plerisque alijs quae non uidimus, composuit. Aldericus monasterij Ferrariensis, nostri ordinis abbas post Hieremiam, sed ante Ansegisum immediate archiepiscopus Senonensis, his temporibus factus est. Corpora quoque sanctorum Seueri episcopi Rauennatensis, Vincentiae uxoris & Innocentiae filiae eius, per Orgarium archiepiscopum ad Maguntiam cum honore maximo translata sunt, Heriolus rex Danorum cum uxore & filijs

Freculphus ex monacho episcopus.

Hecti ex abbate Archiepiscopus Treuerensis.

Hildeuinus abbas s. Dionysij.

Sebastianus in Galliam transferitur, caput uero in Gronau.

Theodulphus Aurelianensis episcopus.

Hymnus in Palmis, Gloria, laus &c.

Strabus monachus Fuldenensis.

Angelonus monachus.

Ansegisus ex abbate episcopus Senonensis. Iohannes abbas Vercellensis.

Aldericus ex abbate episcopus.

S. Seuerus transfertur.

Rex Danorum hupizatur.

Ihs Maguntiaē baptisatur, tempore huius primi Lintberti abbatis, & magna pars Danorum ad fidem Christi conuertuntur, per monachos Corbeiensis monasterij, qui amore supernae felicitatis, ad praedican- dum Euangelium sanctum gentibus, Daciam ingressi fuerant. Amularius Fortunatus monachus Luxouiensis, postea Treuerensis Archiepiscopus, ac deinde sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis, scripsit his diebus ad Ludouicum Imperatorē libros de officijs diuinis. Anno Ludouici Imperatoris 23. sub Lintberto primo huius coenobij abbate, Nortmāni ad fines Hollandiae & Gallie primū applicuerunt, qui multis postea annis hinc inde cum ualido exercitu uagantes, infinita mala perpetrarunt. Anno Domini 838. qui fuit primus annus Lintberti abbatis, 15 calēdas Augusti sanctus Fridericus ecclesiae Traiectensis octauus episcopus, in armario eiusdem ecclesiae, post missarum solennia, dum orationi deuotus incumberet, à duobus satellitibus à Iudith imperatrice mercede conductis, crudeliter necatus, martyr summæ ueritatis effectus est. Dixerat enim ad Imperatorem episcopus, Non licet tibi habere Iudith filiam ducis Bauariae, tibi sanguine proximam, pro uxore: aut abijce illam, aut ego te autoritate omnipotentis excommunicabo. His uerbis impia Iudith exasperata, praconem ueritatis non post multum tēporis interfecit Hoc immani scelere audito Gregorius papa quartus, Ludouicum Imperatorem pro agenda poenitentia in monasteriū Suefsionen- sem posuit. Et Iesse episcopus Ambianensis Iudith imperatricem alteram Herodiadem uelo imposito monialem fecit. Ex hac imperatrice Ludouicus filium habuit Carolum cognomēto Caluum, qui postea anno Domini 876, imperator factus est. Hunc constituit ducem Bauariae, Sueuia & Burgundiae, alijs ex priore uxore filijs id agrē satis ferentibus. Demum anno Domini 840, dum Ludouicus Imperator poenitentia peracta filium suum Lotharium patri rebellem persequitur: ueniensq; ad monasterium Hirsfeldense grauiter infirmatur, & curru atq; nauigio ad Ingelheim imperiale palatium statim moritur 12 calēdas Iulij, anno Imperij suscepti 26. Cuius cadauer per Drogonem fratrem, episcopum Metensem, Metis in ecclesia sancti Arnolphi honorificè sepultum est. Drogo autē iste filius Caroli fuit magni Imperatoris & frater Ludouici primi, uir doctus & amator religionis, ex monacho factus est episcopus praefatae ecclesiae Metensis, pro cuius decore multa fecit. Mortuo Ludouico Imperatore pijsimo, Lotharius filius eius succedēs imperauit annis 16. Habuit tres fratres ex patre: Pipinū, quem fecit ducem Aquitaniae: Carolum Caluum, cui celsit in diuisione paterna regnum occidentale à Britannico Oceano usq; ad Mosam fluuium: Ludouicum, qui regnum occidentale, omnem uidelicet Germaniam usq; ad Rheni fluentia, cum quibusdam alijs ciuitatibus adiacētibus pagis trans Rhenum, propter uini copiam sorte consecutus est. Ipse uerò Lotharius maior natu, imperatoris nomen cum toto regno, quod usq; in hodiernum diem ex eius nomine Lotharingiam appellamus: quanquam modò sit ducatus, & tota prouincia, necnon & omnia regna Italiae cum ipsa Vrbe Roma, in portionem suam accepit. Vxorem habuit Egillam, regis Angliae filiam, quae peperit ei duos filios, Lotharium & Ludouicum postea imperatorem. Claruit his temporibus Alfridus, ex monacho Corbeiensis coenobij episcopus Hildenshemensis quartus, uir Deo uerè dilectus, & in omni uita sanctissimus, qui rexit Ecclesiam sibi commissam strenuè annis 28. & construxit maiorem ecclesiam praefatae urbis, in qua & sepultus est. Fuit autem electus in episcopum anno Lintberti abbatis nono, qui fuit Dominicae incarnationis 847, indictione decima. Rabanus archiepi-

*Amularius ex monacho Treuerensis archiepi- scopus.*

*Primus Normanorum incurfus.*

*Sanctus Fridericus episcopus Traiectensis martyrizatur.*

*Scelus magnum Imperatricis Iudith.*

*Imperator cum uxore deponitur.*

*Carolus Caluus filius Ludouici.*

*Imperator Ludouicus moritur.*

*Drogo frater Imperatoris ex monacho.*

*Ludouicus filios habuit.*

*Diuisio inter fratres facta.*

*Lotharius Imperator.*

*Alfridus ex monacho episcopus Hildesheimensis.*

*Synodus Moguntiae celebratur à Rabano.*

scopus Moguntinus, iussu Lotharij Imperatoris synodum apud Moguntiam episcoporum & abbatum conuocauit, anno Domini 848. indictione undecima, in qua hæreticum quendam, nomine Godschalcū presbyterum condemnauit, & multa ad decorem & utilitatem ecclesiasticam constituit. Fuerunt inter alios ibi præsentibus celeberrimi uiri episcopi, Hecti archiepiscopus Treuerēsis, Hildeboldus archiepiscopus Coloniensis, Altfrius episcopus Hildesheimēsis, Haymo episcopus Haluerstatensis, Ludericus episcopus Bremēsis, Lintbertus primus iste abbas sancti Aurelij Hirsaugiensis, Vualdo abbas Fuldenis, Einhardus abbas Selgenstetensis, Brunuuart abbas Hirsfeldensis, Bertolphus episcopus Mediolacensis: Aduentius abbas Metensis, postea ibidem episcopus: Radolphus abbas S. Medardi Suefionensis, postea Bituricensis archiepiscopus. Et alij multi episcopi, abbates & monachi, inter quos complures erant uita & doctrina famosissimi. His diebus quædam mulier fingens sibi angelum Dei apparuisse, qui nouissimum diem iudicij mox instare pronunciaisset, multos tam ex clero quàm ex populo, per diocēsim Moguntinam decepit. Quæ tandem per Rabanum archiepiscopū comprehensa, confessa est, fuisse se per cōsiliū cuiusdam presbyteri ad hoc quæstus gratia inductum. Anno Lintberti abbatis 11. corpus sanctæ imperatricis Helenæ matris Constantini Magni per Theogisum monachum à Roma transfertur ad Galliam, & in Remensi collocatur parochia, cuius caput hodie in Treuerensi ecclesia ostenditur.

Anno enim decimotertio, fames præualida Germaniam ita uastauit, ut pater filium inedia mortuum, ad ignem coctum māducare uoluerit, si per uicinos casu non fuisset interceptus. His diebus Lintberti abbatis præstantissimi, in pauperes clementia magnum & ei nomen & monasterio Hirsaugiensis profectum accumulauit. Quanto enim plura in usus pauperum distribuit, tanto maiora recepit. Rabanus etiam archiepiscopus multam ea fame perdurante pauperibus munificentiam exhibuit. Circa hæc tempora rex Christianissimus Angliæ Adolphus Romam pergens, sub Leone papa quarto, ex maxima deuotione Romanæ ecclesiæ tributariam fecit prouinciā suam, instituens, ut ex singula domo singulis annis sancto Petro nummus solueretur argenteus. Anno Lintberti abbatis decimotertij, Lupus Seruatus presbyter, uir doctissimus, ad quem Rabanus adhuc abbas scripsit olim octo libros in Epistolam Pauli ad Romanos, migravit ad Dominum. Is ante biennium præsens in synodo Moguntinensi presbyterum illum Godscalcum de libero arbitrio, prædestinatione & sanguine Christi, malè sentientem ac multos conturbantem, fortissima disputatione coram omnibus qui aderant, manifestè uicit & confutauit. Qui etiam ad euidentiore declarationem ueritatis, inter alia quæ scripsit, de his quoque rebus tractatum pulcherrimum composuit. Anno Lintberti abbatis decimoquinto, qui est Domini 853. obiit sanctus Haymo, tertius episcopus Haluerstatensis, ex monacho Hirsfeldensi, uir per omnia Deo dilectus, qui uerbo, scripto & exemplo, multos ad semitas iustitiæ reuocauit, & in maiori ecclesia Haluerstatensi sepelitur. Cui sanctus Hildegrinus in episcopatu successit annis ferè 34. Claruit his temporibus sanctus Anscarius, ex monacho cœnobij Corbeiensis primus archiepiscopus Bremensis, ante quem tres fuerunt episcopi, uidelicet Vuilhardus, Vuillericus & Ludericus, sub archiepiscopo Coloniensi. Sed Lotharius imperator destructa per Danos ciuitate Hamburg, archiepiscopatum qui tum erat ibidem transtulit in Bremam, cui sanctum ipsum Anscarium præfecit, qui sedit annis trigintaquatuor, uir doctus atque sanctissimus, qui multis in uita & post mortem miraculis

*Episcopi & abbates qui inter fuerunt synodo.*

*Lintbertus in eadem synodo fuit.*

*Error pseudoprophetise.*

*Sancta Helena.*

*Fames in Germania fuit.*

*Lintberti misericordia.*

*Anglia fit tributaria papæ.*

*Lupus presbyter*

*Errores Godescalci presbyteri.*

*Haymo obiit.*

*Hildegrinus successit Haymoni.*

*Anscarius.*



culis claruit. Sepultus est in ecclesia Bremensi. Festum eius tertio nonas Februarij colitur. Floruit etiam hoc tempore Leo papa quartus, ex monacho cœnobij diui Martini in urbe, tunc ordinis nostri primū presbyter cardinalis tituli Sanctorum quatuor coronatorum à Sergio pontifice ordinatus, eoq̃ mortuo succedens in pontificatu summo præfuit annis octo, mensibus tribus, uir doctus & uita sanctissimus, qui mortuus in catalogum sanctorū relatus est: cuius festum 16 cal. Augusti colitur. Lintbertus autem abbas primus, uir ualde uenerabilis, post multos labores pro Dei amore in sancta religione habitos, senioq̃ confectus, ad Christum toto corde suspirans moritur tertio idus Iunij, sub Lothario imperatore, anno Domini 854 indictione 2, ætatis suæ 76, suscepti uerò regiminis abbatia anno 16 nondum completo: qui monasterio huic laudabiliter & utiliter præfuit, & multa per suam conuersationem sanctissimam donatione fidelium bona acquisiuit: cui in abbatia huius monasterij, Gerungus monachus successit annis duobus & triginta, de quo postea dicemus. Hoc ipso anno reuerendissimus abbas Lintbertus obiit, Nortmanni Britanniam, Galliam & Franciam crudeliter deuastant, ciuitatem Nammetensem subuertunt, & episcopum in sabbato sancto baptisimi consecrationi intentum cum toto clero occidunt. Tempora quoq̃ sancti Martini Turonensis concremant. Sancto papa Leone mortuo eodem anno Ioannes Anglicus successit duobus annis & mensibus tribus, quem ferunt quidam foeminam extitisse, & uni familiari soli cognitam, & ab eo compressam peperisse in strata publica. Et ob id nonnulli eam inter pontifices ponere noluerunt, quasi indignum facinus abhorrentes. Sed nos iam cursu uenerabilis Lintberti consummato, styllum ad successorem uertamus.

Leo quartus papa ex monacho.

Lintbertus primus abbas Hirsaugiensis moritur.

Nortmanni Galliam infestant.

Fœmina papatum obtinuit.

DE VENERABILI GERUNGO, SECUNDO ABBATE,  
qui præfuit annis triginta duobus, & qualia temporibus  
suis gesta sunt.

Mortuo igitur atque sepulto reuerendissimo abbate Lintberto, non sine magna tristitia fratrum, quippe qui maximo eius tenebantur amore: mox ad electionem noui pastoris conuenientes, uenerabilem uirum Gerungum in demortui patris locum constituere pastorem, anno Domini 854, indictione secunda: Lotharij primi imperatoris anno 14, qui præfuit huic monasterio annis 23. Is uerò Gerungus in Fuldensi cœnobio monachus factus sub Rabano abbate, cum Lintberto abbate & alijs fratribus in principio foundationis huc missus aduenit, qui se dignum sancti Benedicti patris filium semper exhibere cupiens propositum monasticum, quod semel pro Dei amore sumpserat inuiolatum, usque ad mortem custodiuit. Vnde cum Lintberto mortuo multi pastoralis cura monachi in hoc cœnobio essent digni, tamen inter dignos dignior iste apparuit, qui ut Aioth ambidexter, ita ad curam uidebatur rerum temporalium idoneus, ut spiritualium curam anteferre omnibus & uellet & posset. Audiuit Rabanum in Fuldensi monasterio legentem, quo in abbatem sublimato eius discipulus Strabus scholæ publicæ prælatus est, qui hunc Gerungum tunc adolescentem Rabano præcipiente singulari diligentia prosequutus est. Mos erat in præfato Fuldensi cœnobio his temporibus monachos non solum in scripturis sanctis instituire, sed etiam in omni secularis scientiæ literatura ad plenum erudire. Probè enim iudicabant sapientissimi uiri diuinas scripturas neminè posse perfectè intelligere, quem literas secularis doctrinæ contigisset ignorare. Extant multa monachorum istius temporis præclara uolumina, in quorum comparatione ea, quæ hodie cuduntur à plerisque tan-

Gerungus abbas Hirsaugiensis.

Vita Gerungi describitur.

Gerungus audiuit Rabanum abbatem.

Non contemptores secularis literaturæ monachi.

quam paleæ uilescunt. Reperi autem inter alia Strabî huius opuscula, libellum de Arithmeticis dimensionibus, quem scripsit ad istum Gerungum abbatem sancti Aurelij, cui præponit epistolam sic incipientem: Reuerendissimo merito patri, ætate filio, litera discipulo, gratia magistro, Gerungo abbati æternæ beatitudinis præmium possidere. Ex his intelligere possumus, Gerungum abbatem in omni literatura fuisse studiosum, quia nisi extitisset doctissimus, nunquam uir tantus de tam subtili disputatione scripsisset, maximè in tanta doctorum uirorum copia ad ignarum. An uerò etiam Gerungus ipse aliquid scripserit, incertum habemus: quem tamen fuisse doctissimum, postquam tantos audierit præceptores, non dubitamus. Longa enim inter capedo temporis, utpote plusquam sexcentorum annorum, multa præclare gesta monachorum & abbatum Hirsaugiensis cœnobij in obliuionem deducens, uenire ad nostram notitiam non permisit. Fuit autem Gerungus uir strenuus, & maximus regularis discipulatus amator: qui ab ineunte ætate à bonis præceptoribus in timore Dei fundatus, bonum se pastorem ouibus sibi cõmissis opere & sermone usq; ad uitæ finem exhibuit. Qui quamuis in conuersatione spiritali super omnes esset diligens & studiosus, curam tamen rerum temporalium non neglexit, quin potius eo præfidente monasterio substantia temporalis mirum in modum aucta fuit. His temporibus Bruno dux Saxonum construxit monasterium illud quondam celeberrimum in Saxonia, quod Gaudersheim dicitur, in quo moniales secundum regulam diui patris nostri Benedicti uiuentes, posuit. Post eum filius eius dux Ludolphus qui opus inceptum à genitore suo perfecit. Prima autem eiusdem monasterij abbatissa fuit Hadmodis eiusdem ducis Ludolphi senior filia, quæ præfuit Christi uirginibus annis duobus & uiginti, in multa uitæ & conuersationis sanctimonia. Qua mortua, soror eius nomine Gerburgis in abbatia successit annis 14. uirgo & ipsa sanctissima, quæ multis effulgit in uita & post mortem clara uirtutibus. Qua tandem & ipsa de medio sublata, tertia ducis Ludolphi filia in abbatissam electa fuit nomine Christina, quæ in sancto uirginitatis proposito religiose conuersando, à sanctitate præcedentium sororum non recessit. Idem quoq; Ludolphus dux construxit & aliud monasterium uirginum in Saxonia dictum Brunteshusen, & utriusq; confirmationem à papa Nicolao cum multis sanctorum reliquijs obtinuit. Claruerunt his temporibus ex ordine monastico multi excellentissimi pontifices, sanctitate & scientia literarum insignes, Abbates quoq; & monachi tam uita quam eruditione scripturarum celeberrimi, qui multa & uaria ad ædificationem posteritatis in re literaria, uolumina ediderunt. Abbo ex abbate monasterij sancti Germani fit episcopus Atriodorensis, frater Helibaldus ante eum ibidem episcopus extitit, ambo uiri strenui atq; sanctissimi, & tam in diuinis scripturis, quam in seculari scientia nobilem eruditi. Christianus qui & Druthmarus monachus Corbeiensis uenerabilis presbyter, multa his temporibus in expositione diuinarum scripturarum uolumina componit. De quo nos in alijs libris de Scriptoribus ecclesiasticis, latius fecimus mentionem. Egil abbas monasterij Promiensis in Treuerensi parochia constitutus est, primo anno Gerungi, uir nobilis atq; doctissimus, amicus regum & principum, qui in regulari conuersatione maximum nomen laudis acquisiuit. Anno secundo Gerungii abbatis, qui fuit domini 855. Lotharius Imperator senio confectus conuocatis primoribus regni, imperium inter filios diuisit: & Ludouico quidem Italiam tradidit, eumq; imperatorem constituit; Lothario autem, regnum quod

*Epistola Strabi ad Gerungum.*

*Fuit uir in omni bus doctissimus.*

*Commendatur ex zelo disciplinæ abbas.*

*Gaudersheim fuit datur in Saxonia*

*Tres ducisse fuit abbatissæ.*

*Brunteshusen fundatur.*

*Abbo episcopus ex abbate factus.*

*Christianus monachus doctiss.*

*Egil abbas Promiensis.*

*Imperium tripartite diuiditur.*

quod à suo nomine Lotharingiam uocari diximus, concessit. Carolo uerò qui iunior natus erat, regnum Prouincię dedit. Quibus ritè dispositis, ualedicens suis seculum reliquit, & Prumiense monasterium sub præfato abbate Egilone ingressus, monachus factus est, qui in sancta religione secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti laudabiliter perseuerans usque ad finem, tandem optimè consummatus moritur 3 cal. Octobris, ibidem sepultus. Post Lotharium itaq; monachum factum Ludouicus eius filius imperauit anno uno & uiginti. Anno autè Gerungi abbatis tertio, qui fuit Domini 856. Lotharius rex frater Ludouici Imperatoris duxit in uxorem Thiedbergam filiam patris sui Caroli Calui postea Imperatoris. Sed non multo post repudiavit eam, & superduxit Vualdradem concubinam suam pristinam, sororem Guntheri archiepiscopi Coloniensis, ex qua cõiunctio ne multa mala non solùm illi, sed etiam omni regno eius suborta sunt. Eodem anno Rabanus archiepiscopus Moguntinus moritur, & in monasterio sancti Albani, non sine sanctitatis opinione sepelitur, uir doctus & in pauperes misericordissimus: quippe qui tempore famis, quæ anno Lintberti abbatis 13 totam Germaniam oppresserat, multorum inopiam releuauit. Morabatur enim eo tempore in quadam uilla parœchię suæ, cui uocabulum est Vinicella, nunc uerò corrupto nomine Vuinckel appellatur, & pauperes de diuersis locis uenientes suscipiens, quotidie plus quàm trecentos alimento sustentabat, ex his qui in præsentia illius assiduè uescabantur. Venit autem die quadam inter alios mendicantes mulier quædam inedia penè consumpta, cum puerulo paruulo, quæ priusquàm ad limen portæ domus episcopalis pedem imponderet, præ nimia imbecillitate corruens spiritum exhalauit. Puer autem mammillam genitricis mortuæ iacentis, tanquam adhuc uiueret extrahens & sugere tentans, omnes inuententes gemere ac flere coëgit. Successit ei in archiepiscopatu Moguntinensi Carolus annis septem. Circa hæc tempora Nortmanni cum Danis, Hollandiæ cum ingenti multitudine clasibus applicantes, Duerstadem uicum nominatissimum, in quo parochiales ecclesiæ fuisse memorantur quinque & quinquaginta, penitus destruxerunt, interfectis omnibus habitatoribus eius. Deinde ciuitatem Traiectensem capientes destruxerunt, funditus omnem populum cum clero uniuerso crudeliter necantes. Hungerus autem Traiectensis eo tempore præsul, cum paucis Canonicis fuga lapsus, uenit ad Lotharium quondam Imperatorem in monasterium Prumiense. Anno Gerungi abbatis Hirsaugiensis sexto, claruit Hucbertus ex duce monachus, & abbas monasterij sancti Richarij, frater Thiedbergæ reginæ, uir sapiens & strenuus, cui Lotharius ducatum inter Lusum & montem Veneris regendū cõmisit. Verùm cùm Lotharius Thiedbergam reginam sororem Hucberti abbatis postea superinducta pellice Vuldrada abijceret, abbatem sensit inimicum, quo procurante tandem sororem recipere coactus est. Anno Gerungi abbatis septimo, qui fuit Domini octingentesimo sexagesimo. Ludouici uerò Imperatoris quarto, in ciuitate Moguntinensi diabolus nequitiam suam & odium erga hominem euidenter exercebat. Lapides de fenestris domorum iecit in homines, percussit noctu ac die quasi malleis quibusdam fortiter parietes, pulsabat multorū ad ianuas, inde manifestè loquendo furta passim prodidit, & magnam inter homines discordiam seminauit. Deinde animos omnium contra unum hominem concitauit, quasi pro illius peccato cateri talia paterentur, cuius fruges in unum coaceruandas incendit. Vbicunque intrasset ille homo, statim domus per dæmonium illud incendebatur, ita ut etiam nisi in agris

Lotharius Imperator fit monachus.

Ludouicus fit Imperator.

Lotharij regis adulterium.

Rabanus archiepiscopus moritur

Misericordia eius in pauperes.

Nota miserabilis casum.

Nortmannorum incurfus.

Hugbertus abbas ex duce.

Diabolus per triduum Moguntiam uexat terribiliter.

Improbitas dæmonis huius.

nullus esset manendi locus. Propter hoc litanias presbyteris agentibus, & aquam benedictam spargentibus, hostis naturæ humanæ à lapidibus iaciendis interim aliquantulum cessauit: quibus recedentibus, diabolus horribiliter clamans dixit, se sub cappa unius sacerdotis, cuius nomen expressit, dum aspergeretur aqua benedicta, quasi cum amico familiari latuisse, quæ & accusauit publicè, quòd cum procuratoris filia concubuisset. Itaque per triennium continuum sic perstitit, donec ibidem multa ædificia incendio consumeret. Audiebatur quidem clamans, ululans, loquens, pulsans, percutiens parietes, & iaciens lapides in homines, sed nihil penitus uidebatur. Verùm alibi legimus, hæc non in ciuitate Moguntina, sed in quodam uico eius diœcesis contigisse. Hoc ipso anno Gerungi septimo, indictione octaua, moritur apud Moguntiam Probus presbyter & monachus sancti Albani, uir sanctus atq; doctissimus, cuius conuersatio & studium eandem ecclesiam Moguntinam mirificè illustrauit. Hoc eodem anno sanctus Meginradus, ex monacho cœnobij Augiensis eremita in Nigra sylua, noctu in cella sua à duobus latronibus, magnam se pecuniam apud illum reperiuros existimantibus martyrizatur 12 calendis Februarij: cuius corpus ad monasterium Augiense reductum & sepultum infinitis miraculis multo tempore coruscavit. Porrò latrones duobus coruis, quos sanctus Meginradus nutrierat, insequentibus eos proditi, secundum leges patriæ rotati sunt. Clariuit his diebus Egilo, ex monacho Senonensis post Vuanlonem archiepiscopus, uir omni bonitate cōspiciuus, & dignus ouium Christi pastor. Eo tempore fames & mortalitas magna per regnum Francorū efferbuit, & maxime per Aquitaniam & Burgundiam, ita ut præ multitudine morientium non esset qui mortuos sepeliret. Eodem anno Egil abbas Prumiensis abbatiam suam sponte resignauit, cui Ansbaldus in regimine successit, uir omni sanctitate & bonitate conspicuus, qui uerbo & exemplo multos ad amorem cœlestis patriæ conuertit. Clariuit iisdem tēporibus Mico monachus sancti Richarij, uir studiosus & ualde doctus, qui multa & uaria scripsit, tam metro quàm prosa excellenter edita. E quibus legimus librum diuersorum Epigrammatum. Excerpta quoque Poëtarum, librum etiam Ænigmatum, & quædam alia. Notgerus ex monacho sancti Galli episcopus Leodiensis, his temporibus inter Ecclesiasticos scriptores clarus habetur, qui primus usum Sequentiarum adinuenit, quas cantari in ecclesia cis Alpina Nicolaus papa primus consensit. Huius Notgeri discipulus fuit Salomon, ex monacho Constantiensis postmodum episcopus, qui & ipse nonnulla ingenij præclari posteris monimenta reliquit. Vuandelbertus quoque monachus Prumiensis cœnobij sub abbate uenerabili Ansaldo, hoc ipso tempore clariuit: qui inter alia ingenij sui opuscula uitam & miraculâ sancti Goaris presbyteri & eremitæ iuxta Rhenum in Treuerensi parochia quiescentis, in duobus libris comprehendit. Anno autem Gerungi abbatis octauo, Vualdo Fuldensis abbas deponitur à Ludouico Imperatore, cui Thio de successit. Anno autem eius 10. qui fuit Domini 863. obiit Carolus Moguntinensis: cui Lintbertus successit. Ad hunc Lintbertum scripsit Otfridus monachus Vuissenburgensis, quondam Rabani auditor quatuor libros Euangeliorum metricè in lingua nostra Theutonica quibusdã regulis formata: ut paucissimi hodie reperiãtur, qui eius scripta intelligant. Scripsit & alia plura, de quibus in minori catalogo Germanorū fecimus mentionē. Vuerenbertus etiam monachus S. Galli, uir in omni scientia tam seculari quàm diuina doctissimus, his tēporibus inter scriptores clarus habetur, qui multa ingenij sui monimenta posteris legenda cōposuit.

Rutha-

Ruthardus quoque monachus, huius cœnobij Hirsaugiensis unus ex primis missis à Fulda, Rabani & Strabi monachorum quondam auditor atque discipulus, uir undecunque doctissimus, metro excellens & prosa, inter scriptores huius tempestatis celeberrimi nominis fuit. Qui (ut scribit Meginfridus monachus Fuldensis in Chronica) uir in omni scientia & sanctitate conspicuus, tantæ fuit eruditionis & probitatis, ut quum Ludouicus imperator eum post mortem Haymonis episcopi uellet in locum eius Haluerstatenſis ecclesiæ ordinare pontificem, consentire noluit, dicens notabile uerbum: Da episcopatum alteri, qui sit idoneus: ego quietem uitæ regularis, & studium Scripturarum, omnibus diuitijs & honoribus mundi incomparabiliter duxi præferendum. Scripsit autem inter cætera ingenij sui opuscula, passionem sancti Bonifacij archiepiscopi heroico carmine pulcherrimè in duobus libris. Hic primus inter omnes quos ego legerim, regulam sanctissimi patris nostri Benedicti commentario glossare ausus est: cuius expositionis proœmiũ sic incipit post exordium ipsius regulæ: Tres enim sunt Ecclesiasticæ disciplinæ: prima physica, idest naturalis: secunda ethica, idest moralis: tertia logica, idest rationalis: nã physica, deriuatur ab eo quod est physis, natura, &c. Scripsit insuper de musica, geometria, arithmetica, & cæteris artibus humanitatis plura opuscula. Ipse enim primus in cœnobio sancti Aurelij, ut Meginfridus testis est, monachis diuinas scripturas & seculares literas legere, more Fuldensium cœpit. Tam uerò eruditus in omni scientia fuit, ut non solum monachi de alijs cœnobijs ad audiendum illum, sed etiam seculares certatim confluerent. Moritur autem plenus dierum et sanctitate, anno Gerungi abbatis 12. qui fuit Domini 865. indictione 14. sepultus in ecclesia sancti Aurelij, octauo calendas Nouembris, cui Richbodo monachus hoc epitaphium posuit:

Hoc per iter, rogito, qui pergis ritè uiator,  
 Paulisper siste gressum, hunc titulumque lege:  
 Ipsum per spectum supplex memorare sepulti,  
 Ruthardi que pius, dic Miserere Deus.

Hartmondus præterea monachus sancti Galli, uir studiosus & doctus, ad quem Otridus præfatus Vuissenburgensis, & noster hic Ruthardus sancti Aurelij multas epistolas scripserunt, ingenium suum uaria edendo acuit, & post Notgerum publicæ monachorum scholæ præfectus, complures post se discipulos in omni sapientia doctissimos reliquit. Sanctus papa Nicolaus primus Lotharium regem, fratrem imperatoris, propter Thiedbergam reginam iniuste repulsam, unã cum pellice Vualdrada excommunicat ad instantiam fratrum reginæ, qui causam ad apostolici audientiam detulerunt. Ob eandem causam Guntherus Coloniensis, & Thiedgaudus Treuerensis archiepiscopi, ab eodem papa depositi, usque ad laicalem statum dignam iniquitatis suæ mercedem acceperunt. Quippe qui falsis criminibus arte confictis, reginam innocentem damnare præsumperunt. Acta sunt hæc anno Gerungi abbatis tredecimo, qui fuit Domini 866. Ludouici autem imperatoris secundi undecimo. His temporibus imperator Bulgarum cum omni gente sua ad fidem Christi conuersus, fit monachus. Sed quum filius eius iuueniliter agens, ad cultum gentilitatis redire cogitaret, pater cingulo regioque cultu resumpto, eum insequutus cepit, oculisque effossis in carcerem trulit. Minoreque filio in regnum locato, ad monasterium reuersus usque ad mortem in proposito monachico permansit. Anno Gerungi abbatis 16, corpus sancti Mauri discipuli diui patris nostri Benedicti abbatis propter timorem Nortmannorum, à Glandifolio ad monasterium Fossacense in Burgundiam

Ruthardus.

Meginfridus  
 chronographus

Ruthardi pius  
 responsum.

Ruthardi scripta

Ruthardus scho  
 le monachorum  
 præfuit.

Ruthardus meri  
 tur.

Ruthardi epita  
 phium.

Hartmondus

Lotharius rex  
 excommunicatur

Treuerensis &  
 Coloniensis ep  
 scopi deponuntur.

Imperator Bulga  
 rum fit monachus

Sanctus Maurus  
 transfertur.

gundiam transfertur. Floruit his temporibus apud Gallos magno in precio Hincmarus Archiepiscopus Remensis, ex monacho sancti Dionysii Parisiensis, uir in diuinis scripturis eruditissimus, qui multa scripsit egregia uolumina, quibus mentionem alibi fecimus. Anno Gerungi abbatis 18. post depositionem Thietgandi archiepiscopi, Bertholfus abbas Mediolanensis nostri ordinis, fit archiepiscopus Treuerensis, uir ingenio acer, qui priuilegia ecclesie suae nec in minimo passus est uiolari: cuius tempore Treuerenses omnia ornamenta sanctuariorum & reliquias metu Normanorum subterraneis cameris absconderunt. Anno autem Gerungi abbatis 19. sanctus Rex Anglorum Edmundus Nortmannis martyrizatus, infinitis claruit miraculis. Anno uero eius 21. qui fuit Domini 874, in Italiae regione ciuitate Brixienti per triduum sanguis pluit e caelo, & Nortmanni multa mala Christianis faciunt. Claruit his temporibus Vuallo post Christianum monachum, & ipse ex monacho Altisiodorensis episcopus, frater Ansegisi archiepiscopi Senonensis, de quo longè supra diximus, anno Lintberti abbatis primo. Iste Vuallo fuit uir scientia & moribus clarus, cuius maximè erat studium magistros & professores literarum charitatiuè amplecti, eorumque consilijs uti alloquijs perfrui, & suo illos conuiuio crebrius recreare. In omni conuersatione sua semper ex clero quosdam habere secum uoluit, ne uel modica laicis daretur occasio detrahendi: unde solitus erat dicere, Nesciant laici quid faciant clerici, & pares paribus socientur. Anno Gerungi abbatis 23. in mense Iunio, subita & nimia aquarum inundatio facta est, ita ut uilla quaedam in Saxoniam, longè à torrentibus & fluminibus remota, in momento cum hominibus & bestijs, cum arboribus & aedificijs, cum ecclesia & altari penitus absorpta sit, ita ut nullum habitationis uestigium penitus remanserit. Circa hæc tempora claruit Ericus monachus Altisiodorensis, Vuallonis episcopi capellanus, uir undecunque doctissimus, qui multa & uaria conscripsit opuscula metro & prosa, de quibus in Catalogo scriptorum fecimus mentionem. Anno Gerungi abbatis uigesimo quarto, Domini uero octingentesimo septuagesimo septimo, indictione decima, quinto calendas Septembris, Ludouicus imperator secundus moritur apud Francfordiam, & in monasterio Laurissensi tunc ordinis nostri, non longè à Vuormatia sepelitur, Cui Carolus, qui dicitur Caluus, successit, filius Ludouici imperatoris primi. Claruit his temporibus magnæ eruditionis & opinionis apud omnes Milo, monachus sancti Amandi, qui uitam eiusdem sancti, pulchro carmine edidit, & librum de Sobrietate, ad imperatorem Carolum Caluum. Huius nepos Hunibaldus monachus, & ipse in cœnobio sancti Amandi, sub disciplina patris constitutus, in septem artibus, quas uocant Liberales, mirum in modum proficiens, multa ingenij sui opuscula composuit. Qui quum maximus esset musicus, de sancto Dauid, & alijs multis, cantus dulcissimos composuit. Hugbaldus quoque monachus Eluenensis, poëta & rhetor sui temporis omnium celeberrimus, de laude Caluorum, opusculum miranda inuentione composuit, in centenis uersibus, cuius omnia uerba incipiunt ab una litera C, ut

Carmina clarifonæ caluis cantate camœnæ.

Quod opus imperatori Carolo Caluo dicauit. Scripsit etiam ad archiepiscopum Moguntinum Hattonem de Musica, non spernendum opusculum, & quaedam alia. Sed & Bertrammus monachus, in omni literatura doctissimus, scripsit ad Carolum Regem de Prædestinatione. Item de corpore & sanguine Domini, cum alijs multis, quæ ad notitiam nostræ lectionis non uenerunt. Anno Gerungi abbatis uigesimo sexto, fuit Domini

Bertholfus ex abbate episcopus.

Edmundus rex martyrizatur.

Sanguis pluit e caelo.

Vuallo ex monacho episcopus.

Villa una fuit totaliter absorpta.

Ericus monachus.

Ludouicus imperator moritur.

Milo monachus.

Hunibaldus monachus.

Hugbaldus monachus.

Bertrammus monachus.

Iudeus magus mirabilia fecit.

mini octingentesimo septuagesimo sexto, fuit quidam Iudæus nomine Se-  
dechias, olim (ut fama est) physicus & medicus Ludouici imperatoris, ma-  
gicis disciplinis imbutus, qui faciebat multa miracula & stupenda ludibria  
publicè coram principibus & quibuscunque alijs. Egit nanque arte sua,  
ut hominibus uideretur deuorare hominem armatum cum equo & om-  
nibus armis. Currum quoque onustum fœno cum ipso fœno equis & auri-  
ga. Amputabat hominibus capita, manus aut pedes, quæ pelui coram im-  
posita, cum sanguine defluente, omnibus uidenda præbuit: quæ statim ad  
loca, unde uidebantur abscissa, sine detrimento hominis relocauit. In aëre  
transiens uidebatur & audiebatur ab omnibus, qui uenationes, cursus, &  
alia quæ homines super terram exercere solemus, in nubibus & aëre face-  
re putabatur. Tam multas & uarias ludificationes faciebat, ut omnes ultra  
quàm credi potest, mirarentur. Anno Gerungi abbatis trigésimo, Nort-  
manni cum inestimabili multitudine Coloniã, Traiectum, Tungris,  
Bunnam, cum omnibus uiculis & castellis adiacentibus comburunt & de-  
struunt. Palatium quoque Aquense, & monasteria nostri ordinis, Stabu-  
laus, Malmundarium, Prumiã, sancti Valarici & Richarij, ferro & igne  
deuastant, nulli parcentes sexui, non ordini, non ætati, sed omnes interfici-  
entes quos inuenire potuerunt. Post hæc Treuerim incendunt, ciues in-  
terficiunt, prædam abducunt. Ad Metensem urbem procedentes habito  
cum ciuibus prælio uictores existunt, in quo Vualo episcopus Metensis,  
cum multis alijs occubuit. Treuerensis autem archiepiscopus Bertolphus  
fuga lapsus euasit, qui tamen anno sequenti obiit. Eodem anno Carolus  
imperator Caluus, ex Italia proficiscens in Galliam, ueneno potatus mori-  
tur. Iohannes autem papa octauus Ludouicum Balbum filium eius unxit  
imperatorem: unde commoti Romani, custodiri papam ut captum, iubent:  
& Carolum cognomento Grossum, imperatorem eligunt: simulque ambo  
imperatoris nomen tenuerunt annis duobus, donec assumpto ueneno Lu-  
douicus Caroli Calui filius interiit. Et Carolus iste Grossus, solus impera-  
uit annis duodecim. Anno Domini 885, indictione tertia, Gerungus ab-  
bas Hirsaugiensis secundus moritur, anno regiminis sui trigésimo secundo,  
ætatis uerò suæ 71. prima die mensis Augusti, sepultus in ecclesia sancti  
Aurelij, iuxta Lintbertum antecessorem suum. Fuit autem uir per omnia  
Deo deuotus, & non minus in temporalibus circumspectus, quàm in spi-  
ritualibus disponendis idoneus. Cui Reginbodo successit, cuius tempore  
Nortmanni Vuormatiam subuertunt, sicut dicemus.

*Colonia, cū alijs  
destruitur.*

*Vualo episcopus*

*Carolus impera-  
tor obiit.*

*Gerungus abbas  
moritur.*

DE REGINBODONE TERTIO HUIVS MONA-

*sterij Hirsaugiensis abbate, qui præfuit annis sex, & de ge-  
stis illius temporis in Alemania.*

**G**erungo uenerabili huius monasterij secundo abbate mortuo atque  
sepulto, conuenientes in locum ad hoc deputatum fratres, quorum  
iam magnus erat numerus, elegerunt in abbatem quendam senem mona-  
chum, nomine Reginbodonem, hominem quietum, pium & misericor-  
dem, qui præfuit monasterio annis sex. Erat autem (sicut Meginfridus testis  
est in Chronica) natione Bauarus, ex notabili familia ortus, qui cum in iu-  
uentute à parentibus ad discendum literas, magistris traditus fuisset, doctus  
cum tempore in omni sciëntia tam humana quàm diuina euasit. Deinde ca-  
nonicus in Constantiensi ecclesia factus est, in qua multis diuitijs affluens,  
etiã animo defluere cœpit. Tandem reuersus ad seipsum, uanitatem præ-  
sentis uitæ ingemiscere cœpit, & quàm breuis in hoc mundo sit incolatus  
hominis, cogitare. Tandem post multos anfractus fluctuantium cogitationum  
uenit

*Reginbodo fit  
abbas.*

*Vita huius abba-  
tis Reginbodoni*

*Quomodo sit factus abbas.*

*Richodo scholæ præfuit.*

*De tyranno qui fratres inquietauit.*

*Vindicta Aurelij in tyrannum.*

*Ratbodo ex monacho archiepiscopus.*

*Sanctus Ansbaldus abbas mortuus.*

*Sanctus Reinbertus monachus episcopus.*

Venit ad Hirsaugiam & contēptis omnibus, quæ homines diligere in mundo consueuerunt, monachus pro Dei amore factus est, sub Gerungo uenerabili abbate. Qui deinceps omne studium ad pietatem conuertens, semper quantum humana permittit imbecillitas aut orationi erat intentus, aut lectioni sacræ scripturæ. Tantæ pietatis fuisse perhibetur, ut uictum suum pauperibus distribuens, sæpe ieiunus ipse permaneret. Mortuo autem Gerungo unanimi omnium cōsensu in abbatem electus est. Anno domini nostri Iesu Christi 885. indictione 3. & præfuit (sicut diximus) annis 6. Nam senio grauatus & exterorum occupationum impatiens, cum uitæ contemplatiuæ dulcedine iam dudum esset expertus, nec pateretur auelli, tandem sexto anno quo abbatiam susceperat uoluntariè resignauit, quæ admodum suo loco dicemus. His temporibus scholæ monachorum in hoc cœnobio sancti Aurelij præfuit post Ruthardum Richbodo discipulus eius, monachus & presbyter, tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis eruditissimus, qui ut Meginfridus ait, inter monachos sui temporis secundum non habuit. Nec dubium est, quin exercitando ingenium suum exemplo ueterum multa scripserit, quamuis nihil eorum ad nostram notitiam peruenit. Post electionem uerò Regnibodonis in abbatem, Eduuidus quidem tyrannus multum inquietare cœpit monasterium & fratres sancti Aurelij dicens, sibi deberi summam non paruam pecuniarum, quam Gerungo abbati quondam mutuasset. Qui cum multa minaretur incommoda, fratres qui mendacium hominis nouerunt, diuinum cœperunt implorare auxilium, sanctoq; Aurelio monasterij sui causam tuendam contra improbitatem tyranni commiserunt. Et ecce quadam nocte cum in crastinū dies placiti ab utraq; parte constitutus esset, apparuit tyranno sanctus præfuit in somnis dicens: Impie tyranne, quid tibi & fratribus meis, quos iniuste bonis suis spoliare disponis? Nō tibi cedit impune. His dictis diuus Aurelius baculum pastoralem leuans quæ manu gestabat, percussit in somnis tyrannum dicens, Accipe meritorum tuorum in me primitias, breui suscepturus grauiora, nisi mihi & fratribus meis mox satisfacere curaueris. At uerò tyrannus Eduuius tam pauore, quàm uerbere exporrectus, totam tam insolito clamore domū repleuit, ut omnes uerterentur in stuporem. Postero autem die lecto decumbens, fratres sancti Aurelij ad se uocauit, & corā uxore ac filijs iniuriarū ueniam petiuit. Quibus ut pro se orarent ad Dominū rogauit, promittens se magna facturum monasterio bona, si intercedentibus ipsis conualesceret. Qui non post multos conualuit dies, & sanctū Christi præfulem Aurelium, multis oblatiis muneribus sibi reddere placibilem studuit. Anno primo Regnibodi moritur Bertolphus archiepiscopus Treuerensis, monachus nostri ordinis, sicut supra iam diximus, cui successit in archiepiscopatu successor eius in Abbatia Mediolacensi Ratbodo abbas uir doctus, & in agendis prudentissimus, qui ecclesiæ suæ Treuerensi multa ab Imperatoribus dona & possessiones acquisiuit. Præfuit autē in archiepiscopatu ferè annis 36. & multa bona fecit. Anno secundo Regnibodi abbatis mortuus est Ansbaldus reuerendissimus abbas Prumiensis 4 idus Iulij, uir summæ sanctitatis ac religionis, qui ad cœlestem patriam feliciter transiuit. Cui in abbatia successit Farabertus uenerabilis pater 8 idus Augusti. Claruit his temporibus Rembertus ex monacho Corbeienlis cœnobij in Saxonia archiepiscopus Bremensis, uir in diuinis scripturis & secularibus literis doctissimus, qui scholæ monachorum publicæ multis annis in præfato monasterio gloriose docendo præfuit. Rexit autem ecclesiā Bremensem annis 9. & moriens, in Catalogum sanctorum relatus est, cuius festum



stum pridie nonarum Februarij agitur. Sepultus est in ecclesia Bremensi multis coruscans miraculis. Claruit etiam circa hæc tēpora Almannus monachus Altuilarensis uir undecunq; doctissimus, qui multa ingenij sui præ clara monumenta reliquit, de quibus alibi fecimus mentionem. Adreualt qui & Adelbertus monachus Floriacensis, uir in omni scientia eruditus, qui & ipse uiuacitatem ingenij multimoda editione librorum ostendit, his ipsis temporibus inter monachus clarus habetur. Remigius quoq; monachus Altisiodorensis, & postea cuiusdam ecclesiæ, ut ferunt episcopus, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & in scientia secularium literarum nobiliter doctus, hæc tempora docendo & scribendo illustrauit, de cuius operibus in secundo libro illustrium uirorum ordinis nostri fecimus mentionem. Anno Reginbodonis quarto, qui fuit Domini 889, indictione 7, moritur Richbodo monachus huius monasterij, qui scholæ publicæ apud Aurelium post Ruthardum magistrum annis fermè 24 præfuit, & in omni scientia discipulos probè instructos complures reliquit. Post quem Harderodus monachus natione Francus docēdi officium accepit, quod uix Bientio implens in abbatem assumptus est. Anno abbatis Reginbodonis quinto, Carolus Imperator cognomento Grossus, post multa quæ gesserat bella corpore & animo debilitari cœpit, qui ueniens Triburias & cōuocatis principibus, paulatim ab omnibus miserabiliter derelictus est. In cuius locum Arnulphus filius Carolomāni imperauit annis 12. At Carolus non multo post moriens sepultus est in monasterio Augiēsi pridie idus Iunij. Eodem quoq; anno moritur Linbertus archiepiscopus Moguntinus, cui S. Sunderoldus monachus Fuldenis successit, uir omni sanctitate & religione conspicuus, quem Nortmāni paulo post occiderunt. His temporibus mortuo Imperatore Carolo, Itali regnum diuiserunt, quorum una pars Berengarium filium Eberardi, qui ducatum Foroiulianorum tenebat, alia uerò Guidonem filium Lamperti ducem Spoletanum regem sibi delegit: qui inter se conferto prælio, Guido uictor euasit, & Berengarium de regno expulit. Salomon ex monacho sanctæ Constantiensis ecclesiæ episcopus hoc anno moritur, cui successit eiusdem nominis Salomō abbas sancti Galli, uir non solum nobilitate, uerum etiam prudentia ac sapientia insignis, qui præfata urbis tertius eius nominis dignoscitur esse pontifex. Eodem anno Arnulphus episcopus Herbipolensis in Saxonia, occisus est inter missarum solennia satis crudeliter, postquam ecclesiæ præfata præfuit annis 37. & mensibus 7. Arnoldus siue Arnulphus Imperator Romanorum post Carolum Grossum habuit uxorem Lucardam filiam Vuelphonis ducis Bauariæ, quæ peperit ei duos filios & unam filiam. Quorum primogenitus Ludouicus postea Imperator fuit. Secundo genitus nomine Conradus, dux Lotharingiæ, cuius filius eiusdem uocabuli etiam Imperator postea factus est. Porro filia Lucarda nomine quæ Ottoni duci Saxonum data fuit in uxorem, peperit Henricum postea imperatorem primum. Ducem uerò Lotharingiæ Conradum prædictum filium Arnulphi, interfecit Adelbertus comes Bambergensis, quem Henricus Nepos Imperator factus, dolo Hattonis archiepiscopi Moguntini interceptum capite truncauit, sicut inferius suo loco dicemus. Anno autē Domini 890. Reginbodo abbas senio grauatus, cum sentiret se per occupationes rei familiaris ab internæ dulcedinis contemplatione retrahi, & gauderet se ad statum pristinæ quietis posse reuerti, abbatiam suam sponte resignauit 12. cal. decembris anno promotionis suæ nondum sexto completo. Qui ad priuatæ conuersationis statum reuersus tam sanctè & religiosè uixit, ut omnibus non solum in exemplum cederet, ue-

Almannus.

Adreualdus.

Remigius.

Richbodo.

Harderodus.

Arnulphus.

Sunderoldus.

Salomon.

Episcopus occiditur in Nissa.

Arnulphi Imperatoris uxor &amp; liberi.

Reginbodo abbatiam suam resignauit.

Quam sancte potest uixerit.

*Verbū notabile.*

rum etiam cuncti fratres tantam in se pœnitendi constantiam & uitæ auctoritatem non agnoscentes, de senis feruore multum admirarentur. Rigorem siquidem monasticę conuersationis usq; ad mortem, quem semel assumpserat, non reliquit. Erat in oratione & compunctione mentis continuus, setq; usque adeo uigilijs & ieiunijs pro amore cœlestis patrię afflixit, ut omnes grandæuus imperaret iuniores. Interrogatus aliquando à fratribus, quare se tantum affligeret, qui tamen nullum enorme peccatum in religione commisisset: respondit: Etsi gratia Dei me protegente ex eodie quo monachus factus sum, nullum enorme peccatum (sicut dicitis) commisisse me memini, multa tamen interea boni operis exercitia negligenter omisi: & ex eo maximè tempore, quo Abbas esse cœpi, maioribus me negligentijs inuolui. Afferre enim plures negligentias, quàm uirtutes, nostris diebus prælatura consueuit. Oportet ergo nos fratres, quamdiu uiuimus pœnitentiam agere, & usque ad mortem à bonis operibus non cessare. Et ipse quidem uenerabilis senex Reginbodo in sancta conuersatione sua firmus & constans perseuerauit usq; ad mortem.

DE HADERADO QVARTO, HVIVS MONASTERIJ HIRSAUGIENSIS UENERABILI ABBATE, QUI PRÆFUIT STRENUÈ ANNIS OCTODECIM.

*Haderadus abbas quartus.*

*Vita Haderadi abbatis.*

*Laudabilis in monasterijs consuetudo fuit habere scholas.*

*Quàm magna ueterum diligentia literarum.*

POST resignationem uerò Reginbodonis sanctissimi uiri, conuenientes in unum fratres, unanimiter elegerunt in abbatem Haderadum uenerabilem monachum, qui scholis fratrum præfuit, annis quidem iuuenem, utputa triginta annorum, moribus autem & prudentia multis senibus seniore. Electus est ergo dominicę incarnationis anno 890. indictione octaua, eodem uidelicet die 12. calend. septembris, quo antecessor eius resignauit, & præfuit monasterio annis uiginti octo. Fuit autem natione Francus, honestis parentibus genitus, qui ordinem monasticum intrauerat sub Gerūgo abbate adolescentulus: & tam pie religio setq; uixerat ad omnem obedientiam paratus, ut alter Placidus ab omnibus uocaretur, nec immeritò. Erat sanè tam placidæ mētis, ut nemo unquam ira perturbatum illum meminerit. Tam uerò studiosus in scripturis fuit, ut post magistri sui Richbodonis uenerandi decessum, in locum eius subrogatus, publicam scholam monachorum in hoc monasterio sancti Aurelij strenuè regeretur, quod illo in tempore pro magno honore habebatur. Monachus enim ad hoc officium requirebatur doctissimus, non solùm in scripturis diuinis, sed etiam in literis secularibus. Erat autem his temporibus in monasterijs nostri ordinis (alterius in Europa Germaniæ & Galliæ nulla fuerunt) hæc consuetudo celeberrima, ut scholæ monachorum in singulis penè cœnobijs haberentur, quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi: qui non solùm in diuinis scripturis docti essent, uerùm etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometrica, Musica, Rethorica, Poësi, & in cæteris omnibus secularis literaturę scientijs eruditissimi haberentur. Ex his multi non solùm in Romana lingua docti erant, sed etiam in Hebraica, Græca & Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facile dinoscitur: quanquam uitiò scriptorum, qui à primeua institutione præceptorum paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam prouinciã in suo cœnobio monachum abbas minimè habuisset, de aliquo alio monasterio petere aptum, non erat uerecundum. Maximum enim dedecus iudicabant, dociles animos monachorum negligere, quos ut moribus & literis bene instituere possent, nullis laboribus;

bus, nullis parcebant impensis. Sic namq̄ doctissimus ille monachus Gemblacensis Sigebertus, multo tempore in cœnobio sancti Vincentij Metensis, monachorum præceptor, quanquam de alio monasterio fuit. Ita Strabus monachus Fuldensis in Hirsfelda, Notgerus sancti Galli in Stabulaus, Albinus monachus Anglicus in Fulda, Milo sancti Amandi in Corbeia, atq̄ alij complures in alijs monasterijs, docendi ad tempus tenuerunt officium, ubi conuersionis primordia sumpserunt. Hæc autem consuetudo sanctissima primùm in Angliã cœpit, ubi uenerabilis ille monachus & presbyter Beda monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos. Quantum uerò hæc monachorum institutio ordini nostro profuerit, nemo ignorat, qui ueterũ historias studiosius reuoluit. Multi enim ex monachis propter scientiam literarum incomparabilem, ad episcopatus honorem sublimati sunt, qui ordinem nostrum uita & doctrina mirabiliter illustrarunt. Nam etiam si studium literarum nihil conferret ordini, quàm utilem occupationem monachorum, esset nihilominus maxima ueneratione à nobis promouendum: quia nisi mens hominis claustralis aliquo exercitio occupetur delectabili, in multas & uarias miserias dilabitur. Quod sancti patres probè intelligentes, lectionem scripturarum monachis omnino uoluerunt esse familiarem. Huius sanctæ consuetudinis amator Haderadus noster, de quo nobis est sermo, studium literarum ad eò complexus est, ut breui in omni literatura tam seculari quàm diuina, doctissimum euaserit. Qui post quàm in abbatem sublimatus est, scholæ monasticæ præfecit condiscipulum olim suum Linthelmum, doctissimum in omni scientia monachum, natione Sueuum, ex humilibus quidem, sed honestis parentibus natum: qui tantam in docendo monachos diligentiam fecisse legitur, ut multos iam deinceps propter inæstimabilis scientiæ prærogatiuam, ad diuersa cœnobia monachos Hirsfaugiensis congregationis abbates & plerosq̄ etiam episcopos fieri contingeret. Circa hæc tempora Haderadi abbatis, Arnulphus imperator, Notmannorum exercitum superans in bello, pene deleuit: qui tamen resumptis uiribus, multa in imperio postea perpetrarunt mala. Nam anno sequenti, qui erat Dominicæ in carnationis 891, ciuitatem Vuormatiensem quæ imperio semper in omnibus fidelissima extitit, occisis habitatoribus subuerterunt: & sanctũ Sonderoldum ex monacho archiepiscopum Moguntinum, uirum uita & doctrina reuerendissimum, 6 cal. Iulij, quæ fuit dies sabbati, occidentes, martyrem fecerunt. Haderadus uerò abbas audiens quæ Nortmãni in Vuormatia fecissent mala, metuens ne Rheno transmissis omnem circa regionem deuastarent, usus consilio fratrum testudinem in ecclesia S. Aurelij subterraneam fecit, in qua corpus ipsius sancti, cum tabula in inscriptionem nominis & dignitatis eius continente tam subtiliter abscondit, ut reperiri à nullo hominum potuisset: quod ibi remansit usq̄ ad tempora Adelberti comitis omnino incognitum. Nam non longè postea Nortmãnis ab imperio expulsi, Vngari Bauariam, Sueuiam & Saxoniam deuastare cœperunt, quibus cum alia atq̄ alia succederent in omni prouincia Germaniæ prælia, corpus sanctissimi præsulis in tuto reconditum necessariò remansit. Fecit etiam Haderadus alias quassdã subterraneas foueas in secretioribus monasterij locis, in quibus calices, cruces, & alia diuini ministerij ornamenta potuissent abscondi, si contigisset Nortmannos propius accessisse. Sancto autem Sonderoldo per Nortmannos (ut prædiximus) occiso, Hatto Augiensis abbas in archiepiscopum Moguntinensem eligitur, uir quidem obscurus genere & nulla nobilitate insignis, sed acutus ingenio, de quo sit iudicare difficilè, melior consilio fue

*Quàm utile sit monachis studiũ literarum.*

*Linthelmus fit magister scholæ.*

*Imperator contra Nortmannos.*

*Archiepiscopus Sonderoldus martyrizatur.*

*Corpus S. Aurelij sub terra absconditur.*

*Hatto Augiensis abbas fit archiepiscopus Moguntinus.*

ritur, et prior. Præfuit autem ecclesiæ Moguntinæ uno & uiginti annis. Anno tertio Haderadi abbatis, qui fuit Domini 892 Ungari Carinthiam inuadunt, & in sabbato sancto pugna commissa uincuntur & occiduntur. Eodem anno Nortmanni monasterium Prumiense iterum inuadunt. Abbas cum fratribus fuga lapsus uix euasit, ingressi cœnobiū quosdam ex monachis interficiunt, plurimamq; familiam trucidantes, reliquos captiuos abducunt. Eodem anno Farabertus abbas Prumiensis, annuente rege Francorum, abbatiam suam sponte resignauit: cui Regino monachus eiusdem cœnobiij successit, uir uita & eruditione celeberrimus: qui inter cetera ingenij sui opuscula transacti temporis Chronicon scripsit, ad Adelberonem Treuerensem Archiepiscopum, incipiens ab origine mundi usq; ad tempora sua, opus profectò celeberrimum & lectione doctorum uirorum dignissimum. Claruit circa hæc tempora apud Moguntiam in monasterio sancti Albani Rupertus monachus undecunq; doctissimus, Græcæ & Latinæ peritus, qui scholæ monachorum in eodem loco publicè præsidens, multa ingenij sui monimenta posteris reliquit. Extant eius Homiliæ & Sermones non inelegantes: uitam quoq; & passionem sancti Albani metricè descripsit. De Musica proportionem nonnulla composuit. Sebulo quoq; abbas sancti Dionysij uir nobilis & potens, apud Gallos habetur in pretio, quem etiam reges propter sapientiam prudentiamq; admirabilem timebant. Qui cum castrum quoddam in Aquitania situm ardentius expugnaret, ictu lapidis percussus interijt anno sequenti. Circa hæc tempora floruit Eutrandus Ticinensis diaconus, uir Græcæ & Latinæ peritus, & in secularibus literis non infimè doctus, qui inter cetera ingenij sui opuscula historiã actuum Berengariorum edidit, quam Græco uocabulo Antipedosin, id est retributionem appellauit. Retribuit enim Berengario Tyranno in Italiã coactus sit. Inchoauit ipsam historiã suam in Franckfordia non longè à Moguntiaco, & in Græcia compleuit. His etiam temporibus claruit in Burgundia Berno ex comite fundator & primus abbas Gigniacensis monasterij, uir sanctitate & religione uenerabilis, qui etiam dono & impensis auitæ comitissæ Cluniacense monasterium construxit, cui præfecit in abbatem primum sanctum Odonem quendam Musicum Thuronensem, uirum doctum atq; sanctissimum, qui scripsit nonnulla ingenij sui præclara opuscula, de quibus mentionem iam fecimus in secundo libro de illustribus uiris nostri ordinis. Pascalius quoq; Ratbertus abbas Corbeiensis his diebus clarus habetur, qui scripsit ad Placidū abbatem de sacramento altaris libellum non spernendum: uitam quoque sancti Adelhardi: in Threnos quoque prophetæ Hieremiæ pulcherrimum opus. Qui cum Græcæ linguæ non esset ignarus, etiam transtulisse quædam Latinæ perhibetur. Sanctus quoque Adalgarius, ex monacho Corbeiensis cœnobiij archiepiscopus Bremensis, his temporibus claruit, & 20 annis ecclesiam suam strenuè gubernauit, uir doctus atque sanctissimus, cuius festum idibus Maij colitur. His temporibus sub Haderado abbate & Luithelmo scholastico claruerunt, multi studiosi atq; doctissimi monachi in hoc monasterio, è quibus unus nomine Sigismundus in episcopum Haluerstatensem electus uerbo & exemplo, populo sibi commisso strenuè præfuit annis fermè 30: iacetq; sepultus in eadem ecclesia. Cuntzigo quoq; monachus ualde uenerabilis, imperante Arnulpho factus est abbas monasterij sancti Nazarij in Laurissa Vuormatiensis diocœsis, qui tamen uix uno anno superuivens

moris

moritur, & in eodem monasterio sepelitur. Fuit etiam inter eos monachus alius nomine Herdericus, uir in omni literatura tam seculari quam diuina doctissimus, qui multa & uaria conscripsit maximè in musica, & cantus pulcherrimos in honorem beatæ Mariæ & diuersorum sanctorum, multa etiam diuersi generis carmina scripsit, è quibus ego non uidi quicquam præter hos duos uersiculos, quos Meginfridus ei in Chronica adscripsit, super benedictionem cibi & potus dicendos,

Appositis Christi benedicat dextera donis,

Alma Dei nostrum benedicat dextera potum.

Anno Haderadi abbatis sexti, qui fuit domini 896, indictione 14, synodus magna celebrata est apud Triburias, in qua fuerunt uigintiseptem episcopi cum multis abbatibus Saxonie, Buarie, Sueuie, Gallie, Lotharingie & aliarum prouinciarum. Inter episcopos autem isti fuerunt famosiores: Hatto archiepiscopus Moguntinensis nostri ordinis, ex abbate Augien. Ratbodo archiepiscopus Treuerensis nostri ordinis, ex abbate Mediolanensi: Hermannus archiepiscopus Coloniensis: Adalgarius archiepiscopus Bremenensis nostri ordinis, ex monacho Corbeiensi: Sigismundus episcopus Halterstatis nostri ordinis, ex monacho huius cœnobij Hirsaugienensis: Ratbodo episcopus Traiectensis uir doctus atque sanctissimus: Sigehardus episcopus Hildesheimensis: Ludhelmus episcopus Tullensis nostri ordinis, ex monacho sancti Maximini Treuerensis: Rudolphus episcopus Herbipolensis: Salomon Constantiensis episcopus nostri ordinis, ex abbate sancti Galli. Porro inter abbates isti erant præcipui, Herigerus abbas Fuldenensis, Haderadus abbas Hirsfeldensis, Haderadus abbas sancti Aurelij Hirsaugienensis, Burchardus sanctorum Marcellini & Petri Selgenstatis, Adelbertus abbas Corbeiensis, Vuilhardus abbas sancti Albani Moguntinensis, Bertulphus abbas sancti Ferrucij Bildenstatis. In hac sancta synodo residentes episcopi cum abbatibus monasteriorum, multa pro utilitate ecclesiastica statuerunt, & maximè contra quosdam seculares, qui auctoritatem episcopalem deprimere & minuere laborabant. Super his ergo & multis alijs decreta sanxerunt, quæ subscriptione communi, ut moris est, roborarunt. Clarus habebatur his temporibus Elfredus rex Anglorum, qui anno decimotertio Haderadi abbatis regnare cœpit, & 40 annis regnauit, uir in omni conuersatione sua Christianissimus, prudentia & eruditione scripturarum quoque celeberrimus, qui horas 24 diei noctisque in tres partes distribuens, primas octo horas in legendo, scribendo, meditando & orando expendit, alias octo in disponendis regni negotijs, & reliquas octo in cura corporis sui prudentissima distributione consumpsit. Anno Haderadi abbatis nono, Regino Prumiensis abbas, quem admodum in sua chronica scribit, depositus est: causas autem depositionis non expressit, sed ita dicit, anno domini 899 Richarius abbas monasterij Prumiensis constituitur, qualiter autem erga me actum sit, idcirco hoc in loco annotare distuli, ne forte iniurijs prouocatus, ultra quam Christiana patientia permittit, persecutionis meæ causas exaggerasse uiderer. Ex quibus uerbis conijcere possumus, eum cum iniurijs abbatia depositum, quæquam causas ignoremus. Eodem anno Arnulphus imperator moritur 3 calend. decemb. sepultusque est honorificè in Odingas in Buaria, ubi & pater eius tumulatus iacet. Cui filius eius Ludouicus, procerum electione succedens imperauit annis 12. uerum post mortem Arnulphi imperium confunditur, dolentibus Romanis atque uniuersis Italiae populis, quod in Germaniam

Herdericus.

Synodus magna Triburijs celebratur. Nomina episcoporum in synodo presentium.

Haderadus interfuit.

Elfredus rex Anglorum.

Regino abbas deponitur.

Arnulphus.

Ludouicus filius succedit.

translatum esset. Quamobrem nec à Romanis, nec à summo pontificē deinceps insigniti sunt Germanici imperatores, usque ad primum Ottonem. Vnde in Italia quidam Berengarij usurparunt imperium.

*Berengarij in Italia regna t.*

*Vngari Bauarid deuastant.*

Anno Haderadi abbatis decimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis noningentesimus annus, Vngari, morte Arnulphi imperatoris audita, maximo exercitu collecto, Bauaricæ fines inuadunt, castella diruunt, Ecclesias igne consumunt, populosq; sine discretione sexus, ætatis uel ordinis interficiunt: & quo magis timorem super omnibus incutiant, interfectorum se sanguine potant. At Ludouicus imperator, suorum depopulationem non ferens, conferto cum Vngaris prælio, iuxta flumium Augustam præterfluentem, qui Lycus dictus est, mille ferme ex eis interfecit. Sed Vngari, positis insidijs tandem uictores euadunt, ac deinde Bauarorum, Sueuorum, ac Francorum regna percurrunt, cunctaq; uastando incendunt.

*Bellum in Vngaris.*

*Ambrosius.*

Claruit his temporibus Ambrosius, qui & Ansbertus est dictus, monachus nostri ordinis, uir tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis doctissimus: qui scripsit in Cantica Canticorum insigne uolumen: in Psalterium quoque, & Apocalypsin beati Ioannis Apostoli: de Cupiditate quoque non contemnendum opusculum: & quædam alia, quæ nobis ad memoriam non recurrunt.

*Remensis episcopus interficitur.*

Anno Haderadi abbatis decimotertio, Falco Remensis archiepiscopus, à quodam satellite Baldeuini comitis Flandriæ crudelissimè interficitur, propter abbatiam sancti Vedasti, quam uterque habere contendebat: Episcopus ex donatione Caroli regis Francorum, comes nullo sibi concedendam iudicante.

*Episcopus Herbipolensis expellitur.*

Anno eodem, Adelbertus comes Bambergensis Rudolphum episcopum Herbipolensem de sua ecclesia fugat, & totam diocesin deuastat.

*Conradus rex interficitur.*

Anno autem sequente, Conradum ducem Lotharingiæ, patrem Conradi primi imperatoris, qui erat frater istius imperatoris Ludouici, quem admodum iam supra diximus, idem Comes Adelbertus in bello quodam in Hassia, iuxta Fridislariam interfecit, tertio calendas Martij. Erat enim imperatori Ludouico comes idem aduersarius, propterea quod pater eius Conradus dux, fratrem suum antea interfecerat.

*Conuentus.*

Eodem anno Haderadi abbatis decimoquinto, in mense Iulio, Ludouicus rex generalem conuentum principum habuit, apud Triburias uilla regia, non longè à Moguntiaco, super Rhenum, quæ modò deserta nullum pristini honoris uestigium tenet, præter muros castelli dirutos. Est autem inter ciuitates Oppenheim & Moguntiam, per Rhenum descendibus ad manum dexteram, locus ubi quondam hæc uilla imperialis cum castro & monasterio pulcherrimo sita fuerant, pauculas modò habens domunculas rusticorum, Inde Ludouicus, mouens exercitum per Franconiam, castrum quoddam comitis Adelberti, quod appellatur Tharissa, & est nunc monasterium nostri ordinis, in diocesi Herbipolensi, cinxit obsidione, & cepit. Adelbertus autem comes non erat in eo, sed cum exercitu suo ualidissimo in castello Bambergensi, quem dolo & deceptione Hattonis archiep. scopi Moguntinensis ad se ductum, capite truncauit, quinto iduum Decembris. Porrò castellum illud Tharis in monasterium ordinis nostri commutatum est, in quo & idem comes Adelbertus perhibetur esse sepultus. Distat autem à Bambergæ per descensum Moguntini

*Alia Larissa.*

*Adelbertus comes occiditur.*

ni, quatuor milliaribus nostris Germanicis.

Eodem anno Haderadi abbatis decimoquinto, qui fuit Domini noningentesimo quinto, post mortem Benedicti papæ quarti, Leo monachus nostri ordinis de Brandalo, in summum pontificem eius nominis quintum electus, sedit dies quadraginta. Habebat domi Christophorum quendam presbyterum, subdolum, qui dominandi libidine ductus papam coniecit in uincula, ubi non multo post ex animi dolore moritur. Inuadensque pontificatum, quem sicut malè acquisiuit, ita post menses septem turpiter amisit, trususque per Sergium in monasterium, nolens monachus factus est.

*Leo monachus  
fit papa.*

Anno Haderadi abbatis decimonono, Vuymo monachus Corbeiensis in Saxonia nostri ordinis, uir doctus & sanctus, in archiepiscopum Bremensem electus præfuit annis octodecim, qui postea pro Dei amore Gothiam ingressus, illis populis uerbum Dei prædicauit, & post aliquot annos ibidem mortuus & sepultus multis miraculis coruscavit.

*S Vuymo.*

Hisdem temporibus claruit in eodem cœnobio Corbeiensi, uir ualde doctus Sigebertus, monachus, discipulus præfati Vuymonis sanctissimi pontificis & socius peregrinationis, qui mortuo illo in Gothia, ad monasterium reuersus uitam eius gemino stylo descripsit, hoc est metrico & prosaico. Scripsit etiam quædam alia, quorum in secundo illustrium uirorum nostri ordinis libro, iam dudum fecimus mentionem.

*Sigebertus.*

Anno Haderadi abbatis uigesimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis noningentesimo decimo, Franci orientales & Saxones multa cum Ungaris bella gesserunt, sed parum profecerunt.

*Ungarorum in-  
curjus.*

Eodem anno Adelbero monachus cœnobij huius sancti Aurelij Hirsaugiensis, discipulus Luithelmi, scholasticus factus est in monasterio sancti Albani prope Moguntiam, ubi magna tunc multitudo uiguit monachorum: quos quum gloriose in omni scientia scripturarum tam secularum quam diuinarum instrueret, magnam eruditionis suæ famam apud omnes in circuitu homines acquisiuit, qui post paucos annos per archiepiscopum Herigerum abbas sancti Ferruchij factus est. Erat enim uir dignis honore, non solum propter incomparabilis scientiæ doctrinam, qua præ cæteris multis fuit insignis, sed etiam propter prudentiam & uitæ omnimodam sanctitatem.

*Adelbero.*

Anno Haderadi abbatis uigesimo secundo, Ludouicus imperator mortuus est sine liberis. Habuerat quidem uxorem Lutgardem, filiam Ludolphi ducis Saxonum, sororem ducis Ottonis, sed liberos ex ea non accepit. In cuius locum electus est à principibus Conradus primus, filius Conradi ducis Lotharingiæ, & fratris prædicti Imperatoris Ludouici, quem Comes Bambergensis Adelbertus (ut supra dictum est) in bello peremit. Iste Conradus, ultimus fuit imperator de stirpe Caroli Magni, & imperauit annis septem. Contra hunc erexerunt se multi principes, scilicet Arnoldus dux Bauariæ, quem ad Ungaros cum uxore & liberis fugere compulit. Burcardus dux Sueniæ: Euerardus comes Francorum, Gisibertus dux Lotharingiæ, & potentissimus Saxoniam ac Thuringiam dux Henricus filius Ottonis post eum imperator. Hos tamen omnes, Conradus tam sapientia quam fortitudine citò suam retraxit in partem.

*Ludouicus.*

*Conradus.*

Anno autem Haderadi Abbatis nostri uigesimo quarto, & Domini nostri Iesu Christi anno noningentesimo & decimo

quarto Imperij Conradi secundo, Vngari gladio & igne iterum deuaſtante totam Alemaniam, uenientes usque ad Fuldam, Alſaciam & Baſileam.

*Betto.* Hiſtemporibus Betto monachus noſtri ordinis & præpoſitus monaſterij ſanctę Columbę, ſit epiſcopus Altiſiodoreniſis, uir doctus & religioſus, qui à pueritia ſua monaſticis diſciplinis optimè inſtructus fuit. Anno uigeſimo ſecundo Haderadi abbatis Hatto archiepiſcopus Moguntinenſis moritur: cui Herignus ſucceſſit. Anno autē 27 abbatis Haderadi ſanctus Ratbodo Traiecteniſis epiſcopus migravit ad Dominum tertio calendas Decembris, qui fuit uir doctus atque ſanctiſſimus, ſpiritu prophetiæ plenuſcriptiſit quoq; multa in laudibus ſanctorum opuſcula. Requieſcit Dauentrię miraculis clarus. Circa hæc tempora claruit VuiPERTUS uir nobiliſ, diues & potens in ſeculo, qui fundauit monaſterium ordinis noſtri in diocęſi Leodiēſi, nomine Gemblach. Cuius cū ſtructuram perfeciſſet, introductiſ monachiſ & abbate, ipſe depoſito ſeculari habitu, monachus in eodem cœnobio factuſ, uita & conuerſatione claruſ effuſſit. Claruit etiam hiſ diebus apud monaſterium ſancti Galli Vuiberaſiſ ſanctimonialiſ fœmina, quę pro Dei amore incluſa, die noctuq; orationibuſ, ieiunijs, & ſanctiſ meditationibuſ inſtans, prophetiæ ſpiritu meruit illuſtrari. Ipſa prædixit ſancto Vdalrico tunc apud ſanctum Gallū inter monachos conuerſanti, quod futuruſ eſſet epiſcopuſ in eccleſia Auguſtēſi, quod uerum poſtea rei probauit euentuſ. Anno Domini 918. indiſtione 6. Haderaduſ abbas huiuſ cœnobij quartuſ, moritur quarto iduſ Auguſti, anno regiminis ſui 28. cui in abbatiā ſucceſſit Rudolphuſ monachuſ, qui præfuit monaſterio & fratribuſ annis 7. quemadmodum dicemus, uir grandęuſ, & non multum ad regimen utiliſ.

DE RUDOLPHO, QVINTO HVIVS MONASTERIJ abbate, qui præfuit annis ſeptem, & quibuſdam geſtiſ illiuſ temporis in Alemania.

*Rudolphuſ.* **M**ortuo Haderado uenerabili abbate, ſicut diximus 4 iduſ Auguſti, atq; iuxta morem honorificè ſepulto, Rudolphuſ monachuſ quidam ætate prouectuſ, in eiſ locuſ ſubrogatuſ, per electionem fratrum præfuit annis ſeptem, ſub cuiuſ regimine diſciplina regulariſ non multum profecit. Fuit enim uir piuſ nimium & liberaliſ, ne dicam prodiguſ, qui poculiſ delectaretur & conuiujiſ. Vnde & temporalia neglexit & ſpiritualia minimè conſeruauit. Vnde fratres poſt annos duos eum deponere uolenteſ, non potuerunt, propter aſſiſtentiam amicorum, quorum inter ſeculariſ res multoſ ſibi comparaiſſe muneribuſ & doniſ ferebatur. Eodem anno quo Haderaduſ abbas uenerabiliſ obijt, mortuſ eſt & Conraduſ imperator primuſ, decimo calend. Ianuarij, ſepultuſ in monaſterio Fuldēſi iuxta altare ſanctę cruciſ, qui priuſquam moreretur lecto decumbenſ, cū à principibuſ interrogaretur, quem ſibi conſuleret eligendum in ſucceſſoreſ, reſpondit, Melioreſ ſcio neminem Saxonum duce Henrico, qui eſt uir optimuſ, prudēſ & inclytuſ, per quem imperiuſ facile ad ſtatuſ priſtini poterit reformari: ipſum confidenter eligitē, quia potēſ eſt uoſ defendere, & amiſſa recuperare. Ita que Henricuſ dux Saxonum in imperiuſ electuſ conſilio Conradi imperauit annis octodecim. Incepit autē anno Rudolphiſ abbatiſ primo, dominicę uidelicet natiuitatiſ, 919. uir paciſicuſ, cultor iuſticię, magnificuſ, & iniquorum extirpator acerrimuſ. Anno Rudolphiſ abbatiſ tertio, cū ipſorum fratres propter inordinatam conuerſationem ab officio ſuo uellent deponere, non potuerunt propter uim & minas

*Conraduſ Imperator primuſ, moritur.*

*Henricuſ imperator primuſ.*



mnas amicorum, quos partim sanguine, partim munere sibi fecerat & habuerat defensores. Vnde coacti patientiam habuerunt, quo usq; dominus Deus aliter ordinare negotium disponderet. Eodem anno Adelbero monachus huius cœnobij, qui ante aliquot annos apud S. Albanū Moguntia scholasticus monachorum constitutus fuerat, electione fratrum & promotione archiepiscopi Moguntinensis fit abbas monasterij sancti Ferrucij, quod alio nomine Blidenstadt appellatur. Hoc ipso anno Luithelmus monachus & scholasticus apud sanctum Aurelium moritur, uir uita & eruditione clarissimus, multos post se doctissimos relinquens discipulos, quorum multi in diuersis monasterijs sunt facti abbates & quidam etiam episcopi. His fermè temporibus, monasterium nostri in Saxonia fundatur ordinis, quod Ringelheim uocatur, à Theodorico comite eiusdem loci. Huius comitis filiam Mechtildem, Henricus imperator primus duxit uxorem, quæ peperit ei tres filios & quatuor filias: Brunonem, qui fuit postea archiepiscopus Coloniensis. Ottonem imperatorem primum, & Henricum ducem Bauariæ. Mechtildis prima filia fuit abbatissa nostri ordinis in Quedelburg Gerburga secunda filia primò nupsit Lothario regi Francorum, quo mortuo iterum nupsit Giselberto duci Lotharingiæ. Tertia filia Rixa nomine, nupsit Rudolpho duci Bauariæ. Quarta nomine Haduigis, nupsit Hugoni Parisiensi comiti, qui postea rex Francorum factus est. Anno Rudolphi abbatis quarto, Henricus rex Vngaros Saxoniam exigendo tributum peruagantes de finibus suis expulit, cælis eorum exercitibus. His temporibus præfuit in monasterio post Luithelmum scholæ publicæ monachorum Diethardus monachus, uir in omni literatura tam diuina quàm seculari doctissimus, qui nonnulla fertur scripsisse opuscula, sed ad notitiam nostram non uenerunt. Claruit etiam his diebus Gildericus ex abbate monasterij sancti Germani nostri ordinis episcopus Altisiodorensis ecclesiæ, uir moribus & doctrina ualde uenerabilis, qui multa bona præfatæ ecclesiæ suis laboribus impendit. Rutgerus quoq; Treuerensis ecclesiæ archiepiscopus post Rabbodum his temporibus clarus habetur, qui inter cætera ingenij sui monimenta librum decretorum composuit, quem in Synodo coram suffraganeis suis apud Treuerim producens in publicum approbavit. Henricus imperator circa hæc tempora fundauit ecclesiam Misnensem, & posuit in ea sedem Episcopalem, eiusq; pontificem magnis priuilegijs honorauit, deditq; illi terras multas, uicos, uillas & castella, quatenus per eum etiam Vngaris incurstantibus terram, facilius posset resistere. Interea etiam cum per nouem annos pacem fecisset cum Vngaris, multas in Saxonia ciuitates, muris & fossatis munitissimas fieri procurauit, ut si hostes denuò irruerent, Christiani murorum se præsidio tuerentur. Anno Rudolphi abbatis sexto, qui fuit dominicæ natiuitatis 924, mortuus est monachus quidam huius cœnobij nomine Adelhardus, qui sub Haderado abbate quondam in scripturis diuinis & secularibus ad plenum instructus, nescio qua occasione tantam capitis incidit molestiam, ut post biennium cæcus fieret, amisso autem lumine uisus, dolor etiam capitis cessauit, & factus est homo præter cæcitatem sanissimus: inde cum iam cæcus factus, præsentis uitæ dulcedinem magna ex parte amisisset, fecit ex necessitate uirtutem, seq; totum diuinis exercitijs mancipauit, & omni quam potuit uirtute fidelem se Dei cultorem exhibere studuit. Nemo illum deinceps mundanis unquam uidit negotijs intentum, non moribus leuem, non uerbis ociosum, semper aut orationi aut meditationi, crebrius tamen contemplationi erat intentus. Tanta uerò compunctionis & deuotionis extitisse perhibetur, ut

*Adelbero fit abbas S. Ferrucij. Luithelmus scholasticus moritur.*

*Monasteriū Ringelheim fundatur. Filij Henrici Imperatoris.*

*Vngari cæduntur in Saxonia.*

*Diethardus monachus scholasticus. Gildericus ex monacho episcopus. Rutgerus episcopus Treuerensis.*

*Episcopatus Misnensis fundatur.*

*Adelhardus.*

Quod spiritum  
prophetiæ ha-  
buerit.

Quam religiose  
decesserit.

Rudolphus ab-  
bas moritur sub  
quo disciplina te-  
puit.

quotiescunq; de passione domini nostri Iesu Christi aliquid coram eo di-  
ceretur aut legeretur, mox resolutus in lachrymas cum rugitu clamauerit  
ita, quod etiam alios qui fuissent præsentés ad fletū prouocauerit. Eius autē  
tam pura & Deo grata conuersatio fuit, ut spiritū cōsequi meruerit prophe-  
tię. Multa enim sæpe futura prædixit, quæ rei euentus uera probauit. Nā &  
triennio antequàm moreretur, diem & horam obitus sui futuri, quibus-  
dam ex fratribus aperuit. Desolationem quoq; huius monasterij, quæ post  
annos fermè 80, subsecuta est, tam clarè prædixit, ac si eam præsentem ante  
oculos positam cerneret. In eius transitu, sicut Meginfridus monachus scri-  
bit, auditæ sunt in aëre angelorum dulcissimæ cantantium uoces, noctu su-  
per sepulchrum eius lampades uisę, & quædam alia iudicia sanctitatis. Mo-  
ritur autem anno præscripto 7. calend. Ianuarij, anno ex quo uisum amise-  
rat, 23. ætatis uerò suę 78, indictione prima. Sequenti anno qui fuit domini-  
cæ natiuitatis 925, Rudolphus abbas etiam mortuus est in mense Martio,  
diem non notauit Meginfridus, anno regiminis sui 7. quod monachus  
præscriptus Adelhardus quibusdam ex monachis secretò prædixisse fere-  
batur: sub isto Abbate Rudolpho, monastica disciplina multum tepuerat.  
Erat enim (sicut prædiximus) homo leuis, conuiujs & potationibus deditus  
totus, parum aut nihil de conuersatione curans. Vnde monachi præsertim  
ætate minores, nondum in timore Dei fundati, his laxitatibus semel assue-  
ti, nunquam deinceps ad internam conuersationem spiritus reuocari po-  
tuerunt.

DE DIETMARO, SEXTO HUIUS CENOBII

abbate, qui præfuit annis uigintiseptem, & de diuersis  
gestis illius temporis in Alemania.

Dissensio fit in  
electione.

Consilium Fulden-  
sis abbatis.  
Diethmarus fit  
abbas.

Vita Diethmari  
abbatis.

Commendatur à  
studio literarum.

Post mortem Rudolphi abbatis, magna in delegendi successore inter  
fratres difficultas suborta est. Nam aliqui ex senioribus, quibus cordi  
erat disciplina uitæ regularis, talem habere pastorem optabant, qui pristis-  
simum illum monasticæ religionis feruorem iam penè extinctum in mona-  
sterio isto, uerbo & exemplo resuscitare & uellet & posset: contrà maior  
quidem, sed non sanior pars fratrum, qui prauo Rudolphi abbatis exem-  
plo remissores animo iam facti fuerant, abbatem suis conuenientem mo-  
nasterio quærebant. Tandem post multos tractatus, consilium interponente  
suum uenerabili Hildeberto, Fuldenis monasterij abbate, elegerunt una-  
nimi consensu Diethmarum monachum sancti Galli, iam antea eis aliquan-  
do notum, quippe qui Linthelmo scholam sancti Aurelij olim tenente per  
biennium apud eos commoratus sit. Hunc ergo in abbatem eligentes 18  
calend. Maij, de monasterio sancti Galli honorificè adductum susceperunt  
eodem animo, quo Rudolphus uitam uniuersæ carnis fuerat ingressus, an-  
no uidelicet dominicæ natiuitatis 925, indictione 13, Henrici regis Roma-  
norum anno sexto, præfuit annis 27. Fuit autem ex Sueuia oriundus, patre  
genitus Arnaldo, matre Heluige, secundum seculi quidem dignitatem  
nulla nobilitatis prærogatiua insignitis, sed qui humilem progeniem Chri-  
sti amore redderent claram. Filium enim hunc suum adhuc paruulum in  
monasterio præfato sancti Galli omnipotenti Deo seruiturum obtulerūt,  
per cuius meritum se Deo quoq; reconciliari posse confidebant. At uerò  
puer semel Deo à parentibus deuotus, quasi alter Samuel cœpit in omni-  
bus quæ ad religiosam conuersationem pertinebant, studiosius agere, &  
quæ à senioribus dicebantur diligentissimè conseruare. Fuit eo tempore  
monachus nomine Hartmondus, qui post Notgerum scholæ monacho-  
rum apud S. Gallum multis annis præfedit, cuius in superioribus iam du-  
dum

dum fecimus mentionem. Is cum gratiam docendi haberet singularem Diethmarum puerulum cum alijs instituendum suscipiens, breui illum coeuis reddidit doctiorem. Erat sane ingenio docilis, tantaque uiuacitate memoriae adhuc puerulus uigebat, ut pro miraculo haberetur. Mortuo non post multos annos, Hartmundo successit in regimine literariae institutionis Adelardus monachus ualde doctus, qui Diethmarum & Helgericum singulari praeditos ingenio, singulari quoque diligentia docebat. Diethmarus ergo in omni scientia philosophiae tam mundanae quam ecclesiasticae doctus euasit, non minus integritate monasticae conuersationis, quam eruditione literarum insignis, septennis in monasterio a parentibus traditus fuit. Anno 28. gradum sacerdotij accepit. Et post septennium cum esset annorum 35. hoc ipso anno in abbatem huius monasterij fuit assumptus. Vitae continentissimae fuit, in cibo parcus, in potu parcius, qui regularem disciplinam in hoc monasterio penè collapsam prudentissimo moderamine ad priorem statum reuocauit. In agendis quibuslibet negotijs prudenter se gerebat, & omnipotens Deus benedictionis suae gratiam ei multipliciter impendit. Erat non solum doctus, sed etiam tam in Romana lingua quam in Alemannica eloquentissimus, & tam idoneus ad persuadendum, ut eius sententiae rarus fuerit qui contradixerit. Fratrum suorum infirmitates ita prudenter & patienter tulit, ut nullus tam insolens unquam uisus sit, qui per eius longanimitatem prudentissimam ad meliora non profecerit. Anno eius 3. Herigerus archiepiscopus Moguntinus moritur calend. decemb. cui in archiepiscopatu succedit reuerendissimus ille abbas Fuldenis Hildebertus, genere Francus, uir mirae sanctitatis, & praeter naturalem sapientiam animi literarum quoque scientia fatis illustris, qui inter caetera dona gratiarum, spiritum quoque prophetiae habuisse memoratur. Hic est Hildebertus amabilis Deo pontifex, cuius consilio (ut praediximus) Diethmarus ante biennium in abbatem huius monachicae habitationis de sancto Gallo fuit assumptus: praefuit autem ecclesiae Moguntinae annis 14. Iste uenerabilis antistes Ottonem Imperatorem primum unxit in regem, anno Diethmari abbatis 4. Henricus imperator pugnans cum Ungaris, Danis & Boemis, triumphator euasit, interficiens quasi uiginti milia ex eis, ducensque non gentos cum praeda ingenti captiuos. His diebus Diethardus abbas monasterij Hirsfeldensis, factus est episcopus Hildeshemensis in Saxonia, nonus in ordine: & praefuit ecclesiae praefatae annis uigintiduobus, in cuius locum Burchardus factus est abbas. Clauit circa haec tempora Ratherius ex monacho Bobiensis coenobij episcopus Veronensis, uir nimiae simplicitatis, sed eruditione tam secularis literaturae quam ecclesiasticae nominatus, qui pulsus ab episcopatu Papiae, in exilium ab Hugone rege Italiae, quia Bauaris fauebat: & iterum in pristinum honorem restitutus, librum de suis ærumnis luculento sermone composuit, Scripsit & alia multa legentibus utilia, quorum alibi mentionem fecimus. Multum laborauit scribendo & praedicando contra haeresin Anthropomorphitarum, quae suo tempore in Italia repullulare coeperat dicens: Deum corpore & membris constare humanis. Eodem tempore clauit Hildeuinus ex abbate Bobiensis coenobij episcopus Veronensis ante Ratherium immediate, ac postea archiepiscopus Mediolanensis ab Hugone rege Italiae constitutus. Anno Diethmari abbatis 5. lanceam mirandi operis, & clauis Iesu Christi crucifixi sanctificata, quae dicitur primi & magni Imperatoris Constantini fuisse, quam Samson comes Rudolpho regi Burgundiae donauerat. Henricus imperator precibus, minis & immensis muneribus ab eo extorsit, quam ad insigne & tuta-

*Ingenium eius  
commendatur.  
Adelardus scho-  
lasticus S. Galli.*

*Aetas Diethmari  
abbatis.*

*Hildebertus ab-  
bas Fuldenis, et  
archiepiscopus  
Moguntinus.*

*Ungari uincuntur  
ab imperatore.*

*Diethardus.*

*Ratherius.*

*Hildeuinus.*

*Lancea domini  
uenit ad imperium*

& tutamen imperij posteris reliquit: hanc uerò nostris temporibus Nuren-  
 bergenses se habere cum cæteris Caroli Magni insignibus profitentur,  
 quam & uidimus. His quoque temporibus Henricus imperator construxit  
 illud famosum cœnobium monialium sub regula sancti Benedicti in Sa-  
 xonia, quod Quelenburg nominatur, in honorem beati Seruatij Tungro-  
 rum quondam episcopi, in primam abbatissam constituit Mechtildem fi-  
 liam suam, quæ fuit uirgo multis clara uirtutibus, soror uidelicet Ottonis  
 imperatoris primi & Brunonis archiepiscopi Coloniensis. Anno Dieth-  
 mari abbatis octauo, in ciuitate Ianuensi fons sanguinis largissimè effluxit,  
 portendens fortè ipsius urbis imminentè ruïnã, quæ eodem anno subse-  
 cuta est. Nam ciuitas ipsa, ab Aphricanis infidelibus cum multa classe ad-  
 nauigantibus eodem anno capta est, ciues omnes aut trucidati aut captiui  
 abducti sunt. Eodem anno Burchardus abbas Hirsfeldensis factus est epi-  
 scopus post Diedonem in ecclesia Herbipolensi, cui in abbatia successit  
 Megingos uir strenuus & morum honestate insignis. Anno abbatis Dieth-  
 mari 10, qui fuit dominicæ natiuitatis 935, magna synodus episcoporum &  
 abbatum apud Erphordensem urbem Thuringiæ celebrata est. Multa hoc  
 anno mortem imperatoris Henrici miracula præcesserunt. Sol sereno cœ-  
 lo obscuratur, per fenestras domorū radios immittens sanguineos. Mons  
 in quo Henricus postea fuit sepultus, flammam in multis locis euomit. Ho-  
 minis cuiusdam sinistra manus ferro amputata, post annum ei dormienti  
 ad integrum restituta est, & pro signo miraculi remansit in loco coniu-  
 ctionis linea subtilis sanguinei coloris. Anno sequente Henricus rex per-  
 domitis circumquaque gentibus, cum Romam proficisci statuisset, infirmita-  
 te correptus iter intermisit. Qui cum se moriturum cerneret, cōuocatis prin-  
 cipibus & omni populo, filium suum natu maiorem Ottonem imperato-  
 rem designans, cæteris filiis prædã cum thesauris distribuens, moritur 4-  
 nonarum Iulij, anno ætatis suæ fermè 60. regni autem 18. sepultus in mo-  
 nasterio monialium, quod ipse inchoauerat, uxore perficiente, in Quelen-  
 burg. Cui filius eius Otto primus succedens, annis 38 imperauit, cuius an-  
 no primo Vngari Franciam, Alemaniam, Burgundiam & Galliam usque  
 ad Oceanum deuastantes, per gyrum intrantes in Italiam, redierunt tan-  
 dem in sua cum ingenti prædã. Anno igitur Diethmari abbatis 11, qui fuit do-  
 minicæ natiuitatis 936 indict. decima, Otto primus per manus Hildeberti  
 archiepiscopi Moguntini Aquisgrani in regem unctus est. Cum enim duo  
 pontifices, Treuerensis uidelicet & Coloniensis inter se contenderent, quis  
 hoc munus consecrationis uerè peragere debuisset, procerum iudicio, ad  
 Hildebertum Moguntinum pontificem delatum est. Qui accedens ad al-  
 tare, & sumens inde gladium imperialem cum baltheo, conuersusque ad re-  
 gem, ante se genua flectentem dixit: Accipe hunc gladium, in quo desicias  
 omnes Christi aduersarios, barbaros & malos Christianos, tibi autoritate  
 diuina traditum, cum omni potestate totius imperij Francorum, ad firmis-  
 simam pacem omnium Christianorum, Amen. Deinde sumptis armillis &  
 chlamyde induit eum dicens, His cornibus humerotenus demissis, monea-  
 ris quo zelo fidei feruere debeas, & in tuenda pace usque in finem constans  
 perseueres. Exinde sumpto sceptro baculoque dixit, His signis monitus esto,  
 quatenus paterna castigatione subiectos corripias, primumque te Dei mini-  
 stris, deinde etiam uiduis, orphanis & pupillis protectorem ac defensorem  
 semper exhibeas, eisque manum misericordiæ clementer porrigas. Post hæc  
 fuso super caput eius oleo consecrationis ait, Vixit te Dominus in regem su-  
 per populum suum, ut nunquam de capite tuo oleum miserationis deficiat,  
 quo

Monasterium  
Quelenburg fuit  
datum est.

Mechtildis pri-  
ma abbatissa.

Fons sanguinis  
effluxit.

Burchardus ex  
abbate episcopus

Prodigia.

Inuulitum prodi-  
gium.

Henricus Impe-  
rator moritur.

Vngarorum in-  
curfus.

Otto consecratur  
in regem.

Modus consecra-  
tionis.

Ad armillam.

Ad sceptrum.

Ad unctiorem.

quo hinc & in futuro misericordiam ab ipso creatore tuo consequaris Amē. Postremo imposuit capiti eius regalem coronam dicens: Coronavi te corona iusticiæ, qua monearis te ministrare iusticiam debere subditis, quatenus hoc ornamento regali præmunitus, & tuis reuerendus, & inimicis terribilis appareas, & post huius uitæ terminum sempiterno cum angelis premio coroneris, Amen. Completa benedictione pontificis, regem in solium regalem cum omni lætitiâ posuerunt. Anno Diethmari abbatis 12 monasteria S. Galli in Sueuia, Bonifacij in Fulda, & Scotorum, igne consumpta sunt. Eodem anno dux, Euerardus cepit Henricum fratrem imperatoris, quem pater expulso Arnaldo Bauariæ ducem constituerat, sed Bauaris mox per Ottonem deuictis, frater de carcere soluitur. Claruit his temporibus post S. Odonem, Adamarus abbas Cluniacensis, uir sanctitate uitæ & eruditione scripturarum satis præclarus, qui tandem oculorum lumine orbatu, in medio fratrum suorum magnum patientiæ se præbuit exemplar. Hic tandem consummato præsentis uitæ termino, in sanctorum catalogo relatus est, cuius festus agitur dies idibus Septembris. Anno Diethmari abbatis 13 Hildebertus reuerendissimus atque sanctissimus nostri ordinis quondam abbas, ut supra diximus, archiepiscopus Moguntinus moritur: cui Fridericus successit, qui construxit monasterium S. Petri Apostoli extra muros Moguntinenses ad Aquilonem. Anno Diethmari abbatis 15 fundatum est monasterium nostri ordinis in ciuitate Magdeburgensi, in honore S. Ioannis, in eo loco ubi hodie maior ecclesia est posita, ipso monasterio postea extra ciuitatem in monte translato, quod appellamus Bergam. Hanc autem foundationem Otto Imperator primus incœpit & perfecit, primus autem cœnobij abbas fuit Anno, monachus cœnobij S. Maximini Treuerensis, uir in scripturis tam diuinis quàm secularibus multum eruditus, & non minus integritate morum quàm scientiâ uenerabilis. Anno Diethmari abbatis 18, qui fuit dominicæ natiuitatis 945, obiit Diethardus monachus & scholasticus huius qui præfuerat scholæ monachorum publicæ annis 22 post Luthelmum monachum, uir in omni scientiâ scripturarum doctissimus, & non minus conuersatione quàm doctrina insignis: decessit autem 12 calend. Octob. indictione 1. cui in officio docendi successit Meginradus monachus multum uenerabilis, qui Linthelmi auditor in iuuentute fuerat, quo defuncto sub Diethardo prædicto monacho, in omni scientiâ tam diuina quàm seculari ualde profecit, & multos auditores post se doctissimos reliquit. Claruit hisdem temporibus in monasterio S. Galli, uir ualde doctus in omni scientiâ bonarum artium Helpericus monachus, Diethmari quondam condiscipulus, qui post mortem Adelhardi monachi & scholastici præceptoris sui, docendi officium in eodem monasterio nactus, multos præclaros discipulos in omni doctrina eruditos post se reliquit. Qui quanta conscripserit opuscula, alibi ubi de scriptoribus tractauimus, satis expressimus. Hoc ipso eodem anno moritur Editha filia regis Angliæ prima, uxoris nomen sortita Ottonis imper. mulier sancta & Christo ualde deuota, sepulta in præfato monasterio Magdeburgensi. Hæc peperit Ottoni duos filios, Ludolphum ducem Saxonie & Vuilhelmum, qui post Fridericum fuit archiepiscopus Moguntinus. Ex hinc duxit Adelheidem filiam ducis Burgundiæ uiduam uxorem, ex qua item duos filios suscepit, Ottonem qui post patrem imperator factus est, & Mechtildem quæ fuit ordinis nostri abbatissa in Quelenburg. Eodem quoque anno obiit mater Ottonis primi Mechtildis imperatrix, & in prædicto cœnobio monialium iuxta maritum suum Henricum sepulta est. His diebus princeps Bohemiæ Vencesla

*Ad coronam.**Dux Henricus  
capiur.**Adamarus abbas**Hildebertus.**Monasterium  
Bergense funda-  
tur.**Anno abbas.**Diethardus scho-  
lasticus moritur.**Meginradus**Helpericus scho-  
lasticus S. Galli.**De uxoribus  
filijs imperato-  
ris Ottonis pri-  
mi.*

*S. Vuenceslaus martyrizatur.* laus uir sanctus & Christianissimus à fratre martyrizatur, ambitione principi pandi scæviente. In cuius ultionem Otto imperator bellum Bolislao fratri-  
*Arigandus.* cidè indixit, & longa, per annos 14. inter eos concerratio fuit. Circa hæc tempora Arigandus abbas Monasterij S. Petri in Francia, religione & sanctitate clarus habetur in ciuitate Senonensi, qui uitam monasticam in eodem loco magnificè reformare non minus exemplo quàm uerbo curauit. His etiam diebus post Vuilhelmum Gerlandus monachus S. Germani Altrisdoren-  
*Gerlandus.* sis nostri ordinis, fit archiepiscopus Senonensis, uir doctus & religiosus, qui cum Senonensem aliquot annis strenuè rexisset ecclesiam, migravit ad Dominum, & in monasterio suo diui Germani unde assumptus fuerat, sepultus est. Post quem Hildemannus monachus S. Dionysij Parisiensis nostri ordinis, uir ualde doctus, archiepiscopus Senonensis factus est. Anno Diethmari abbatis 21, fames in Gallia magna præualuit, Ungari cum Ba-  
*Hildemannus.* uaris & imperatore pugnant & superantur. Anno 23 Imperator Otto Danos uicit, & Gotfridum regem eorum cum omni gente Christianum fecit, & episcopatum Selesuicensem & Ripensem de nouo erexit. Erexit insuper archiepiscopatum Magdeburgensem, ipsamq; ciuitatem construxit, & multa cœnobîa fundauit. Anno Diethmari abbatis 26, qui fuit 951 domini-  
*Dani conuertuntur ad fidem Christi.* cæ natiuitatis. Otto imperator nuptias cum Mechtilde secunda uxore sua in ciuitate Papiensi celebrauit, cum maxima pompa & solennitate, quam priore anno, Berègario deuicto, ex uinculis eius liberauerat. Anno sequente, qui fuit ultimus Diethmari abbatis, Berengarius tyrannus præstiti sacramenti contemptor, Italiam denuò grauiter afflixit: unde imperator iterum inuocatus ab Italis atq; Romanis, Italiam cum ingenti exercitu contra Berengarium secundò ingressus, uicit, & superauit eundem, atq; de Italia fugauit. Qui non inueniens ubi requiesceret pes eius, tandem apud Augustam se cum uxore in deditionem imperatoris submitit, missusq; in castrum Bambergense ac custodiæ mancipatus, non multo post diem clausit extremum, cuius bella, fraudes & gesta, Eutrandus diaconus Ticinensis luculento sermone descripsit. Magni hoc anno terræmotus in diuersis Germaniæ Galliaq; locis facti sunt. Eodem anno dominicæ natiuitatis 952, in dictione decima, quarto nonas Martij, obiit reuerendissimus abbas Diethmarus, huius monasterij sextus in ordine, anno suscepti regiminis 27. ætatis uerò suæ 71, sepultus in ecclesia S. Autelij, uir per omnia Deo dignus, qui regularem obseruatiam in hoc monasterio penè collapsam, uerbo & exemplo magnificè reformauit. Nec solùm in obseruantia regularis disciplinæ studiosum exhibuit, sed etiam in conseruandis possessionibus monasterij, ampliandisq; magnam diligentiam fecit. Locum enim hunc libris & reliquijs sanctorum ualde nobilitauit, & multis ornamentis decorauit. Magna multitudo monachorum sub eius regimine in hoc cœnobio claruit, quorum aliqui sanctitate uite ualde fuerunt insignes, plures autem propter scientiam & doctrinam scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt. De diuersis quoque nostri ordinis per Germaniam monasterijs monachi, ad scientiam scripturarum hauriendam huc mittebantur, quia talis eo tempore consuetudo in ordine nostro seruabatur, ut monachi pro pleniori eruditione consequenda, si qui uiderentur idonei ad diuersa monasteria instruendi, mitterentur. In omnibus enim nostri ordinis cœnobijs, in Germania & Gallia maxime, monachorum scholastici ex monachis habebantur, qui iuniores quoq; & ingenio præstantes, in primitiuis literarum scientijs erudierent, & postea qui habiles inuenti fuissent, ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus cœnobijs, quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior.

pioſior, & monachorum numerus maior, conſtituebantur ad officium docendi alios, monachi omnium doctiſſimi, & non ſolum in diuinis, ſed etiam in ſecularibus literis eruditi, ad quos ex inferioribus gradus cœnobiiſ mittebantur monachi altioribus diſciplinis inſtituendi. Quicūq; uerò inter eos maioris eruditionis famam in ordine acquiſerat, etiam plures ad ſe miſſos diſcipulos, ad erudiendū monachos habebat. Inter monaſteria autem hunc morem ſtudiorum habentia, hoc tempore præcipua fuerunt, monaſterium Fuldenſe, ſancti Galli, Augienſe, Hirſfeldenſe, noſtrum Hirſaugienſe, Prumiſenſe, Mediſolacenſe, S. Dionyſii Pariſienſe, ſancti Maximini Treuerenſe, Remenſe, Altiſſiodorenſe, Turonienſe, Stabulenſe, & Vuſſenburgenſe: in quibus omnibus erant monachi & multi & ualde ſtudioſi, e quorum collegio in ſingulis cœnobiiſ unus cæteris in ſcientia ſcripturarum excellentior ſcholasticus ponebatur. Abbates autem qui monachos habere cupiebant in omni ſcientia eruditos, ad diuerſa monaſteria ex ſuis quosdam mittebant inſtituendos. Utinam tale ſtudium hodie in noſtris haberetur monaſterijs, quàm multa bona fierent, infinita mala prohiberentur: ſed non omnibus in eſt amor ſcientiæ ſcripturarum: propterea noſter ordo ſacraſſimus quaſi ſine honore iacet ſepultus. Duo quondam ipſum ordinem noſtrū glorioſum rediderunt, uitæ meritum, & eruditio ſcripturarum: quorum dum alterum intermittitur, ad alterum rarò peruenitur. Hoc his temporibus pauci aduertunt, quorum qualis ſcientia, talis & cōuerſatio quæ iſta neſciunt. Sed nos ad hitoriæ ordinem redeamus. Diethmarus autem feliciſ recordationis abbas, de quo loquimur, ſciens utilitatem ſcientiæ ſcripturarum monachos ſuos ſummo annuſu in omni doctrina literaria erudire ſtatuit: & ob id magiſtrum eis doctiſſimum Meginradum monachum, de quo ſuperius dictū eſt, ſcholasticū præfecit: ad cuius eruditionis famam Vuindichinus monachus & ſcholasticus monaſterij Corbeiſenſis in Saxonia excitatus uidere, audire & alloqui tantum uirum deſideraſſe ſe dicit, quem & uidit, & ſupra quàm dicere potuit, admiratus fuit. Qui Vuindichinus quantus fuerit in eruditione ſcripturarum, poſtea dicemus.

*Vita et doctrina ordinem noſtrum illuſtrarunt.*

*ſtudium.*

*Vuindichinus.*

DE SIGERO, SEPTIMO HUIUS CŒNOBII ABBATE,  
qui præfuit annis ferme 30, moribus eius, & geſtis quibusdam illius temporis.

Mortuo autem Diethmaro reuerendiſſimo huius monaſterij abbate, ſicut prædiximus, in locum eius mox electus eſt Sigerus monachus, qui decani geſſerat officium, uitæ moribus & uita reuerendus, & tam in diuinis ſcripturis quàm in ſecularibus literis egregiè doctus, qui huic monaſterio præfuit annis ferme 30, in omni ſanctitate & religione. Fuit autem in abbatem electus, eodē die, quo antecēſſor eius obierat, + uidelicet nonas Martij, anno dominicæ natiuitatis 952, qui fuit Imperatoris Ottonis primi annus 16. Hic Sigerus ex Moguntiaci natus, cum eſſet annorum quatuor & uiginti, & multis in ſeculo polleret diuitijs, honoribusq; , omnibus ſpretis & contemptis pro Dei amore monachus factus eſt ſub abbate Diethmaro prædeceſſore ſuo, in tantumq; profecit in ſanctæ religionis cōtuerſatione, ſapientia & ſcientia ſcripturarum, ut Diethmaro uiam uniuerſæ carnis ingreſſo, ipſe unanimi omnium conſenſu paſtor ouium Chriſti ſit conſtitutus. Qui qualem ſe ſubditis ſuis exhibuerit quàm zeloſum pro diſciplina regulari, quàm piū bonis, & ſeuerū negligentibus, nemo ſcribere melius poſſet, quàm qui uidere illum & conuerſari cum eo in cœnobio meruit. In omnibus ſanè ſollicitus fuit, ut ſe bonis operibus uirtutū ſubditis ſemper præberet uiuum exēplar, ne aut bona prædicans opere ſemetipſum negligeret,

*Sigerus.*

*Qualis fuerit uita Sigeri huius.*

si aliter uiueret, aut doctrinam uerbi subtrahens inutilis pastor subditis, canisq; mutus non ualens latrare uideretur. Vnde quicquid exemplo non docuit, nemo alius potuit operari. Anno primo Sigeri abbatis Imperator Otto primus ciuitatem Moguntinam obsidione uallauit. Secundo autem anno qui fuit Domini 954, Vuiridus archiepiscopus Colonienſis 29. anno pontificatus ſui obiit. Porrò deſtitutus clerus & populus unamini deliberatione in uirum Domini Brunonē fratrem Ottonis Imperatoris primi conſpirauit, quē miſſis primoribus eccleſiæ ipſius, & petunt & conſequuntur eum pontificem, cuius monimenta uigilantiæ in ædificijs & ornatu eccleſiarum uſq; in hodiernum diem multiplicia Colonia uiſuntur. Eodem anno Fridericus archiepiscopus Moguntinus obiit, cui Vuilhelmus filius Ottonis Imperatoris primi ſucceſſit, qui de ipſo ita in Chronica ſcribit: Anno in quēſ dominicæ incarnationis 954 indiſtione 12 beatæ memorię dominus Fridericus S. Mogūtiaceniſis eccleſiæ archiepiscopus, 8. cal. Nouēb. obiit. Eodē uerò anno ego Vuilhelmus tanta ſucceſſione indignus, loco eius, cum conſenſu cleri populi eiufdem ſanctæ ſedis, 16. cal. Ianuarij, in loco Arnſtedenſum electus, & 9. cal. Ianuarij Maguntia ordinatus. Hæc ſunt uerba Vuilhelmi. Claruit hiſ temporibus in Saxonia Vuindichinus monachus S. Viti in Corbeia, uir in diuinis ſcripturis doctus, & in ſecularib. eruditiffimus, qui ſcripſit ad Mechtildem filiam Ottonis Imperatoris primi, abbatiffam uidelicet in Quelenburg, ſicut ſuprà diximus de geſtis Henrici primi, Ottonis primi, & origine Saxonum hiftoriam tribus libellis digeſtam. Vitam quoq; ſancti Pauli primi eremita, & paſſionem S. Teclæ uirginis gemino ſtylo, proſaico uidelicet & metrico, ſed & alia multa, quorum alibi iam dudum fecimus mentionem. Hic multis annis in præfato monaſterio Corbeienſi ſcholæ monachorum publicè præfuit, & complures diſcipulos poſt ſe doctiſſimos reliquit, ex quibus multrad episcopatus & abbatias diuerſas poſtea fuerunt aſſumpti. Hic etiam in eo libello, quem ſcripſit de ſtudijs ueterum, fatetur ſe fama Meginradi ſcholæſtici & monachorum S. Aurelij incitatum ueniſſe ad Hirſaugiã. & cum eis diebus multis habuiſſe colloquiũ, tantumq; ibi uidiſſe ſtudium & feruorem monachorum ad ſcientiam ſcripturarum, tanquã doctiſſimos reperiſſe uiros, ut ſatis nequiuerit admirari, ipſumq; Meginradum ſcholæſticum præcipuis laudibus effert dicens, Eum eſſe alterum Hieronymum, & nulli ueterum eruditione inferiorē. Circa hæc tempora claruerunt Gregorius præbyter filius regis Angliæ, pro Chriſto peregrinus, & Euardus monachus, ambo ſolitarij in ſylua Nigra, iuxta cellã S. martyris Augienſis Meginradi. Quorum primus Gregorius cum eſſet filius regis, patrem, regnum, patriam & omnem pompam ſeculi, amore regni cœleſtis contemnens, clamq; auſugiens, uſque ad mortem in præfato loco Domino in magna ſanctitate hominibus manſit incognitus. Alter uerò Euardus cum eſſet decanus eccleſiæ Argentinēſis, diuina inſpiratione contempſit mundum & angelo Dei reuelante locum præfatum, uitam ſanctiſſimam uſque ad mortem in eo cum S. Gregorio peregit. Hic ſanctiſſimus Euardus beato Vdalrico Auguſtenti episcopo multum familiaris & dilectus fuit, à quò ſæpius uiſitari cõſueuit. Tanti uerò apud Deum meriti fuit, ut uiuus & mortuus multis claruerit miraculis, mortemq; ſuam præfato S. antiſtiti Vdalrico longè antè prædixit. Ab hiſ duobus ſanctiſſimis eremitis, locus idem in quo nunc monaſterium noſtri ordinis eſt, non multo poſtea conſtructum, deinceps uſq; in hodiernum diem ad eremitas uocatus eſt, ad quem à multis retro annis concurſus populi magnus fieri conſueuit, licet monachi ſint hiſ temporibus inibi degētes diſſolutiſſimę uitę. Cla-

ruis

Bruno frater Imperatoris fit archiepiscopus Colonienſis.

Vuilhelmus filius Imperatoris fit archiepiscopus Moguntinus.

Vuindichinus.

Quod Vuindichinus fuerit in Hirſaugia.

S. Gregorius et Euardus eremita in nigra ſylua.



fuit etiã his diebus S. Vdalricus episcopus Augustensis, uir Deo clarus, qui multis miraculis in uita & post mortem clarus effulsit. Hic cum adhuc esset iuuenis in monasterio S. Galli fuit nutritus, & in scripturis necessarijs institutus. Tandem factus est episcopus Augustensis, fundauitq; monasterium nostri ordinis in eadem ciuitate, in honore S. Affræ martyris, in quo & ipse tandem monachus factus est. Moritur autem ibidem sepultus, anno domini 973. qui fuit abbatis Sigeri annus 21. indictione prima, 4 nonas Iulij, anno ætatis suæ 83. episcopatus uerò assumpti 50. sub Ottone Imperatore secundo. Sanctus quoq; Maiolus quartus Bluniacensis monasterij ordinis nostri, iisdem temporibus doctrina & sanctitate clarus habetur, qui sex to anno conuersionis suæ S. Ademaro propter imbecillitatem corporis & oculorum omissionem cedente dominici gregis, pastor constitutus, multis uirtutibus clarus enituit, cuius dies festus agitur 5 iduum Maij. Anno Sigeri Abbatis 5, Otto Imperator magnus, Ungaros cum magno sui suorūq; periculo magna cede prostrauit, in loco qui dicitur Lechfeldt, non lōge ab Augusta, in quo bello Conradus dux cum multis alijs cecidit. Henricus quoq; dux Bauariæ frater imperatoris, eodē anno obiit. Anno sequente Hademarus abbas Fuldenfis obiit, qui monasteriū suum dudū incensum magnifico opere cōstruxit, cui Hatto filius sororis successit, qui postea archiepiscopus Moguntinus factus est. Eodē anno moritur Rupertus archiepiscopus Treuerensis, cui Henricus successit, qui regulares officinas & claustrum sancti Petri circa ecclesiam construxit, & regula Canoniorū ibidem obseruari cœpit. Hęc est maior ecclesia Treuerensis, in quam hoc tempore, sicut & in cæteris antiquis ecclesijs, canonici secundum regulā eis præscriptam in communi uiuebant, unam habentes mēsam, unam bursam, unūq; commune dormitorium, sicut hodie inter nos iuxta normam nobis propositam cōuersamur. Anno Sigeri abbatis 6. qui fuit domini 958 & regni Ottonis imperatoris magni 22. cruces apparuerunt in uestimentis hominum qui multos terruerunt, & ad salutarem pœnitentiā reducerunt. Quorundam etiam uestes quasi lepra resperſæ maculisq; infectę apparuerunt. Circa hæc quoq; tēpora monasteriū ordinis nostri in Saxonia fundatur, quod Hildesleuen dicitur, multaq; cœnobია monialiū sub regula diui patris nostri Benedicti, in diuersis regionibus in Saxonia præcipuē constructa sunt. Hoc etiam anno Vuilla uxor quondā regis Berengarij, illo, apud Bambergam sub custodia imperatoris mortui contempto seculo monasterium ingreditur, & sub habitu sanctę religionis religioſe deinceps conuersatur, anno Sigeri abbatis 8. Venerunt legati Tuscorū ad regem Ottonem petentes sibi dari aliquem uirū doctum, qui eos uiam ueritatis instrueret, quibus misit Adelbertum ex monacho Corbeiēſis cœnobij episcopū, uirum doctum & sanctum, qui uix euasit manus eorum. Otto imperator anno Sigeri abbatis 10. inuitatus à Romanis contra insolentias Ioannis papæ 13. Romam perrexit: cumq; eum papa gratanter suscipiens honorificē supra cathedram Augustalem poneret, & per benedictionem solenniter in Imperatorem consecraret, monito pōtifice super obiectis ac emendationem promittente, cum gloria reuersus est in Germaniam. Verūm cum papa fidem promissam uiolaret, semperq; deterior fieret, imperator secundò inuitatus à Romanis anno sequenti denuò Italiā ingreditur, ad cuius introitum papa fugit. Magna igitur synodus iubente Imperatore Cardinalium, episcoporum, abbatum & clericorum Romæ facta est. Vbi palām recitatis papæ criminibus, cum rogatus, citatus monitusq; per literas, primū comparere, seq; expurgare contemneret, imò synodum se excommunicaturū minaretur, decreto

S. Vdalricus.

Maiolus abbas  
Cluniacensis.Vngari ab Otto-  
ne ceduntur.Canonice uitæ  
in cathedralibus  
ecclesijs antiqua  
institutio.Cruces apparēt  
in uestibus homi-  
num.Cœnobium Hil-  
desleuen funda-  
tur.

Adelbertus.

Otto coronatur  
in imperatorem.Synodus præſer-  
te Imperatore Ro-  
mæ celebratur.

*Papa Iohannes  
deponitur.*

*Crimina papæ  
pro quibus est de-  
positus.*

*Horredum inau-  
ditumq; scelus.*

*Episcopi ex Ale-  
mania presentes  
in depositione pa-  
pæ.*

*Infidelitas Roma-  
norum maxima.*

*Romani occidun-  
tur ut periuri et  
infideles.*

Imperatoris & omnium præsentium in synodo patrum depositus est 10. calend. decemb. Et Leo S. Romanę sedis protoscriniarius, uir uenerabilis & approbatus, in papam unanimi omnium cōsensu electus est, ductusq; ad Lateranense palatium collaudantibus factum Romanis ad summum sacerdotium consecratur. Capita autem criminum, pro quibus Ioannes depositus est, ista fuerunt, missam celebrauit & non communicauit. Item Benedictum patrem suum spiritualē lumine priuauit, qui statim mortuus est. Item Ioannem cardinalem subdiaconum uirilibus amputatis occidit. Item adulterium & fornicationem perpetravit, & in castrum cum uidua Reinerij & Stephana patris concubina, cum Anna uidua & nepte sua & multis alijs, sanctumq; palatium lupanar & prostibulum meretricum fecit. Item in ecclesia Tudertina episcopum ordinauit puerum decem annorum. Item ordinationes faciebat pro precio. Item diaconum ordinauit in stabulo equorum non debitis etiam temporibus. Item sacrilegus fuit, cruces & candelas sanctuarj meretricibus distribuit. Item uinum bibit in amore diaboli, & in ludis alex Venerem lunonemq; aliosq; deos gentilium sibi adiutores inuocabat. Item uenationem publicē exercebat. Item matutinas & alias horas canonicas non celebrauit, nec muniuit se more Christianorum signo sanctę crucis. Item uiduas maritatas & uirgines ui oppressit, & stuprauit multas. Item homicidij, periurij & sacrilegij reus accusatus est, incestum in propriam cognationem cōmisit, eum duabus quoq; sororibus se cōmiscuit. Item lorica & alijs armis indutus quasi dux processit contra S. Imperatorē ad bellū. Aliaq; multa & horrenda corā imperatore in sancta synodo per cardinales, episcopos, diaconos & alios boni testimonij uiros subiureiurādo publicē delata sunt. Multi fuerunt in hac synodo episcopi, & ex nostris ibi fuit Henricus archiepiscopus Treuerensis, Otgerius episcopus Spirensis, Adaldacus archiepiscopus Bremensis, & Lādohardus episcopus Murdensis in Saxonia. Erant autem omnes episcopi in synodo 40. Cardinales, presbyteri, diaconi & subdiaconi 48, numero: qui omnes cum primoribus Romanis & uniuerso populi, uno ore Iohannem deponentes à papatu, tanquam monstrum & diaboli mancipiū unanimi uoto Leonem huius nominis 8. in summum pontificem elegerunt, iurantes se nunquam ab eo discessuros, nec papam deinceps sine imperatoris filijq; eius consensu electuros. His ita peractis S. imperator nolens Romanos exercitu nimio grauare, simul credens illos in fide promissa māfuros, multis abeundi licentiā concessit: quod cū Ioannes depositus rescisset, sciens instabilitatem & auaritiā Romanorum, misit ad eos clam nuncios, promittens se omnes Ecclesię thesauros illis daturum, si imperatorem cum S. papa Leone trucidarent. Romani quā statim exercitus imperatorij paucitate confisi, & pecuniarum promissione animati, buccina concrepante super imperatorem ut eum occidant festinanter contendunt. Quibus in ponte Tyberis, quem Romani plaustris impeditum habebant, sanctus imperator occurrit, cuius fortissimi milites assuefacti in bello, in eos audacter prosiliunt, quasi accipitres auium multitudinē nullo resistente perterrēt, non latibula, non corbes, non concaua ligna, non criptę sordium receptacula fugientes tueri potuerunt. Occiduntur itaq; Romani sine numero, sine misericordia, sine personarum delectu. Nec unus quidem ex omnibus remansisset superstes, si non imperator pijsimus, misericordia motus in eos quibus misericordia nulla debebatur, milites suos adhuc interficere sitientes retraxisset inuitos. Itaq; superatis omnibus, de cæterisq; qui remanserant obsidibus receptis, uenerabilis papa Leo ad pedes imperatoris prouolutus, rogat obsides Romanis reddantur, seq;

sur, seque illorum fidei commendat: cuius rogatu S. Imperator motus, obli-  
des reddidit, ipsumque papam Romanorum fidei sciens quod futurum erat,  
sicut agnum lupis commēdauit. His gestis celsit ab urbe. Interea mulieres  
cum quibus Ioannes quondam papa uoluptates suas implere solebat, & nu-  
mero plures & genere non penitus ignobiles, concitauerunt Romanos ut  
Leonem papam quem ipsi uoce concordie elegerant, interficerent, & Ioan-  
nem in urbem reuocarent. Quæ cum fecissent, Leonemque occidendum ca-  
peret, de manibus eorum (Deo miserante) cum paucis euasit, & ad impera-  
torem pijsimū calamitatem suam expositurus accessit. Mox in urbem Ioan-  
nes reducitur, in summique Apostolatus sedē reponitur, statimque inter cæ-  
tera crudelitatis suæ facinora Ioanni diacono cardinali manum dextrā am-  
putat, & Azoni scriniario linguam duosque digitos præcidens, etiam naribus  
truncat. His cognitis imperator, tantas ulturus iniurias seruorum Dei repa-  
rato exercitu Romam quantocius redire disponit. Interea Ioannes olim pa-  
pa, sed iam Apostolicæ sedis temerarius inuasor, nihil prauitatum suarum  
emendans, dum se cum uiri cuiusdam uxore oblectaret, per diabolū in tem-  
poribus grauiter percussus, octauo die miserabiliter sine uiatico corporis  
& sanguinis Christi diem clausit extremū. Quo mortuo, Romani omnis iu-  
ramentorum & iurisiurandi obligationis immemores, Benedictum cardina-  
lem diaconum in papam constituunt, seque illum nunquam dimissuros, imò  
contra imperatorem defensuros iuramento promittunt. Quo audito impe-  
rator urbem uallauit, neminem qui non membris truncaretur, exire permi-  
sit, machinis & fame usque adeo Romanos infideles afflixit, donec ciuitatem  
uiolenter intrauit. Leonem uenerabilem papam proprię sedi restituit, ac Be-  
nedictum summi Apostolatus inuasorem ad eius pedes præsentauit. Qui  
post susceptam cōfessionem, in publica synodo, quam meruit, exilio relega-  
tus in Saxoniam, ibi mortuus est. Sanctus itaque Leo in sedem Apostoli cul-  
minis repositus sedit anno uno mensibus quinque, feliciterque obiit. Imperator  
sanctissimus sumpto de principibus factionum supplicio, acceptisque obsidi-  
bus, in Germaniam reuersus est. Anno autem Sigeri abbatis 12. qui fuit do-  
minicę natiuitatis 964. Bruno archiepiscopus Colonienſis frater Ottonis  
imperatoris primi, monasterium S. Pantaleonis in Colonia fundare cœpit:  
ubi inter fodiendum corpus S. Maurini abbatis & martyris inuentum, mul-  
tis claruit miraculis. Primus eiusdem cœnobij abbas Christianus dictus est,  
cuius uita concordabat uocabulo. Venerabilis iste Bruno Colonienſium  
archipræful inter multa pietatis suę studia, corpus S. Euergisti pontificis &  
martyris de ciuitate Tungrēſi Coloniā tranſtulit, & in monasterio S. Ce-  
cilię collocauit. Item superiorem partem S. Petri apostoli, baculi & cate-  
nam qua uinctus fuit, cum multis alijs reliquijs, de ciuitate Metēſi reduxit,  
ac in cathedrali ecclesia reposuit. Item corpus S. Proculi martyris à Roma  
translatum ad ecclesiam Sufatiensē in Vuestphalia dedit. Item corpus bea-  
tissimi martyris Eliphij, in monasterium S. Martini Scotorum nostri ordi-  
nis in Colonia reposuit: sed & corpus S. Gregorij Spoletani episcopi à Ro-  
ma, & S. Agilophi à Malmundario recipiens, ad Coloniā tranſuexit. An-  
no 13 Sigeri abbatis, qui fuit domini 965, sanctę memorię Bruno præfa-  
tus archiepiscopus Colonienſis moritur, & in monasterio S. Pantaleonis  
quod anno præcedente incepit, ac in extremis positus cōsummarī mādauit.  
Sepultus est anno pontificatus sui 12. qui multa miranda suo tempore fecit,  
tamque prudenter ducatum ab Imperatore fratre sibi commissum pro pa-  
ce fidelium rexit, ut officium Episcopi propterea (ut multi faciunt) non  
obmiserit. Huic in archiepiscopatu successit Vuolmarus annis quatuor.

*Imperator ab ur-  
be secedit.*

*Leo captus fuga  
elabatur.*

*Iohannes papa de  
positus introdu-  
citur Romam.*

*Iohannes à diabo-  
lo percussus o-  
bit.*

*Inuasor Benedi-  
ctus substituitur.*

*Roma capitur  
Leo in sedē suam  
restituitur.*

*Monasterium S.  
Pantaleonis  
fundatur in Colo-  
nia.*

*Reliquiæ sancto-  
rum Coloniā  
translata per Bru-  
nonem episcopū.*

*Bruno.*

Anno

Anno 15, Sigeri abbatis, Otto secundus Romæ à Ioanne papa petente, & astante patre, in Imperatorem consecratus est. Sequenti anno obiit Vuilhelmus filius imperatoris archiepiscopus Moguntinus, in cuius locū Hatto abbas Fuldensis huius nominis secundus ordinatus est archiepiscopus, qui fertur tempore famis magnam multitudinem pauperum mēdicantium in uno horreo concremasse, quasi ipsi inducerent famem super regionē suam mendicitate & ocio, uolens in hoc consulere tam eorum inopiæ quàm utilitati communi. Vnde aiunt quòd tertio anno nondum completo, in archiepiscopatum diuinæ animaduersionis uindicta in eum processerit, eumq; mirabili & prius inaudito multis genere supplicij durè satis punierit. Tanta enim turba murium undequaq; prorumpens in eum glomerata irruisse dicitur, ut quocunq; se uerteret, istiusmodi bestiolarum moribus premeretur: si erat in alto uel eminentiori quolibet loco, mures per parietes ascendebant: si uerò inclusus, per rimulas intrabant, eumq; infinita multitudine obruētes mordebant, lacerabant ac deuorare penitus gestiebant. Quarum tanta fuit importunitas, ut quanto repellentur impetu, tanto maiori furore incurfabant: cumq; se nusquam in terra tutum conspiceret, pontifex iam miserandus aquarum se munimine cinxit, ac iuxta oppidum Bingionum turrin in medio Rheni, ad custodiam patriæ olim constructam, scapha subuectus ascendit, sperans eo loci mures per undosi fluminis raptum nullatenus esse uenturos: sed non est locus quo suam diuinā potestas prohibeatur exercere uindictam, natantes per aquas infinita multitudine denuò mures turrin per muros ascendunt, intrant, pontificem inquietant, rodunt, infestant, tandēq; nimia eorum multitudine obrutum miserabiliter necant. Huic nos fabulæ authoritatem nec damus, nec rursus subtrahimus, quam usq; in hodiernum diem & à ueteribus descriptā legimus, & ab incolis terræ, ut à proauis perceptam auditu ad nepotes referre non ignoramus. Turris autem in Rheni fluminis medio nomen retinens à casu, Muriūm turris dicitur, in qua Hatto pontifex ab ipsis consumptus bestiolis perhibetur. Hoc ipso anno Meginradus monachus & scholasticus huius cœnobij eruditissimus, in bona senectute moritur: uir cui Hirsaugia in omni scientia scripturarum uix parem habuit, qui in omni genere disciplinæ tam perfectè fuerit institutus. Decessit autem 14. cal. Nouemb. anno domini 968, indictione 11. Huic in regimine scholæ monasticæ Reinhardus monachus successit, uir quidem satis doctus, sed ad præceptoris sui mensuram non peruenit: neq; tanto docendi feruore monachos ea quæ nouisset, agebatur, ut doctos post se discipulos relicturus speraretur. Fuerūt tamen ex institutione Meginradi scholastici quā plures docti monachi, in præsentī cœnobio, è quibus unus nomine Eginardus, in quadam ecclesia Saxonix episcopus factus est. Vuernerus ad S. Albanum Moguntix, Bernolphus ad monasterium S. Michaëlis abbates constituti sunt. Anno autē Sigeri abbatis 18. qui erat dominicę natiuitatis 970 Theodoricus Metensis episcopus, consobrinus Ottonis imperatoris, fundauit monasterium nostri ordinis in insula iuxta ciuitatem Metensis episcopi, in honorem sancti martyris & Leuitæ Vincentij, quod multis prædijs et ornamentis egregiè dotauit. Hoc tempore Bulgaribus imperabant duo filij Simeonis monachi Petrus & Baianus, quorum Baianus in arte Magica doctissimus erat, & per eam multa mirabilia faciebat. Quotiescunq; aut quā docunq; uoluit, mutauit se in lupū, uel in cuiuslibet alterius bestix formā, uel ut penitus à nullo uideretur, & alia miranda & potuit & fecit, de quibus homines magnā in admirationē perducere consueuit. His temporibus clariuit Richardus ex monacho S. Germani Altisiodorēsis episcopus uir nimis

*Simpli-*

*Otto filius imperatoris Romæ coronatur imperator.  
Hatto ex abate.  
Hatto pauperes concremasse in horreo.  
Vindicta sceleris Hattionis ante inaudita.*

*Muribus in omni loco circumuallatur episcopus.*

*Circa Bingen in Rheno consumitur episcopus à muribus.*

*Murium turris adhuc hodie dicitur.  
Meginradus.*

*Reinhardus.*

*Eginradus.  
Vuernerus & Bernolphus abbates.*

*Cœnobij sancti Vincentij Metensis constructur.  
Baianus in arte Magica doctissimus claret.*

*Richardus.*

simplicitatis & minoris industriæ quàm hæc tempora exigere uidebantur, uitæ tamen merito & zelo religionis multum uenerabilis. Claruit etiam his temporibus doctissimus ille abbas Floriacensis nomine Abbo, uir uita & zelo disciplinæ regularis clarissimus, qui scripsit inter alia ingenij sui opuscula, super calculo Victorij non abijciendum libellum. Tandem in Vasconia uerbum Dei prædicans gentibus martyrio rubricatus ascēdit ad cœlum. Aymonius quoq; monachus Floriacensis sub præfato Abbone ipsidem temporibus hanc scientia & conuersatione illustrabat ætatem, qui scripsit ex mandato eiusdem abbatis sui Abbonis de incrementis & inijs Gallorum satis pulchrum opus. De miraculis quoq; sanctissimi patris nostri Benedicti libellum & quædam alia, de quibus alibi fecimus mentionem. Herigerus quoq; abbas Bobiēsis, cuius meminit Berno abbas Augiensis in libro de aduentu domini, ipsidem claruit temporibus: multa scripsit, quorum rationem signauimus in secundo libro uirorum illustrium nostri ordinis. Erat sanè uir uidecunq; doctissimus, & tam ratione conuersationis quàm doctrinæ ualde famosus. Circa hæc tempora etiam claruit S. Volfgangus episcopus Ratisponēsis in Bauaria, uir magnæ sanctitatis & patrator multorum miraculorum, qui perhibetur ante pontificatum fuisse monachus Treuerensis ordinis nostri. Hic S. Valricum Augustensem episcopum ecclesiasticæ tradidit sepulturæ. Claruit etiam hoc tempore Rosuida monasterij Gandesheimensis nostri ordinis in Saxonia, uirgo sanctimonialis, in diuinis scripturis multum studiosa & erudita, secularium quoq; literarum non ignara, metro exercitata & prosa, quæ multa scripsit non iniucunda opuscula, quorum memoriam in præfato libello uirorum illustrium fecimus latiorē. Anno 20. Sigeri abbatis, qui fuit domini 972, Volmarus archiepiscopus Coloniēsis moritur, cui successit Gero filius Christiani comitis & Vuirburgæ sororis comitis de Magdeburg. Iste Gero archiepiscopus cum fratre suo Diethmaro comite fūdauit monasteriū nostri ordinis in Saxonia, quod dicitur, monachorum nouum castrum, quod nos uulgariter Munchuenburg, usitato nomine apellamus. Circa hæc tempora Hermannus Saxonix dux construxit monasterium Lunenburg, in Saxonia, in honorem S. archangelij Michaēlis, in quo monachos nostri ordinis posuit, quibus præfecit abbatem primum monachum de cœnobio S. Pantaleonis Coloniens. assumptum nomine Ludericū, uirum moribus & eruditione uenerabilem, anno Sigeri abbatis 22. Dominicæ natiuitatis 974, indictione 2. Otto imperator primus moritur, anno regni sui 38. Imperij uerò 13. cuius corpus cum magnis lugentium exequijs in ecclesia Magdeburgensi quam ipse construxit, est tumulatum. Ottone imperatore primo sicut prædiximus mortuo, Otto filius eius huius nominis successit, & fermè annis 10. post patrē imperauit, uxorem duxerat adhuc patre superstite Theophanam filiam Ioannis Imperatoris Græcorum, ex qua genuit Ottonē filium, qui post patrem tertius imperauit. Filias quoq; tres, Sophiā, quæ fuit abbatissa nostri ordinis in Gandesheim, Adelheidē, quæ etiam fuit nostri ordinis abbatissa in Quelenburg; & Iuttam, quam Valricus dux Bohemiæ duxit uxorem, rapiens eam uiolenter ex quodam cœnobio monialium in Ratispona. His quoque temporibus Gero archiepiscopus Coloniensis fundauit monasterium in signe ordinis nostri in diocesi sua, quod Gladbach nominatur, uno duntaxat miliare distans ab oppido Hufsiensi, quod multis prædijs & ornamentis ditauit. Primus autem eiusdem cœnobij abbas fuit Sanderadus uir sanctissimus uitæ, & regularis disciplinæ, tam in se quàm in subditis maximus cultor, qui multis uirtutibus & signis clarus in uita & post mortem

Abbo abbas doctissimus Floriacensis et martyr.

Aymonius.

Herigerus.

S. Volfgangus.

Rosuida.

Cœnobium Munchuenburg fundatur.

Cœnobium Lunenburg fundatur.

Otto Imperator primus obiit.

Otto secundus.

Cœnobium Gladbach fundatur hoc tempore.

S. Sanderadus abbas in Gladbach.

sancto

sanctorum Catalogo insertus est, cuius dies festus 9 calend. Septembris agitur. Circa hæc etiã tempora monasterium S. Martini in Colonia ordinis nostri fundatum est, cui præfuit primus abbas Mymborinus natione Scotus, uir religione & sanctitate multum uenerabilis. Vnde & Scoti ipsum monasterium multis annis inhabitauerunt, propter incomparabilem uitæ sanctitatem, quousq; tandem à pristino seruore tepescentes & in omnem dissolutionem remissi, de isto sicut & de cæteris quibusdam cœnobijs Germaniæ expulsi sunt. Anno Sigeri abbatis 25, Vuerboldus monachus huius monasterij obiit, 4 idus Nouembris, qui cum esset uir studiosus & doctus, scripsit de laude martyrum pulchrum libellum: de clade & desolatione patrię alterum libellum, & quædam alia sicut Meginfridus refert. Anno isto moritur Theodoricus archiepiscopus Treuerensis, sub quo canonici maioris ecclesiæ ibidem abiecta regulari uita, quam hucusq; in eadem ecclesia maiores eorum continuauerunt, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine & conuersatione seculares. Quorum exemplo malo, canonici quoq; S. Paulini Treuerenses, S. Castoris in Confluentia, Moguntinenses, Vuormatienses, Spirenses, & complurium aliarum ecclesiarum diuersis quidem temporibus, sed uno impietatis spiritu regularis uitæ communitatem abiecerunt. Hoc etiã anno obiit successor Hattonis secundi Rupertus archiepiscopus Moguntinus, cui Vuilegus uir bonus & Dei cultor insignis successit, qui construxit ecclesias S. Martini episcopi, quæ maior dicitur, & S. Stephani protomartyris, in quam & sepultus est: monasterium quoq; S. Victoris extra Moguntiam ampliavit, & multis ecclesiis monasterijsq; multa bona fecit. Claruit his temporibus Rupertus rex Franciæ, uir iustus, doctus, pius & religiosus, monachorum, clericorum, omniumq; literatorum hominum amator ac defensor, qui inter alia ingenij sui opuscula composuit Sequentiam illam de spiritu sancto, quam nos in ordine nostro secunda & tertia die Pentecostes in missa canimus, quæ incipit: Veni sancte spiritus, & emitte cœlitus lucis tuę radium. Responsorij quoq; Iudæa & Hierusalẽ. Illudq; de sancto Petro apostolo Cornelius centurio, cum multis alijs edidit. Tãtæ autem religionis fuit, ut in sanctorum relatus Catalogo, multis corruscauerit miraculis. Eodem tempore claruit in Angliã Adelboldus monachus Glasconiensis, discipulus S. Dunstani primũ abbas Abendonienensis, ac deinde episcopus Vuyntoniẽsis, uir doctus & tam uita quàm eruditione insignis. Huius Adelboldi præceptor fuit, sicut diximus, S. Dunstanus ordinis nostri monachus, deinde abbas Glasconiẽsis, postea episcopus ante ipsum Vuyntoniẽsis, postremò archiepiscopus Cantuariensis, uir sanctissimæ conuersationis, & miraculorum corruscatione insignis, cuius festus agitur dies 14. calend. quo & obiit, anno pontificatus sui 33, ætatis uerò 70. Dominicę autem natiuitatis 988. Anno uerò 28, Sigeri abbatis, qui fuit dominicę natiuitatis 980, obiit Adelbertus ex monacho cœnobij S. Maximini Treuerensis nostri ordinis, primus archiepiscopus Magdeburgẽsis in Saxonia, dolore calculi, anno episcopatus sui 13, mense 8, indictione uerò 8, uir deuotus atq; doctissimus. Quo mortuo electus fuit Othericus monachus Corbeiensis uir sanctus, & tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis eruditissimus, qui scholæ monasticæ in præfato cœnobio post Vuindichinum aliquãto tempore præfuit. Electioni de se factæ inuitus cõsensit, orauitq; Dominũ, ut eum fieri episcopũ non pẽmitteret, quod & impetrauit. Nam in itinere pro confirmatione ad curiam Romanã, non sine opinione sanctitatis decepsit. Anno Sigeri abbatis trigesimo, Otto imperator secundus, bellum periculosum gessit in Calabria, in quo Henrichus Augustensis episcopus

*Cœnobium sancti Martini Colonie fundatur.*

*Vuerboldus.*

*Canonici Treuerenses fiunt ex regularibus seculares.*

*Vuilegus.*

*Rupertus rex Franciæ doctus et sanctus claruit.*

*Adelboldus.*

*Dunstanus.*

*Adelbertus.*

*Othericus.*

*Cæsarum duces et abbates.*

episcopus cum multis alijs episcopis, Otto dux cum multis nobilibus, & Vuernerus abbas Fuldensis, cum multis alijs occisi sunt, & imperator natus uix euasit. Claruit his temporibus Adelbertus ex monacho Fuldensis cœnobij episcopus Pragensis in Bohemia, uir doctus & sanctus ac fidei Catholice propagator eximius, qui post multos pro Christo labores habitos, à Prutenis pro fide Christiana martyrio coronatus est, & in catalogo sanctorum relatus, cuius festus dies agitur 9 cal. Maij. Osualdus quoque ex monacho Floriacensis ordinis nostri cœnobij, archiepiscopus Eboracensis, uir doctus & sanctus, nepos B. Odonis Cantuariensis archiepiscopi, his temporibus clarus habetur. anno dominicæ natiuitatis 982, in dictione 10. die uerò 10 Calendarum Septembrium, Sigerus abbas huius monasterij 7. diem clausit extremum, anno assumpti regiminis 30. sepultus ante altare S. martyris Laurentij, in ecclesia D. patris Aurelij, uir deuotus & religiosus: cui usque ad S. Vuilhelmum, similis in abbatia Hirsauigiensi non successit. Lupoldus successit.

DE LUPOLDO, OCTAUIO HUIUS CŒNOBII ABBATE,  
*qui præfuit annis 4 tantum, de moribus eius & gestis illius temporis.*

SEPulto reuerendissimo abbate Sigerō, quemadmodum præmissimus, conuenerunt in unum fratres, ut sibi de pastore secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti prouiderent: qui post uotorum illationem, ut fieri solet, in unum Lupoldum monachum ex suis in abbatem unanimiter elegerunt, 6. calend. Septembris, anno domini 982. indictione 10. Ottonis imperatoris 2. anno 8. uirum senem admodum & uenerabilem, qui præfuit huic monasterio annis duntaxat 4. mensibus 3. Hic Lupoldus gente fuit Bavarus, natione Ratisponensis, ex parentibus mediocribus, sed tamen honestis genitus, qui ordinem monasticum sub Diethmaro sexto huius monasterij abbate, intrauit adhuc iuuenis, in quo plus quàm 40. annis uixit religiosissime sine querela, ambulans ante faciem suam in pace & tranquillitate spiritus, nulli molestus, nulli onerosus: erat enim homo nimie simplicitatis, & forsitan plus quàm mores subditorum & hæc tempora requirebant quietus, qui monasticæ conuersationis exemplar erat, non prædicator, quippe quem uita sancta commendabat propria, & nulla commoueret impietas aliena. His temporibus post Geronem archiepiscopum Coloniensem fuit Vuarimus pontifex ecclesiæ, annis 9. qui monasteriũ S. Martini ordinis in Colonia (de quo supra diximus) nostri, renouauit, magnificeq; dotauit, & Scotis possidendum in perpetuum tradidit, sub regula sanctissimi patris nostri Benedicti. Claruit circa hæc tempora Erhardus monachus Lunebergensis in Saxonia, in diuinis scripturis studiosissimus, & seculariũ literarũ non ignarus, qui multa ingenij sui opuscula posteritati reliquit legenda: scripsit enim inter cetera exquisitæ lectiõis cõmentaria in Genesin, in Exodus, in Leuiticũ, & in alios Biblię plerosq; libros. Algerus quoq; monachus Corbeiensis in Saxonia, & multis annis scholasticus, ante cõuersionẽ seculariũ & post cõuersionẽ monachorũ, uir tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis doctissimus. Hisdẽ tẽporibus claruit, qui inter cetera ingenij sui monimẽta scripsit de sacramẽto altaris & de libero arbitrio, non spernẽda opuscula. Arnulphus etiã, siue nostro more Germanico, Arnoldus monachus huius cœnobij, his diebus scripsit metricũ opus super Prouer. Salomonis, & licet nobis non cõstet reliqua ingenij eius opuscula, nihilominus plura illiũ & alia scripsisse non dubitamus. Neq; enim unius editione opusculi tantum hominis ingeniũ prouocari ad scribendũ potuit uel cessare. His quoq; diebus claruerunt 5. monachi ordinis nostri, uidelicet Benedictus,

Nathanael

*Monachi quin-  
que martyres.*

*Libatius.*

*Othuuinus.*

*Odo.*

*Bruno.*

*Gebhardus.*

*Ieiunium bannitū  
instituitur.*

*Imperator qui  
huius nominis se-  
cundus.*

*Otto tertius.*

*Lubentius.*

*Osdacus.*

*Osbernus.*

*Flaualdus.*

*Theodericus.*

Nathanaël, Ioannes, Isaac, & Christianus, discipuli B. Adelberti Pragensis episcopi & martyris, de quo supra dictum est: qui post multorum conuersionem hominum in Vngaria, Prussia & Polonia, sua prædicatione Domino adiuuante peractam, tandem in Polonia pro Christi nomine martyrio coronati sunt, 9 calend. Maij. Claruit & his ferme temporibus Libatius monachus cœnobij S. Albani martyris prope Moguntiam, uir moribus & conuersatione sanctissimus, quem Benedictus papa 7, propter incomparabilem scientiam scripturarum & zelum fidei Christianæ, in episcopum ordinauit, & ad prædicandum euangelium gentibus in Russiam misit, ubi uerbo & exemplo innumerabilem Christo populum acquisiuit. Othuuinus quoque decimus episcopus Hildeshemensis ex monacho cœnobij Magdaburgensis nostri ordinis in Saxonia, doctus & zelo religionis feruidus, his temporibus clarus habetur: & præfuit ecclesiæ Hildeshemensi annis ferme 29. Odo etiam abbas Corbeiensis, in Francia episcopus Beluacensis factus, circa hæc tempora claret, qui tam eruditione scripturarum quam integritate conuersationis, in magna apud omnes reuerentia habebatur, apostolicis & regalibus legationibus complures functus, in maximis negotijs suis. Claruit his quoque diebus Bruno ex monacho Corbeiensis cœnobij in Saxonia episcopus Verdensis, frater Hermāni ducis, uir præfule dignus, quippe qui tam monasticis institutis quam ecclesiasticis disciplinis nobiliter imbutus fuisse perhibetur. Gebhardus etiam episcopus Augustensis, ex abbate monasterij ordinis nostri quod Eluangen dicitur, in eadem diœcesi constitutum, his floruit temporibus, qui moribus & scientia utrunque cornu altaris ornauit. Anno Ludolphi abbatis primo, dominicæ autem natiuitatis 983, indictione 11, Egbertus archiepiscopus Treuerensis instituit ieiunium bannitum tertia hebdomade post festum paschatis celebrandum, propter siccitatem nimiam, quæ omnem regionem uehementer afflixit. Anno sequente, qui Lupoldi abbatis secundus, Otto 6 iduum decembris Romæ moritur, & in ecclesia S. Petri principis apostolorum honorificè sepelitur. Cui filius eiusdem nominis Otto tertius succedens, imperauit annis ferme 18. Vxorem habuit Mariam regis Arragoniæ filiam sterilem, unde prolem non suscepit. Anno Lupoldi abbatis 3, obiit Vuarimus archiepiscopus Coloniensis, cui Euengerus successit. Claruit his temporibus Lubentius archiepiscopus Bremensis in Saxonia, ex monacho Hirsfeldensi, uir in scripturis sanctis studiosus, qui præfuit populo sibi commisso annis 25, strenuè. Osdacus etiam ex monacho Augiënsis cœnobij post Othuuinum episcopus Hildeshemensis factus, circa hæc tempora clarus habetur, rexitque commissam sibi diuinitus ecclesiam uerbo & exemplo strenuè annis 29. Claruit his quoque temporibus in Angliā Osbernus monachus Glascouiensis cœnobij ordinis nostri, uir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis celebræ rimæ eruditionis, qui scripsit inter cætera lucubrationum suarum opuscula, uitam S. Dunstani archiepiscopi Cantuariensis. De musica quoque uariosque dulci composuit modulamine cantus: sed & alius nostri ordinis monachus cœnobij Remensis Flaualdus nomine hæc tempora eruditione sua illustrauit, & multa scripsit. Inter plura uerò extat insigne opus, in quo gesta Remensium pontificum ab initio ipsius ciuitatis orsus describit, inserendo uitam seu passiones complurium sanctorum. Hisdem quoque temporibus apud Moguntiam in cœnobio S. Albani martyris nostri ordinis, claruit Theodericus monachus, in diuinis scripturis & secularibus multum eruditus, qui scripsit successiones & gesta Moguntinorum pontificum. In Cantica quoque canticorum commentatus est: in Euangelium Ioannis similiter commen-



commentaria perpulchra composuit. Sed alia pleraque ingenij sui præclara posteritati monumenta reliquit, quorum tituli iam memorię non occurrunt. Eodem quoque anno Villigisus archiepiscopus Moguntinensis Ottonem tertium unxit in regem, & post triennium à Gregorio papa 5. Romæ in imperatorem consecratus est. Lotharium regem Francorum Lotharingiam instantem apud Verdunum superans fugauit, & ad restitutionem omnium ablatorum compulit. Claruit etiam circa hæc tempora Bruno monachus cœnobij S. Viti Gladbacensis nostri ordinis in diœcesi Colonienſi, uir multum studiosus, & tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis egregie doctus, qui multa quidem scripsisse dicitur, sed pauca eorum ad noticiam nostram peruenerunt, de quibus alibi fecimus mentionem. His etiam temporibus claruit in isto cœnobio Hirſaugienſi uir nobilis, studiosus, & in omni uarietate scripturarum egregie doctus, presbyter & monachus nomine Adelbertus, qui propter uitæ meritum & eminentiam, doctrinam & philosophiam opinionis in abbatem Clingensis monasterij assumptus fuit, qui utinam huic monasterio præpositus fuisset, forsitan nūquam in tantam desolationem & ruinam cecidisset status cœnobij Hirſaugienſis, de cuius miseria post pauca dicturi sumus. Præfuit autem monasterio præfato Clingenſi strenuè annis multis, uerbo & exemplo dignum se obedientemque Christi uicarium exhibere in omnibus curas. Erat autem in omni Germania nomen eius celebris famæ, tum propter scientiam eruditionis, tum etiam propter uitæ integritatem. Vnde & principes & ecclesiarum pontifices multum in eius consilio pendebant. Anno domini 986 indictione 14. Lupoldus anno suscepti regiminis 4 completo, & tribus mensibus, moritur 8. cal. decemb. & in ecclesia monasterij S. Aurelij sepelitur, uir quatum ad suam personam optimus, cui nihil dulcius quiete monastica, silentio & contemplatione fuit. Erat tamen circa aliorum coerenda peccata aliquantulum remissior & ad misericordiam promptior.

Imperator inun-  
gitur.  
Lotharium uicit.

Bruno.

Adelbertus.

Lupoldus.

DE HARTFRIDO, IX. HUIVS MONASTERII  
abbate, qui præfuit annis duntaxat duobus, & certis  
gestis illius temporis.

IGitur mortuo abbate Lupoldo ac tradito more Christianorum ecclesiasticę sepulturę, monachi huius cœnobij pastore destituti, post longas inter se habitos tractatus tandem elegerunt sibi in abbatem Hardfridum monachum, iuuenem quidem in annis, sed talem prudentia & moribus, de quo spes optimi pastoris non modica haberetur. Electus est itaque anno domini cę natiuitatis 986. eodem die quo Lupoldus decessit 8. cal. dec. & præfuit uix duobus annis. Erat autem natione Sueuus, annorum ferme sex & triginta ætatis, moribus cœnobiticis apprimè ornatus, in omni eruditione scripturarum non infimè doctus, facie decora, uirilique statura proportionabiliter eleuatus, ingenio acutus & disertus eloquio, & talis qui facile auditoribus que uellet, uideretur posse persuadere. Et reuera nisi eum immatura mors ante tempus rapuisset è medio, hunc locum ab extremis periculis & malis, quibus non post multos inuolutus est, Domino adiuuante præseruasse potuisset, quod ex initio regiminis eius quam facile potuit auspiciari. Quam primùm enim sublimatus, in abbatem extitit, totis curauit uiribus, ut secundum puritatem regulę sanctissimi patris nostri Benedicti, omnes in monasterio uiuerent monachi: & si quem aliter reperisset cõuersantem, non sustinuit, sed monitum semel & iterum, nec emendatum, durius coram omnibus iuxta normam ordinis punire consueuit. Et ne quis corrigentem posset arguere, in omnibus se irreprehensibilem sectatorem bonorum operum & uiuum exemplar uir

Hardfridus ab.

Vita Hardfridi  
abbatis.

Commendatur æ-  
lus eius pro di-  
sciplina.

tutū subiectis studuit exhibere. Anno eius primo, Otto imperator tertius Bohemiam cum exercitu ualido ingreditur, & ducem eius cum uniuersa gente ad deditiōem cōēgit. Claruit his temporibus Adelbertus ex monacho Bobiensi nostri ordinis abbas Gēblacensis, præceptor Burchardi Vormatiensis doctissimī, postmodum episcopi, uir in diuinis scripturis doctus, & in secularibus literis ualde eruditus, cū adhuc monachus esset in præfato cōenobio Bobiensi publicam monachorū scholam tenuit, ac multos post se discipulos eruditissimos reliquit. Ingenij quoq; sui multas lucubrationes posteritati trāsmisit. Floruit etiam his temporibus Engelbertus monachus cōenobij S. Eucharij Treuerensis, quod hodie S. Mathiæ apostoli uocabulo nuncupatur, patria Mosellanus, uir undecunque exercitatus metro, doctissimus & prosa, qui scripsit inter cætera ingenij præclari opuscula, uitam & passionem duodecim Apostolorum metricè, de musica & de compositione monochordi quædam syntagmata composuit, & pleraq; alia quæ ad manus nostras non uenerunt. Hic postea in abbatem monasterij, cuius nomen reperire non potui electus, post annos aliquot in Domino requieuit 12. cal. Martij, sicut in eius Epitaphio patet subiecto:

Hoc recubat busto semper memorabilis abbas,  
Engelbertus ouans, spiritus astra colit:  
Mentis Martij obiit, bis senis ipse calendis  
Construxit templum, quod retinet tumulum.

*Pestis magna fuit  
in Germania.*

Anno secundo abbatis Hardfridi maxima pestilentia, fames & mortalitas per totam Germaniam nimis inualuit, & tanta siccitas, quod penè genus omne frumenti in terram sati perijt, præ nimia siccitate, quia non habuit humorem, quo crescere potuisset. Interea dum lues ipsa pestilentie in omni circa regione nimium grassaretur, morereturq; multitudo hominum maxima, etiam monasterium S. Aurelij Hirsaugiense nostrum heu crudeliter inualuit, & totius destructionis eius, quæ paulò post sequuta est, ut nobis apparet, occasio fuit. Nam in breui tempore, utpote quatuor mensium, tam miseranda clade, 60. huius cōenobij monachi consumpti sunt, qui omnes in hac pestilentie mortalitate obierunt. Nouissimè uerò mortuis tot fratribus, cū finis putaretur adesse periculi, pastor oues secutus est. Nam eodē anno, qui fuit dominicæ natiuitatis 988. Hardfridus huius monasterij abbas nonus, obiit 5. nonarum Decembrium, anno ætatis suæ 38. assumpti uerò regiminis secundo. Post cuius obitum, mox huius monasterij proximæ destructionis seminarium proh dolor inextinguibile surrexit. Remanserunt autem defunctis monachi in hoc superstitēs 12. in quibus summa constituendi abbatis in locum demortui residebat: qui utinam rebus prudentius consulissent suis, & non per contentiones & schismata locum Deo consecratum in manus tradidissent exterorū. Monachorum summa uirtus humilitas, maximumq; uitium superbia: quia dum alter alterū libidine dominandi excellere nititur, monasterium seruorum Dei in foueam demonum commutatur. Tale monasterio huic malum his temporibus post mortem præfati abbatis contigit, quoniam dissensio fratrum in electione discordantium illud funditus, ut ita dixerim, destruxit. Vnde hoc malum huic loco tam celeberrimo, domine Deus, in quo tot sanctissimi uiri nomini tuo paulò antè seruiētes tibi placuerunt. Ecce, meliores & qui zelum habebant disciplinæ regularis, de medio translati sunt, & remanserunt monachi inutiles, superbi, elati & carnales, ut destruant suis functionibus locum celeberrimum nomini tuo consecratum. Quare hoc ita fieri uoluisti, domine Deus, qui iuste iudicas: Nunquid ut præualerent impij, iustos consumere uoluisti: Absit, huius

*Hardfridus.*

*Deploratio calamitatis huius monasterij.*

lit, huius

fit. Iudicia tua Domine cernimus, causas ignoramus: nec ad nos attinet causas iudiciorum suorum discutere, quas sine peccato possumus nescire. Imò nomini tuo sanctissimo, quas possumus gratias agimus, qui monasterium istud propter causas tibi notas ita permisisti cadere, ut in statum & conditionem resurgeret meliorem. Nam si uelimus monasterium Hirsaugiense quod hodie cernimus, cum personis, rebus, substantia & ædificijs conferre ueteri, quod miserabiliter ruisse deplangimus, comparisonem præteriti ad præsens nullam inueniemus. Tantum enim præsentis temporis Hirsaugia uetus illud monasterium cum omnibus conditionibus suis excellit & supergreditur, quãtum posterius tempore uidetur. Sed historiam debito prosequentes ordine, factum sicut ad nos, ueterum testimonia scripturarũ perlatum est, fideliter & breuiter exponamus. Nam etsi parum ad edificationem legentium conducere possit, erit tamen eius notitiæ cunctis, qui simili sorte transigunt uitam, in conuersatione claustrali auisatio non inutilis, qua discant in electionibus abbatum non se, non proprium commodum, sed Dei solius honorem quærendum.

*Comparatio ueteris monasterij ad præsens.*

*Factis qui samur ne in faciendis erant.*

DE CONRADO, X. HVIVS CŒNOBII  
abbate, qui præfuit annis ferè XII. & dissensione pessima  
quæ contigit in electione.

**D**efuncto siquidem uenerabili abbate Hardfrido cum 60. monachis, sicut diximus, de conuentu, duodecim superstites remanserunt: qui post tres ferme menses ad eligendum abbatem in locum unum conuenerunt corpore, qui tamen mente (ut statim apparebit) longè ab inuicem erant separati. Duos enim in dissensione eligentes Conradum, qui munus confirmationis ab episcopo suscepit, & Euerardum profugum, qui monasterium spoliavit, seminarium & materiam destructionis huius loci prohdolor impijs præbuerunt: una siquidem pars adhærebat Conrado tanquam legitime & canonicè electo, alia Euerhardum uerum ac legitimum, secundum primas sanctiones prædicabat esse pastorem. Præualuit tamen iure Conradus & tanquam à saniore parte fratrum electus, ordinationem à pontifice suscepit. Interea dum Conradus pro munere benedictionis est sollicitus, Euerardus sublatis thesauris omnibus, calicibus, crucibus & ornamentis & quicquid subripere potuit cum duobus monachis suæ partis, ad comitem, qui alioquin in monasterio iam grauerat infensus, petiturus auxilium properauit. Quem ille non solum libenter, sed etiam ualde gratanter suscepit, gauisus (ut postea liquidò patuit) occasionem sibi datam, qua bonis monasterij dudum hiantem animum inferret, nunc tandem satandum. Statim latro possessiones monasterij Deo & sancto Aurelio dudum oblatas à fidelibus Christi, truculentus inuadit, diripit, & in stipedium suis militibus quasi uicissitudine impensæ seruitutis distribuens concedit. Inuadit uillas, curtes, agros, domos, & quicquid ad monasterij ius pertinere cognouerat, & sub prætextu iustæ defensionis Euerardi (ut ipse dicebat) abbatis, res monasterij paulatim suis uisibus infiscauit. Quem in his omnibus monachi defensores non habentes, inuocare protectorem potuerunt, cum omnes, aut potentiam comitis uererentur, aut spoliolorum monasterij ducèretur cupiditate. Præterea Euerardus, datus in reprobum sensum, & alienatus mente, ad rapinam milites incitabat, se dicens esse abbatem, sibi licere monasterij sui res cui uelit permittere. Interea Conradus abbas, & monachi suæ parti consentientes, contumelias & iniurias quibus opprimebantur, deferebāt ad episcopum, auxilium contra insultus tyrannorum postulantes. Sed nihil factum ad restitutionem abbatorum eo tempore constat, sed uiolentia maior

*Conradus eligitur contra eum Euerardus.*

*Euerardus suratur omnia ornamenta ecclesie.*

*Monasterium miserè spoliatur.*

*Euerardi crudelitas.*

*Conradus.*

indies crescebat, cum sibi licere à parentibus oblata repetere iam comes publicè fateretur. Beata illi omnis uidebatur occasio, qua de spolijs monachorum auaritiã in quam inciderat, grauiter fatiaret. Conradus itaq; pauper iam & miserabilis abbas cum paucis monachis, nec omnibus quidem fidelibus, in cœnobio, maximo timore metuq; percussus residebat, uix habes unde suosq; pasceret ac uestiret. Electus autem fuit anno dominicæ natiuitatis 989. indictione secunda, duodecimo calend. Martij, & præfuit monasterio in multistribulationibus & miserijs annis quasi 12. Erat autē natione Francus, humili profapia genitus, & propterea minus idoneus tantis malis totq; tyrannis resistere. Vir bonus fuit & simplex, plus ad mysteria religionis tractanda natus, quàm monasterium in tantis turbationibus prouide & utiliter gubernare. Porro pessimus ille apostata Euerardus, cum seminaretur monasterium in manu ualida breui intraturum, Conradumq; abbatem in carcerem coniecturum, morte præuentus interiit. Monachi autem qui cum eo cœnobium exiuerant, profugi semel facti, manserunt, & amplius ad monasterium non sunt reuersi. Et quidem Euerardus hunc finem malitiæ suæ dignum accepit, qui destructionis monasterij huius author & occasio fuit. Quo mortuo iam Conradus abbas, & monachi qui remanserant, maiori pace ac securitate in monasterio uiuere potuerunt, cum is qui totius mali princeps fuerat, de medio esset sublatus. Eorum autem quæ de monasterio siue per apostatã, siue per comitem, aliosq; illorũ ministros fuerunt ablata, nihil restitutũ omnino fuit: sed potius quoad fieri potuit, plura semper distracta in manus seculariũ deuenerũt. In hac miseria & afflictione Cōradus abbas cū fratribus suis, in paruũ iam numerũ redactus, quamdiu uixit consenuit, quo post annos 12. mortuo (sicut dicemus) expullis monachis, per comitem seculares introducti sunt. Eodẽ anno quo Conradus in abbatẽ eligitur, grana tritici & pisciculos pluuisse in Gallia de cœlo ferunt, qui tamen ad usum non ualuere humanum, propterea quod intrinsecus corrupti nimium aperte foeterent. Eo etiam anno S. Dunstanus archiepiscopus, cuius longè superioris meminimus, 14. calend. Iunij ad Dominũ migrauit. Hoc etiã anno mortuo Ioanne papa 16. Bruno natione Germanus, cognatus Ottonis Imperatoris fit papa, qui dictus est Gregorius quintus. Ipse Ottonẽ ad imperium coronauit Romanum. Anno Conradi abbatis secundo moritur Theophanes mater Imperatoris, & in basilica S. Pantaleonis Colonia sepelitur in abside meridionali, quam dum uixit, summo honore coluit, & rebus proprijs munificenter cumulauit. Ipsa etiam inter alia corpus S. Albani martyris olim pro Christo in Britannia passus, de Italia ad monasterium S. Pãtaleonis præfatum adduxit. Anno Conradi abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 994. monasterium S. Michaëlis archangeli in Hildeshem nostri ordinis fundari cœpit per S. Bernardum eiusdem ciuitatis episcopum, qui & in eodẽ monasterio sepultus, infinitis coruscauit miraculis. Anno sequẽte S. Adelbertus ex monacho nostri ordinis episcopus (de quo supra diximus) Pragensis, qui Vngaros conuertit ad fidẽ, à paganis in Prussia septies perfossus & tandem capite truncatus martyrium consummauit, 9. calen. Maij. Gregorius papa quintus congregata synodo statuit, consentientibus Romanis & omni clero, Romanum Imperium apud Germanos debere perpetuis futuris temporibus permanere, ita ut Germaniæ principes per Ottonem tertium deputati, habeant ius & potestatem imperatorem eligendi. Quæ constitutio iam per annos sex & quingentos usq; ad nos, inuiolabili stabilitate seruata est. Claruit his tẽporibus Gerbertus monachus ordinis nostri cœnobij Floriacensis, uir in Mathematica, Astronomia, Philosophia, Arithmetica,

*Euerardus apostata fur et sacrilegus, moritur.**Ablatorum nihil restituitur.**Triticum & pisciculi pluuunt de cœlo in Gallia.**Theophanes imperatrix obiit.**Monasterium S. Michaëlis in Hildeshem fundatũ est.**Constitutio de imperio Germanorum.**Gerbertus.*

metica, cæterarumq; penè omnium scientiarum doctrina eruditissimus, qui multos discipulos nobilissimos reliquit, inter quos etiam fertur Otto imperator fuisse non ultimus. Hic propter incomparabilem scientiam suam primò fuit archiepiscopus Remensis in Gallia per Hugonem regem Franciæ constitutus, deinde pulsus: per Ottonem imperatorem constituitur archiepiscopus Rauennatensis: ac postremò fit summus pontifex in urbe Roma, & Syluester secundus dictus est. Scripsit de sphaera pulchrum opus. Item de compositione astrolabij & quadrantis. In Arithmetica quoq; pulchras compositiones fecit. Dialogum quem cum Leone abbate habuit nuncio Apostolico, multi plurimum commendant. Epistolas plures quas ad inquisitores discipulorum scripsit, uidimus. Hic est papa Syluester, qui à plerisq; pacti foederisq; cū demonibus initi arguitur, cuius rei nos ferre sententiam nec uolumus, nec debemus. Sedit autem in pontificatu summo annis 4. His etiam temporibus post obitum S. Maioli abbatis Cluniacensis nostri ordinis, factus est abbas in Cluniaco S. Odilo eximiae sanctitatis uir, qui præfuit eidem monasterio cum feruore maximo religionis, annis ferme quinquaginta sex. Is cū esset uir doctus, fertur nonnulla scripsisse opuscula, & præcipuè sermones ad fratres, quibus ingenij sui dexteritatem ostendit. Anno Conradi abbatis 10 fuerunt maximi terremotus per loca Germaniæ & totam pene Europam, quibus multa fortissima etiam ædificia pulsa corruerunt. Apparuit insuper cometes eodem anno, qui multos terruit suo aduentu. Anno Conradi 11. qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus annus, ossa Caroli imperatoris quondam Magni hucusq; multis incognita, apud Aquisgranum ab Ottone Imperatore tertio, quæ sita & inuenta sunt. Eodem anno obiit Euergerus archiepiscopus Coloniensis, cui S. Heribertus in archiepiscopatu feliciter successit. Qui construxit in opposito ciuitatis Coloniensis iuxta flumen Rheni destructo castro, monasterium nostri ordinis in honorem B. Mariæ semper uirginis, quod Tuitium appellamus, in quo abbatem & monachos secundum regulam S. Benedicti constituit, multisq; prædijs & ornamentis cumulauit. Eodem anno Imperator cum multis cardinalibus, episcopis, abbatibus, principibus, & ualido exercitu Poloniam uisitaturus, inter alia regni negotia sepulchrum S. Adelberti martyris Pragësis episcopi, nuper (ut supra diximus) pro fide Christi martyrizati, qui sepultus in Polonia miraculis infinitis & stupendis illo in tempore coruscabat. Obtinuit autem eiusdem martyris brachium unum, à Bolislao duce Poloniæ, quod cum ingenti deuotione suscipiens, Romæ in ecclesia S. Bartholomei collocauit. Idem quoq; imperator ob honorem sanctissimi martyris Adelberti, fratrem eius Gaudentium monachum ordinis nostri in archiepiscopum primum ecclesiæ Pragësis, ubi frater episcopus fuerat, anuente summo pontifice Syluestro secundo constituit: qui cū esset uir doctus atq; sanctissimus, multas sua prædicatione in circuitu gentes ad fidem Christi conuertit. Claruit his temporibus Ansfrius ex comite monachus nostri ordinis, & ex monacho 18 episcopus Traiectensis. Alij dicunt quòd ex episcopo monachus sit factus in monasterio sanctæ Mariæ nostri ordinis, quod ipse cōstruxit. Et hoc magis cōsonat ueritati & chronice Traiectensium quæ dicit, quòd anno Domini 1005. tãquam filius castigatus à Deo lumen oculorum amiserit, & sacre religionis habitum in præfato monasterio S. Pauli hodie dictum, cuius ipse fundator extitit suscipiens, usq; ad finem uitæ in sancto proposito cum multa deuotione & sanctitate perseverarit. Præfuit autem ecclesiæ Traiectensi annis 15. & multa bona monasterijs & ecclesijs suo tempore fecit. Post hunc, Adelboldus monachus (ut quidam fe-

*Scripta ipsius  
Gerberti.*

*Maiolus & Odi-  
lo abbates Clunia-  
censes.*

*Terræmotus.*

*Ossa Caroli ma-  
gni imperatoris  
repeuntur.*

*Monasterium Tu-  
nicense cōstrui-  
tur.*

*Adelbertus.*

*Gaudentius.*

*Ansfrius.*

*Monasterium S.  
Pauli Traiecti  
fundatur.*

*Adelboldus.*

runt) Bobiensis nostri ordinis ecclesiam Traiectensem rexit annis 18. uir doctus & prudentissimus, qui fuit Henrici Imperatoris secundi (de quo suo tempore dicemus) cancellarius & consiliarius aliquanto tempore, qui dexteritate ingenij sui exercitans, multa scripsit præclara opuscula: multa etiam bella pro libertate ecclesiastica gessit contra Theodoricum Hollandiæ comitem. Circa hæc tēpora quidam monachus à Hierosolymis rediens, apud quendam eremitam in Sicilia circa montem Æthna flammam euomentem aliquandiu hospitio detentus est. A quo cum audisset in eodem monte Vulcani, defunctorum animas torqueri flammis & ex his multas liberari quotidie per orationes fidelium, & maximè Cluniacensium monachorum, quod sibi manifestum testimonium spirituum tam bonorum, quam malorum idem eremita firmabat. Vnde monachus ad Cluniacum digressus hæc Odiloni patefecit abbati, cuius ordinatione memoria fidelium animarum, altera post festum omnium sanctorum die, deinceps in sancta ecclesia Dei cœpit frequentari. His quoque temporibus claruit apud Treuiros noster Theodoricus monachus cœnobij sancti Mathiæ Apostoli, ordinis nostri, qui cum esset uir studiosus atque doctissimus, scripsit de inuentione S. Celli librum unum, quæ per Egbertum archiepiscopum 7 calend. Martij in præfato monasterio facta est: & quædam de quibus mentionem alibi fecimus. Claruit etiam hysdem temporibus Remigius abbas Mediolacensis nostri ordinis in diocesi Treuerensi, uir in scripturis diuinis studiosissimus, & in secularibus literis egregiè doctus, qui publicam in suo cœnobio scholam monachorum tenuit, in qua non solum suos subditos, sed etiam ex diuersis alijs cœnobijs monachos ad se missos erudiuit. Huius uiri studium & scripta in secundo libro illustrium uirorum ordinis nostri plenius digessimus. Floruit etiam his temporibus Theodorus monachus S. Mathiæ Treuerensis contemporaneus, Theodorici monachi supradicti condiscipulus, uir moribus & scientia illustris, qui scholæ publicæ multis annis in eodem cœnobio gloriose præfuit, & uaria scribendo ingenium posteris notum facere curauit. E quibus extant in Apocalypsin Ioannis non abijcienda lectionis synthemata. De musica & astronomia uaria composuit. Hic post multos in sancta religione labores, ad Dominum remunerandus felix migravit, cui hoc Epithaphium discipuli posuerunt:

*Commemoratio  
fidelium amorū  
hoc tempore cœpit.*

*Theodoricus.*

*Remigius abbas*

*Theodorus.*

*Epithaphium.*

Theodori monachi pausant hic membra sepulti,  
 Qui pietate uigens, simplicitate eluens  
 Presbyter officio, quod complens ordine certo  
 Feruebat summi laudibus in Domini,  
 Prudens & doctus, nulli pietate secundus,  
 Totum quod didicit, mox alijs retulit,  
 Ut sibi commissum bene collaudando talentum  
 Centuplicet iustus atque pius Dominus:  
 Transijt in nonis felici fine Decembris,  
 Pro quo posce Deum, qui legis hunc titulum.

Anno Conradi 12. Otto imperator expeditionem tertio mouens in Italiam cum ingenti exercitu Romanos deuastat, uincit, superatque. Porro Crescentem, qui principatum Romæ inuaserat, & multa contra ecclesiam Dei & uicarios Christi mala commiserat, capite truncari fecit. Cumque Romæ aliquandiu degens remissius cum Romanis ageret, eum contemptui habere cœperunt. Vnde conspiratione facta, militum eius aliquot interfecerunt, ipsumque in palatio fortiter obsiderunt. Qui per industriam Henrici ducis Bauariæ & Hugonis marchionis simulato pacto, uix extractus à Roma discedit,

cedit, comitante papa: & quia uxor Crescentis, mulier speciosissima, in actus Venereos imperatori dudum consentiens, spe regnandi cum se relicta Imperatorem abiisse conspiceret, ac doleret, poculum ei subordinat uenenatum, quo ille hausto in Italia inter remeandum moritur. Pontifices autem & qui cum ipso erant principes, indutum cadauer purpura arte composuerunt super equum ac si uiueret, ne forte tumultus in Italia fieret, si mors Imperatoris fuisset rescita, educentesque intestina reliquerunt apud Augustam Vindelicorum, corpus uero in basilica Aquensi sepelierunt. Cui Henricus ex ducibus Bauariæ ortus, sed actu Bambergensis comes, electione principum succedens, Moguntia à Villigiso archiepiscopo regni diadema suscepit. Hic est Henricus huius nominis secundus imperator, qui in sanctorum catalogum scribi meruit: de quo postea dicemus in suo loco, quem hic anticipando signauimus. Anno Dominicæ natiuitatis 1002, indictione 15, Conradus abbas decimus huius cœnobij moritur idibus Februarij, quo cum lamentis fratrum in ecclesia sancti Aurelij sepulto, uacauit abbatia Hirsaugiensis annis 63, sicuti in sequentibus per ordinem dicemus.

*Imperator in Italia moritur intoxicatus.*

*Henricus secundus fit imperator*

*Conradus abbas moritur.*

DE ABBATIA HUIUS MONASTERII VACANTE PER annos 63, & quibusdam gestis interea monasterij, ordinis, & Alemanniæ.

Conrado uenerabili, ne dicam miserabili, abbate huius monasterij decimo, uiam uniuersæ carnis ingresso, monachi numero pauci in hoc loco superstites remanserunt. Inter quos quum essent duo, qui olim in dissensione electionis Euerardo adhæserant, & nec nunc quidem ad uiam ueritatis penitus essent reuersi, maiorem quam eatenus fuerant experti, reliquis tribulationem suscitauerunt. Enim uero quum inter se consultarent super electione noui pastoris, uices suas comes uiolenter & manu armata interposuit, seque daturum illis abbatem pollicitus, ne ad electionem procederent penitus interdixit. Qui ut monasterium sub specie pietatis paulatim monachis uacuum, & avaritiæ suæ totum quod reliquum erat, potuisset reddere, præposito eis suis ex familiaribus œconomo seculari, qui curam gereret omnium, donec promissus abbas, quem se nunquam daturum sciebat, ueniret, ac secundum regulam gubernaret omnia. tum se restitutum cuncta quæ abstulerat, humilibus uerbis in dolo promisit. Reuera enim hoc quærebat, quod non longè postea contigit, ut monachis uel mortuis, uel expulsis, ipse ad ius suum uniuersa reuocaret. Nam post triennium ferme quadam inter fratres & œconomum orta dissensione, quod non erat difficile in tanta rerum desperatione positus, nactus occasionem tyrannus, omnes præter duos, qui Euerardo dudum adhæserant, partesque comitis semper tutati fuerant, de monasterio eiecit. Erant autem numero 4 uel 5, qui abeuntes inter se prudenti quidem, sed inutili, persuasi consilio antequam diuiderentur ab inuicem, abbatem elegerunt: qui tamen ad possessionem monasterij minime peruenire potuit. Dispersi enim in omnem terram, iniurias quas patiebantur cunctis passim reuelabant, sed non erat qui auxilium ferre contra talem tyrannum aut uellet, aut etiã potuisset. Interea dum isti uagantur de monasterio ad monasterium, seque ubi unusquisque poterat enutrire, stabiliret: post aliquot annos etiã duob. illis monachis, qui in cœnobio remanere permitti fuerant, mortuis an expulsis non satis mihi constat, clerici seculares inhabitare monasterium iussi sunt. Ex eo itaque tempore usque ad comitem Adelbertum, de quo suo loco dicemus, monasterium S. Aurelij monachis uacuum, mansio clericorum & prostibulum meretricum factum est. Interea si quid remansit, quod comes & cæteri fures non rapuerunt, clerici cum suis concubinis & meretricibus ita paulatim consumentes, in nihilum redegerunt, ut nec libris,

*Comes electionem interdixit.*

*œconomus secularis monachis præponitur.*

*Monachi expelluntur.*

*Clerici seculares monasterium inhabitant.*

*Bibliotheca dilapidatur.*

*Bibliotheca insignis.*

*Cœnobium desolatur.*

*Vacantia monasterij.*

*Henricus imperator cum Cunigūda castitatem obseruat.*

*Episcopatus Bambergensis fundatur.*

*Monasteriū montis Monachorum fundatur.*

*Monasterium Schutterense fundatur.*

quorum ingens copia ibi collecta fuerat, per diligentiam ueterum monachorum, quos doctissimos superius ostendimus, parcere potuissent. Nam quum illo tempore, quando imprimendi libros scientia necdum fuit in usu, uolumina cariore uenderentur precio, indocti nebulones preciosissimum illum thesaurum bibliothecæ, in paucis annis tam turpiter uendendo & consumendo distraxerunt, ut nec unum quidem codicem alicuius ponderis & precij reliquissent. Bibliothecam uerò Hirsaugiensem, tempore illo fuisse preciosam, & multis uoluminibus cumulatam, ex eo uel maxime conijcere possumus: quod quum à prima fundatione, per annos ferme 180 multi doctissimi uiri per ordinem sibi succedentes, in eodem monasterio floruerint, sicut ex superioribus clarissime patet: non est credendum, eos uel ad tantam peruenisse doctrinam & eruditionem omnium bonarum artium sine libris, uel ad decorum bibliothecæ, quem maxime diligit omnis eruditus, nihil suo tempore scribendo apposuisse. Certum ergo manet apud me & absque omni dubitatione firmiter conclusum, uiros illos qui mutuò sibi succedentes non solum Hirsaugiam, uerum & Germaniam totam sua eruditione illustrabant, maximum & preciosum post se thesaurum librorum in bibliotheca huius monasterij reliquisse: uenditis autem clericis omnibus atque distractis precium, non in usum ecclesiæ, neque ad conseruationem ædificiorum, sed (sicut diximus) cum suis concubinis & meretricibus turpiter consumentes, inter paucos annos cœnobium neglecta reformatione parietum & tectorum penitus ruinosum reddiderunt. Super sacrosancta ecclesiæ altaria pluit, pecora inter mœnia claustris stabula receperunt, & omnia penitus ad desolationem festinare uidebantur. Comes, ista non solum non prohibuit, sed etiam uehementer gauisus est fieri, per quæ monasterij nomen & locum breui in nihilum redactum iri, iuxta desiderium suum cernebat. Nos uerò seriem annorum ab hinc usque ad instauracionem Hirsaugiensis cœnobij perducturi, quum non habeamus monasterio uacante, cui tempus adscribamus abbatem, in his quæ uel de ordine nostro, uel de gestis in Alemania perstringenda sumpserimus, passione utemur pro actu, ut festinantes ad futurum loci pastorem, diu enim scribere sine ductore tædiosum breuissima occurrentia annis monasterio uacanti, etiam per saltus (ut fieri solet) assignemus, quatenus ipsi historiæ promissa non desit integritas. Igitur monasterio uacante anno primo Henricus comes Bambergensis (sicut supra diximus) per electionem ad imperium assumptus est. Qui habuit uxorem filiam Sigifridi comitis Palatini Rheni nomine Cunigūdem, cum qua propter amorem castitatis, usque ad mortem in sancta uirginitate permansit. Iste sanctus imperator episcopatum Bambergensem, in prouincia Moguntina fundauit, cui præfecit Euerardum primum episcopum, eumque à iure & subiectione, quam pontifices debent archiepiscopis suis cum multis alijs priuilegijs concessis & impetratis à summo pontifice exemptit. Imperatrix autem sancta Cunegundis de patrimonio suo cœnobium monachorum nostri ordinis fundauit in monte iuxta Bambergam, in honorem sancti archangeli Michaëlis & omnium spirituum superiorum, quod usque in hodiernum diem feliciter perseverans Mons monachorum & dicitur & habetur, quod multis prædijs, donarijs & ornamentis cumulauit. Idem Henricus monasterium B. Mariæ semper uirginis nostri ordinis in diocesi Argentinensi nimia uetustate ruinosum reparando fundauit, & fundando reparauit, quod à fluuiolo præterfluente Schutterm dicitur, & prædijs reditibusque pro monachorum sustentatione necessarijs, copiose satisfacit esse prouisum. Ferunt de hoc monasterio incolæ monachi, quod Otto quidam rex Angliæ



glia tempore beati Gregorij papæ Magni, anno dominicę natiuitatis 603. Francorum rege Theodorico bellum cum Theodoberto Lothario agente, amore cœlestis patrię incensus, limina uisitarit Apostolorum, & inde per Alsatiam digrediens, hoc ipsum cœnobium consilio auxilioq̃ cuiusdam sancti Pirminij, ex discipulis B. Mauritij abbatis eo tempore p̃tificis, primitus construxisse, monachos introductos de regula S. Benedicti, necessarijs quoq̃ prouidisse stipendijs. Vngari his temporibus ad fidem Christi auctoritate & industria Gisilæ, quæ fuit soror Imperatoris & nupta Vngarorum regi Stephano, cum rege ipso suo cōuertuntur. Ipsa enim sancta mulier, instantia sua regem perduxit, ut se & totam gētem baptizari expeteret, qui in baptisate Stephanus est uocatus, tantaq̃ deinceps uitam sanctitate ornauit, ut post mortem in numerum sanctorum relatus sit. Anno abbatia uacante 6. Bruno ex monacho nostri ordinis archiepiscopus à Prusis, multis supplicijs afflictus manibusq̃ ac pedibus abscisis, tãdem capitis obtruncatione martyriũ consummauit. Circa hæc tēpora claruit Burchardus ex monacho Gemblacensis cœnobij, siue (ut alijs placet) Bobiensis, episcopus Vuormatiensis, uir in diuinis scripturis doctissimus, & secularium literarum non ignarus, Alberti Bobiensis monachi, & postea Gemblacensis abbatis quondam auditor atq̃ discipulus, sicut in superioribus diximus. Qui inter cætera ingenij sui opuscula magnum illud uolumen Decretorum in 20 lib. distinctum, quod ex authoris nomine ueteres Burchardum appellant, ex diuersis in unum laboriose & satis utiliter comportauit. Claruit etiam his temporibus Meginfridus monachus Fuldensis Chronographus, qui uelut rosa inter spinas, ita studiosus & doctus inter desides, carnales, ignarosq̃ monasterij sui monachos, clarus emicuit. Is inter cætera ingenij sui opuscula, historiam sui monasterij ab origine diligenter cōplexus, ab abates singulos secundum ordinem temporis sibi ad inuicem succedentes inseruit, & uniuscuiusque gesta breuiter annotauit: eorũ quoq̃ cœnobiorum quibus uel monachos ex Fuldensi missos nouit, uel abbates, pari ratione meminit, quorũ uel successiones abbatũ & memorabilia facta interserendo compendiose descripsit. Ex cuius uiri laboribus, multa me fateor in hoc opere nostro de Hirsaugiensi historia necessariò commiscuisse. Contigit circa hæc tempora Henrici imperatoris mirabile factum. Iuuenis quidam maleficio duarum uetularum in formam asini mutatus est, ita ut omnibus uidentibus asinus appareret: quod multis impossibile uidetur, non intelligentibus quòd permissione diuina spiritus malignus oculos hominum mirandis ludificationibus illudere potest. His etiam tēporibus, Baldericus episcopus Leodiensis post Notgerum immediatus, fundauit monasterium S. Iacobi in insula Leodiensi, in quo monachos ordinis nostri posuit. Anno abbatia uacante 9. maior ecclesia Bambergensis, Imperatore cum 46. episcopis astante, consecrata est. Et eodem anno Vuillegisus archiepiscopus Moguntinus obiit. Cui abbas Fuldensis Erckenbaldus successit, & annis 9. præfuit. Circa hæc tempora cum Ezelimus comes palatinus Rheni, frater S. Cunigundis imperatricis aduersaretur regi, & per continuos decem annos, & eius magnanimitate siue confirmata ad eius sententiã, sacramentis publica fide ab uniuersis Lotharingijs, omnis regius honor eidẽ regi negaretur: Rex cōsultius arbitratus, uirum egregiũ beneficijs placare, q̃ molestijs ullis molestare, amicitia eius exposcit: quã consecutus, insulã quę est in Rheno S. Suitberti cum omnibus suis appenditijs Duisburg, etiã atq̃ Salaueld nō modica regni sibi subsidia, suisq̃ liberis perpetua hæreditate possidenda largitur. Duxerat iste comes uxore nomine Mechtildẽ, filiam Theophanis impera-

Vngari cōuertuntur ad fidem per Gisilam reginã.

Bruno.

Burchardus.

Meginfridus.

Iuuenis in asinũ maleficio mutatus.

Monasterium S. Iacobi Leodiense fundatur.

Erckenbaldus Ezelimus.

Kaiser suerd. Duisburg & Salaueld.

*Sex comitis Exe-  
lini filiae abbatif  
sæ sunt.*

*Monasteriū Fri-  
uālercense funda-  
tur.  
Reinhardus Se-  
nonensis doctissi-  
mus.*

*Homines per inte-  
grum annum sal-  
tarunt.  
Imprecatio sa-  
cerdotis Ruperti*

*Mirabile factum  
in puella.*

*S. Heribertus ab  
soluit maledictos  
à pœna.*

*Monasteriū Ful-  
dense spoliatur  
propter mona-  
chos.  
Nubes cadēs mul-  
ta hominū milia  
submersit.*

imperatricis & sororem Ottonis tertij, ex qua nati sunt ei tres filij & septem filia. Hermannus qui post Pillegrinum fuit archiepiscopus Coloniensis cognomēto Nobilis. Euerardus post Popponem archiepiscopus Treuerensis ex præposito uidelicet Vuormatiensi. Et Ludolphus paterni ducatus successor. Richizam primam filiam Mifecho dux Poloniæ duxit uxorem. Adelheidis in Niuela, Theophanen in Effendia, Heluuigis in Nufsia, Mathildis in Didikirchen, atq; Vuillichalda in Monasterio S. Mariæ Coloniensi, in capitolio. Sophia similiter in cœnobio S. Mariæ Moguntia atq; Gandesheim sanctimonialibus fœminis abbatissæ nostri ordinis, eo tēpore omnes sunt prælatæ loco regiminis. Iste comes Ezelinus, uir diues & strenuus construxit monasterium monachorum ordinis nostri non longè à Colonia in honorem S. Nicolai archiepiscopi quondam Myrreorum, quod Bruuyler nominatur, quod multis prædijs & ornamentis decorauit, in quo & sepultus est. His etiam temporibus claruit Reinhardus abbas monasterij Senonensis S. Petri apostoli, uir doctus & religiosissimus, qui monasterij sui officinas nimia uetustate ruinosas gloriose instaurauit, monachosq; in regulari tramite instruens, ad pristinae cōuersationis feruorem reduxit. Scholam etiam monachorum publicam tenuit, & monachos suos in omnibus literis & scientijs tam secularibus quàm diuinis, ad plenum erudiuit. Anno Domini 1012, qui fuit abbatia uacante annus decimus, cū Rupertus presbyter ecclesiam S. Magni martyris in Saxonia primā in nocte natiuitatis Domini missam inchoasset, quidam Othertus laicus cum alijs uiris 15. & fœminis tribus choream ducens in cœmiterio, secularibusq; perstrepens cantilenis celebrantem non mediocriter distractum fecit. Quibus cū sacerdos mandaret per ædituum, ut tacentes ad huiusmodi leuitatibus in nocte tam sancta desisterent: illiq; præcipienti non obtemperarent, commotus ille stans ad altare sacrosanctum dixit: Faciat omnipotens Deus, ut per annum totum sic saltātes manere uos oporteat. Mirabile dictu, quia imprecātis uocem sequutus est ilicō effectus: ita per totius anni spatium saltabant sine intermissione die ac nocte, non edebant neq; bibebāt, absq; somno manebant, non pluuia super eos cecidit, nō frigus, non labor eos, nec lassitudo affecit. Nul li quantumlibet interrogati quicquam loquebantur, uestimenta & calceamenta non sunt attrita. Et primò quidem usq; ad genua, deinde usq; ad fœmora terræ sub pedibus conculcata uidebantur uniuersi. Filius quoq; ipsius sacerdotis cū sororem suam arrepto brachio de medio saltāt um uellet cum uiolētia educere, brachium eius de corpore abstulit: illa autem quasi nihil passa nec doluit, nec emisit uocem, nec una quidem gutta sanguinis destillauit, sed choream continuauit cum reliquis inceptam. Anno tandem euoluto S. Heribertus archiepiscopus Coloniensis ad cœmiterium uenit, & saltantes à maledicto absoluit, introductosq; in ecclesiam Domino reconciliauit. E quibus fœminæ mox obierunt, uirorum quidam in breui, qui etiam miraculis post mortem claruisse feruntur, quippe qui duram satis pœnitentiam egerunt. Reliqui uerò quibus uiuere diutius licuit, tremore membrorum quid passi fuerint, ostenderunt. Cū circa hæc tempora monachi Fuldensis cœnobij propter deformatissimam uitam in derisum omni populo uenissent, sapiusq; à S. Imperatore moniti prauos mores emendare contemnerent, cū sciret eos nimia diuitiarum abundantia factos contumaces, multa bona & possessiones auferri ab eis præcepit, & alijs monasterijs distribuuit. Anno 12. abbatia Hirsaugiensi uacante, nubes magna in Flandria subito cecidit, & multa milia hominum submersit. Multa quoq; & horrenda signa in cœlo eodem anno apparuerunt, & sequuta est mortalitas hominum

minum magna. Anno uerò 18. qui fuit dominicæ natiuitatis 1020, Sanctus Heribertus, archiepiscopus Coloniensis moritur, & in monasterio Tui-  
 tiēsi, quod ipse fundauerat, sepelitur. Cui successit Pilligrinus annis ferè 15.  
 Eodē anno moritur Erckenbaldus archiepiscopus Moguntinensis, cui Ari-  
 bo successit, uir doctus & multum uenerabilis, qui inter cætera ingenij sui  
 opuscula super 15 Psalmos graduum, non contemnendum opusculum e-  
 didit. His temporibus claruerunt multi excellentissimi uiri in ordine no-  
 stro, scientia & sanctitate insignes. Berno abbas Augiensis, cœnobij Con-  
 stantiensis diœcesis, uir in diuinis scripturis studiosus & eruditus, atq; in  
 secularibus literis egregiè doctus, philosophus, rhetor & musicus insignis,  
 qui scripsit ad Pilligrinum archiepiscopum Coloniensem insigne uolumē  
 de musica: ad Moguntinum quoq; archiepiscopum Aribonem de aduen-  
 tu Domini, de officio missæ, de ieiunio quatuor temporum, & alia multa, de  
 quibus inter scriptores mentionem fecimus. Guido quoq; Aretinus mona-  
 chus cœnobij de cruce S. Leufredi, uir undecunq; doctissimus, & musicorū  
 princeps insignis, qui de musica pulchrum conscripsit opusculum, per cu-  
 ius regulas disciplinam cantus ad faciliorem modum redacta est. De cæ-  
 teris eius opusculis, alibi latiore industria scripsimus. Euerbinus quoq; ab-  
 bas monasterij Doleiensis, quod in diœcesi Treuerensi sub honore S. Mau-  
 ricij, & sociorum eius constructum, à Spanhemensi cœnobio meo nouem  
 fermè Teuthonicis miliaribus distat, in finibus Lotharingiæ, h̄sdem claruit  
 temporibus: uir tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis crudi-  
 tissimus, qui scripsit uitam S. Simeonis monachi Treuerēsis, de quo postea  
 dicturi sumus ad Popponem eiusdem ciuitatis archiepiscopum. Scripsit et-  
 iam gesta eiusdem Popponis. De ieiunio, elemosyna & pœnitentia quo-  
 que nonnulla synthemata. Scholam in theologia monachorum publicam  
 tenuit, & alia multa nobis incognita scripsit. Claruit etiam circa hæc tempo-  
 ra in Anglia S. Elphegus ex abbate monasterij ordinis nostri quod Balneū  
 dicitur, primū episcopus Vintoniensis, postea Cantuariensis archiepisco-  
 pus, uir doctus atq; sanctissimus, qui post multos labores pro Christi amo-  
 re habitos martyrio coronatus est, cuius festum colitur 13 calend. Maij. His  
 etiam diebus claruit in ciuitate Treuerensi S. Simeon monachus montis Si-  
 nai, natione Græcus, quem Poppo archiepiscopus Treuerensis rediens ex  
 partibus transmarinis secum adducēs, pro Christi amore in præfata ciuita-  
 te quadam, in turri, eremiticā ducentem uitam inclusit. Fuit enim uir multa-  
 rum uirtutum, & qui multa sustinuerit à dæmonibus & malis hominibus.  
 Mortuus autem statim in sanctorum catalogum relatus est, & infinitis mi-  
 raculis coruscare cœpit. Eius uitā Euerbinus abbas de Doleia, de quo iam  
 diximus, luculento sermone descripsit. Huius sanctissimi uiri Simeonis tria  
 folia Psalterij Græci penes me habeo, quæ propter eius meritum tanti facio,  
 ac si thesaurum preciosum auri argentiq; possiderem. Eius festum calendis  
 Iunij agitur. Claruit etiam circa hæc tēpora S. Gerardus, ex monacho no-  
 stri ordinis episcopus Morsenus in Vngaria, qui postea quàm uerbum Dei  
 gentibus longo tempore prædicasset, ab impijs & paganis grauissimis sup-  
 plicijs affectus, martyriū pro fide nostra passus est. Sanctus quoq; Vuilhel-  
 mus abbas Diuionensis nostri ordinis, hac ipsa claruit ætate. Vir doctus &  
 uitæ sanctissimæ, maximo feruens zelo regularis disciplinæ, qui in uita &  
 post mortem multis miraculis claruisse perhibetur. Sanctus etiam Poppo  
 abbas monasterij Stabulensis nostri ordinis, doctrina & conuersatione his  
 temporibus clarus habetur in diœcesi Leodiensi & per totam Galliam, pa-  
 tratione quoq; multorum miraculorum insignis, qui monasticam discipli-  
 nam

Heribertus mori-  
 tur.  
 Pilligrinus.  
 Erckenbaldus.  
 Aribi archiepi-  
 scopus Mogun-  
 nus.

Berno.

Guido.

Euerbinus.

Elphegus.

Simeon.

Gerardus.

S. Vuilhelmus.

S. Poppo.

nam suo tēpore penè collapsam magnificè restaurauit. Eius festum agitur 8. cal. Februarij. Richardus quoq̃ abbas Virdunensis, cœnobij eiusdem ordinis nostri clarus his temporibus habetur, cuius uita sanctissima multis uirtutibus insignis fuit, qui doctrinā & religione sua multos ad emendationis uitæ semitam reduxit. Claruit his etiā temporibus Meginfridus, ex monacho cœnobij S. Burchardi iuxta Herbipolim ordinis nostri Magdeburgensis ecclesiæ 6. archiepiscopus, per S. Henricum constitutus, uir doctus & multum religiosus, qui præfuit ecclesiæ præfatae annis 27. Circa hæc tempora claruit etiā Brando, ex abbate monasterij Fuldenfis decimus episcopus Haluerstatensis, uir prudens & reuerendus, qui duo collegia canonicorum fundauit: S. uidelicet Iohannis Baptistæ in ciuitate Halberstatensi, & sancti Bonifacij Bosleuen. Sanctus etiā Gothardus episcopus Hildenshemensis magna sanctitate clarus, circa hæc tempora in Saxonia habetur. Hic primò fuit monachus Fuldenfis, postea abbas in Altha nostri ordinis in Bauaria, ac postremò 14. episcopus præfatae Hildenshemensis ecclesiæ, cui præfuit annis 16. Cōstruxit autem cœnobium nostri ordinis iuxta ciuitatem Hildenshemensem, in honorē S. Bartholemæi Apostoli, quod ex suo nomine ad S. Gothardum nostris temporibus appellatur, quoniam in eo sepultus est. His diebus Poppo filius Ludolphi ducis Austriæ, archiepiscopus Treuerensis, de quo prædiximus, qui S. monachū Simeonem, à monasterio B. Mariæ in Bethlem, Treuerim secum abduxit, clarus ualde habetur, qui Danos ad fidem Christi dicitur conuertisse, quemadmodum in gestis Treuirorum habetur, & à Benedicto papa canonisationem eiusdem S. Simeonis propter miraculorum patratiōē maximam impetrauit, & ecclesiæ sibi à Deo commissæ annis 41. gloriose præfuit. obiit autem anno Domini 1057. indictione 10. 6. calend. Iulias.

Anno Domini 1023. indictione 6. abbatia Hirsaugiensi uacante, anno 21. Aribo Mogūtinus archiepiscopus, idibus Augusti synodum episcoporum & abbatum celebrauit in monasterio sanctorum Marcellini & Petri in Selgenstadt, pro pace cleri & utilitate ecclesiastica, ubi multa summa prouidentia fuerūt constituta. In hac synodo sancta, sicut ex gestis ipsius legimus, fuerunt præsentēs Burcardus episcopus Vuormatiensis, de quo supra dictum est, Vuernharius Argentinensis episcopus, Bruno Augustensis episcopus qui fuit frater S. Henrici imperatoris, Euerhardus episcopus Bambergensis, Meginhardus episcopus Herbipolēsis, necnon & Richardus abbas Fuldenfis, Arnoldus abbas Hirsfeldensis, Reginboldus S. Nazarij Laurishemensis abbas, Hericho abbas Treuerensis, abbas S. Maximini, Euerbimus abbas Doleianus, Henricus abbas S. Burchardi Herbipolensis, Sizicho abbas de Schluchtera, Gerbertus abbas S. Albani, Adelbertus abbas de Clingenmunster, & Rudolphus abbas de Blidenstadt, uiri ordinis nostri, moribus eruditione insignes. Anno uacante abbatia 22. indictione 5. Henricus imperator secundus, 3. iduum Iulij moritur, & in maiori ecclesia Bābergensi, quam ipse fundauerat, sepelitur. Henrico autem mortuo, principes Electores Conradum huius nominis secundum, ad imperium elegerunt, genere Francum, uirum bonum & strenuum. Vxorē duxerat Gisellam relictam Brunonis Saxonum ducis, ex qua genuit Henricum filium, qui post eum imperauit, & Cunigundem filiam, quæ in Lympurgensi monasterio iacet, sepulta. Iste imperator Conradus secundus construxit præfatum monasterium Lympurgense ordinis nostri in diœcesi Spirensi, quod prædijs, ornamentis, priuilegijs & libertatibus multis decorauit. Ferunt, antea castrum in eodem loco fuisse constructum, & per ipsum in monasterium monachorum

Richardus ex ab-  
bate Virdunensi  
canonizatus.

Meginfridus.

Brando.

S. Gothardus.

Monasterium S.  
Gothardi in Hil-  
desheim fundatur.

Poppo archiepi-  
scopus Treueren-  
sis.

Concilium cele-  
bratur in mona-  
sterio Selgen-  
stadt.

S. Henricus Im-  
perator obiit.

Conradus.

Monasteriū Lym-  
purg fundatur.

nachorum

nachorum esse commutatum. Anno Domini 1031. qui fuit monasterio uacante 29. archiepiscopus Moguntinus Aribon moritur, cui S. Bardo abbas Hirsfeldensis nostri ordinis succedens 20. annis ecclesie Moguntinae praefuit, qui fuit uir doctus & sanctissimę conuersationis, atq; post mortem sanctorum catalogo insertus est. Obijt autem anno Domini 1051. indictione 4. 4 iduum Iunij. Circa hæc tempora claruit Thietagus ex monacho Corbeienensis cœnobij in Saxonia ordinis nostri archiepiscopus Pragēsis post Gaudentium, uir tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis egregie doctus, & non minus uitę merito quàm eruditione scripturarum uenerabilis. Anno domini 1035. qui fuit uacante monasterio Hirsaugiēsi, annus 33. obijt Pillegrinus archiepiscopus Coloniēsis, cui successit Hermānus filius Ezelimi comitis palatini Rheni, de quo supra diximus. Eodē anno Rudolphus abbas Hirsfeldensis nostri ordinis factus est episcopus Padebornēsis, uir doctus & morum integritate uenerabilis. Anno autem monasterio uacante 35. moritur S. Cunegundis, quondam imperatrix, quæ S. Henrico Imperatore mortuo, pro amore omnipotentis Dei mundum contempserat, & in monasterio Confugienti sanctę conuersationis habitum suscipiens, cum sanctis uirginibus Christi monialis, & ipsa uirgo, usq; ad mortem permanens sit. Eodem anno S. Bardo archiepiscopus Moguntinus ecclesiam S. Martini Moguntinensem Conrado Imperatore episcopisq; multis & abbatibus presentibus dedicauit 4. iduum Nouēbris. Sanctus etiam Stephanus rex Vngarię hoc ipso anno moritur, cui Henricus filius successit, uir sanctus & Deo dilectus, qui & ipse unā cum patre sanctorum catalogo insertus est. Eodem quoq; anno S. Simeon monachus & inclusus Treueris moritur, calendar. Iunij, de quo iam supra fecimus mentionem, qui tantis mox coruscavit miraculis ut à Benedicto papa 9. Poppone archiepiscopo petente statim post mortem sit canonizatus. Eius uitā (ut antea diximus) Euerbinus abbas Doleiensis pulchro descripsit eloquio. Anno 1059, qui fuit monasterio uacante annus 37, indictione 7. pridie nonorum Iunij obijt Conradus Imperator secundus, & in ecclesia Spirensi, quam construxerat, multisq; beneficijs donauerat, sepelitur: cui successit electione principum filius eius Henricus huius nominis tertius, & annis 17. post patrem imperauit. Vxorem habuit Güniheldam regis Danorum filiam, qua sine liberis mortua duxit secundam Agnetem filiam Vuilhelmi comitis Pictauiensis, ex qua suscepit Henricum huius nominis imperatorem quartum, qui post eum regnauit: & duas filias Giselam monialem, & Adelheidem, quæ fuit abbatissa nostri ordinis in Quetelnburgk. Eodem anno moritur Euerardus primus episcopus Bambergensis, cui successit Suuitgerus, qui postea factus est papa. Regenboldus quoq; episcopus Spirensis obijt, cui Sibicho successit. Anno monasterio uacante 40. Helias abbas monasteriorum S. Martini & S. Pantaleonis nostri ordinis in Colonia, natione Scotus, obijt, uir doctus & sanctus, qui cum monachis suis uitam arctam duxerat. Claruit his temporibus Guimodus archiepiscopus Auerfanus, ex monacho nostri ordinis, uir tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis eruditissimus, qui uiuacis ingenij sui multa præclara monimenta reliquit. E quibus uulgatum & famosum est illud quod in tres libros diuisum per dialogum edidit cum Rogerio monacho de corpore & sanguine Domini, contra nouos errores Berengarii Andegauensis ecclesie diaconi. Idem quoq; Rogerius monachus cœnobij de cruce S. Leufridi nostri ordinis, uir studiosus & doctus & postea monachus S. Pantaleonis in Colonia, scripsit inter alia, gesta Brunonis archiepiscopi Coloniensis fundatoris eiusdem cœnobij, & quadam alia non con-

Bardo.

Thietagus.

Hermanus.  
Rudolphus.S. Cunigundis  
moritur.S. Stephanus  
rex moritur.S. Simeon mori-  
tur.

Conradus.

Henricus.

Moniales filie

Helias.

Guimodus.

Rogerius.

- Theodoricus.* temnendæ lectionis opuscula. Claruit etiam iisdem temporibus Theodoricus monachus Hirsfeldensis, qui scripsit de uita & laudibus sanctissimi patris nostri Benedicti ad Richardum abbatem Fuldensem quædam opuscula. Sed & alia quædam, quorum titulos in secundo libro uirorum illustrium digessimus. Sequenti anno qui fuit dominicæ natiuitatis 1043. indictione 11, Amichadus monachus Fuldenfis natione Scotus moritur, qui multis annis in eodem cœnobio pro Christi amore fuerat inclusus, uir sanctissimæ uitæ, super cuius sepulchrum noctu lumina uisa sunt, & angelorum Psalmodia diuinitus audita. Floruit etiam circa hæc tempora Clarus monachus cœnobij sanctorum Marcellini & Petri in Selgenstadt Moguntinensis diocesis, nostri ordinis, uir doctus & religiosissimæ conuersationis, qui in eodem loco pro Dei amore inclusus orationi & contemplationi uacans die ac nocte spiritum prophetiæ consequutus asseritur, cuius festus dies agitur cal. Ianuarij. Engeluotus etiam monachus nostri ordinis in Anglia his temporibus propter sanctitatem uitæ & eruditionem scripturarum clarus habetur, qui postea Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopus factus, magna sanctitate insignis miraculorum attestatione eualit. Anno Domini millesimo quadragesimo quarto, qui fuit monaster. Hirsaugiens. uacante 42, indictione 12, Anshelmus abbas monasterij Laurissensis, ordinis nostri præposituram in honore S. Bartholomei Apostoli fundauit, prope Heidelbergam Vuormatiensis, diocesis, in qua præpositum & monachos locauit, quam postea anno domini 1195, Conradus comes Palatinus Rheni, consentiente Sigehardo abbate Laurissensi in cœnobium monialium eiusdem nostri ordinis commutauit: cui primam abbatissam Cunegundem præfecit. Anno domini 1046. qui fuit monasterio uacante 44, S. Guido abbas Bobiensis in Italia nostri ordinis ortus, in suburbanis Rauennæ uilla casa Marenfi, uir sanctissimæ uitæ, qui monachum quendam Martinum nomine à mortuis resuscitauit, & alia multa miracula fecit, pridie calend. Aprilis moritur, anno regiminis sui 48. cuius festum celebratur 4. calend. Maij. Eo nanque die sacrum corpus eius per Henricum quartum de Italia translatum est ad ciuitatem Spirensis, & in ecclesia eius nomini consecrata honorificè repositum. Claruit his temporibus etiam Bruno, ex monacho cœnobij Monichenneburg ordinis nostri in Saxonia episcopus Verdensis Friderici comitis frater, uir sapiens & eruditus, qui ecclesiam sibi commissam uerbo & exemplo strenuè gubernauit. Anno monasterio uacante 44, Henricus imperator Italiam ingressus tres de papatu contententes, uidelicet Benedictum 9, Syluestrum 3, & Gregorium 6. deposuit, & Suintgerum Bambergensis episcopum, uerum Christi uicarium substituens Clementem 2. appellauit, à quo coronâ Imperij in die natalis Domini suscepit. At Clemens papa nono mense pontificatus sui moritur, & in choro maioris ecclesiæ Bambergensis sepelitur. Anno sequente moritur Poppo archiepiscopus Treuerensis, cui Euerardus filius Ezelimi comitis palatini Rheni, de quo supra mentionem fecimus, successit, & ecclesiam Treuerensem strenuè rexit. Claruit his temporibus Heribertus episcopus Altisiodorensis uir doctus atq; clarissimus, qui post aliquot annos, quibus ecclesia Altisiodorensis strenuè præfuit, seculum deferens, monachus nostri ordinis factus est in cœnobio sancti Saluatoris in pago Senonensi, ibiq; multis postea annis religiosissimè uiuens bono in Christo sine quieuit. His etiam temporibus floruit in monasterio S. Galli ordinis nostri in Sæuia Hermannus, qui dicebatur Contractus, monachus undecūq; doctissimus, Grecè, Latine & Arabicè peritus, philosophus, rhetor, astronomus, poëta, musicus, & mathematicus,
- omnium

*Præpositura in Nuenburg fundatur.*

*Monasteriū monialium prope Heidelbergam.*

*S. Guido moritur. Spira sepelitus.*

*Bruno.*

*Tres de papatu contententes deponuntur.*

*Heribertus.*

*Hermannus.*

omnium sui temporis celeberrimus, qui multa præclara uolumina edidit, quorum mentionem alibi fecimus. Ipse quoque Antiphonam idem de beata uirgine Maria, Salue regina misericordiae, composuit. Aliam etiam Alma redemptoris, de eadem sacratissima Dei genitrice fertur edidisse. Anno domini 1048, monasterio Hirsaug, uacante 46. anno: Bruno episcopus Tullensis destinatione Imperatoris, & electione cardinalium, fit papa urbis Romae, dictus Leo nonus, & sedit annis ferme 6. Erat autem filius comitis de Elingen & monachus ordinis nostri, uir doctus & sanctissimus, qui cum Romam pergeret ad capescendum papatum, audiuit uoces angelorum in aere cantantium, Dicit Dominus ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis. Hic Christum in specie leprosi super lectum suum posuit. Scripsit etiam contra haereses Graecorum ad Constantinum Imperatorem Constantinopolitanum, Cantus quoque de diuersis sanctis. Huius papae Leonis instantia monasterium Hirsaug, instaurari coeptum est, sicuti postea dicemus. Claruit etiam his diebus ex monacho nostri ordinis Humbertus sacrosanctae ecclesiae Romanae cardinalis uir doctissimus, quem Leo papa secum duxerat Romam, eiusque consilio in agendis quibuslibet rebus, ordinis praecipue, utebatur. De huius uiri opusculis in secundo illustrium uirorum nostri ordinis libro tractauimus latius. Lampertus monachus nostri ordinis coenobij S. Laurentij Leodiensis, Adelmi grammatici Brixienis episcopi quondam auditor, uir certe in omni scientia magnifice doctus, hac quoque tempestate ordinem nostrum eruditione sua mirifice illustrauit. Scripsit uitam S. Heriberti Coloniensis episcopi, & multa alia, de quibus alibi diximus. Anno dominicae natiuitatis 1050, indictione 3, sanctus Leo papa 9. ad componendas res & statum ecclesiarum pacemque Gallijs reddendam, Roma egressus cum cardinalibus multis uenit in Germaniam. Erat eo tempore comes Adelbertus de Caluae monasterij Hirsaugiensis aduocatus, sed desolationis patrenus, qui non solum restituere contempsit, per auos S. Aurelio impie ablata, uerum se iusto omnia possidere titulo arbitratus, nihil minus quam de reparatione monasterij cogitabat. Contigit igitur anno praenotato, qui fuit desolationis monasterij octauus & quadragesimus, supra millesimum uero Domini (sicut diximus) quinquagesimus, quod idem Leo sanctissimus papa comiti praefato sanguine iunctus, Roma egressus, Italiaque transmissa per fines Sueuorum iter suum uersus Moguntiam dirigeret. Quod cum Adelbertus comes praefatus rescisset, auunculum uidelicet suum sanctae Romanae & uniuersalis ecclesiae pontificem suas transiturum per terras, obuiam illi properans humillimis eum precibus deuicit, quatenus in hospitium nepotis humilis intrare non despiceret. Papa tum deuotione inuitantis, tum sanguinis ratione permotus, petenti assensit, castellum comitis intrauit, qui per humaniter exceptus, doctrinae salutaris uerbum, ut sui moris erat seminans, mentes hospitem suorum ad amorem coelestis patriae erigere summopere studebat. Quadam die pontifex recreationis animi causa comitem dextra complexus, de castello non procul ad uicini montis uertice exiuit, ad quem inter loquendum: Quam aptus inquit (o fili) locus mihi hic uideretur motibus circumseptus undique, quem & aquarum copia utile & solitudo reddit quietum, in quo seruorum Dei monasterium construi debeat, qui creatori nostro laudes continuas persolutes pro salute multorum deuotius exorarent. Cui comes: Est (inquit) beatissime pater, in uicino ecclesia ab antecessoribus meis in honorem cuiusdam S. Aurelij, cuius corpus in ea fertur sepultum. olim ad monachorum habitaculum cum reliquis mansionibus, necessarijs constructa: in qua cum dudum monachi per annos non paucos omnipotenti deo religiose seruauissent, postremoque

Humbertus

Lampertus.

Leo papa in Germaniam uenit.

Leo papa inuitatur a comite Adelberto ad castrum Caluae.

Leo papa comitem alloquitur.

Comitis uerba ad S. papam Leonem.

à regulari disciplina miserè torpentes cum nullis admonitionibus maiorum acquiescerent à progenitoribus meis tanquam scandalum plebis inde proiecti sunt. His sacratissimus pontifex auditis ad locum personaliter accessit, libros qui remanserunt, reuoluit, cupiens historię cognoscere ueritatem. Erat ibi clericus inter ceteros senex nomine Bertholdus, qui olim in loco uiderat monachos Deo famulantes. Is pontifici rem omnem sicut gesta fuerat aperuit, & quomodo auus comitis Adelberti cœnobium bonis spoliasset omnibus, expulsisque monachis paucos in locum clericos posuisset. Quibus cognitis sanctus præsul ingemuit, sed cordis sui dolorem prudenter dissimulans, ubinam corpus diu haberetur Aurelij, ab eodem clerico quaesiuit: qui cum diceret se à maioribus suis audiuisset sacras S. Aurelij reliquias, tempore quo Nortmāni uastauerunt Galliam, per quendam abbatem huius loci sub terram fuisse absconditas, & usque in eum diem incognitas omnibus permanuisse. Sanctus papa accitis operarijs terram in diuersis ecclesię locis fodere cœpit, & thesaurum absconditum diligenter inquirere, sed postea quam casto labore diu laborassent artifices & nihil penitus reperissent, cœperunt omnes qui aderant de inueniendo corpore sancti desperare. Tunc sancto in orationibus pontifice prostrato, ipsosque cohortante artifices ne desperent, unus ex his ceteris in arte sua magis peritus, qui nuper ex dominio Venetorum cum filijs adueniens, multo huic loco suis laboribus impendit bona, industrie perquirens singula loca, tandem ex repercussione malleorum deprehendit terram sibi esse cauatam: ad cuius consilium, in eodem loco fodere artifices cœperunt, qui tandem non sine magna difficultate humo remota cameram subterraneam inuenerunt pulchrè satis formatam, in qua sarcophagus apparuit extinsecus admodum ornate dispositus. Quem cum sanctissimus papa uidisset, magno repletus gaudio præcepit, ut omnes ad orationem genua flecterent, & Deum pro cōfessoris sui desiderata inuentione collaudaret. Oratione cōpleta sanctus Leo propius accedens, iussit aperiri sepulchrum: quo recluso suauissimus odor exalauit, qui omnes qui aderant, mira suauitate sui reficeret. Inuenerunt itaque sanctissimi cōfessoris Christi Aurelij sacratissima ossa sericis inuoluta pannis, pulchrè in formam corporis debito collocata ordine, & ad caput eius tabulam ex plumbo ista continentem. Corpus S. Aurelij episcopi tempore Arnulfi regis repositum, Herderado abbate. 8 calend. septemb. Cum S. papa hunc titulum coram omnibus legisset, ingemuit dicens: Vae illis qui locum hunc tanti præsulis sanctificationum, meritis & præsentia desolant, & clauso sarcophago, ne reliquiae sancti quouis modo subtraherentur cum suis ad castellum comitis est reuersus. Postera die cum S. papa Leo tempus uidisset intentioni suæ complendæ oportunitatem, uocatis comite sæpe dicto Adelberto & Vuiltrude uxore eius deuotissima foemina in præsentia suorum cardinalium ceteris exclusis dixit ad nepotem: Hesterno uidimus die, chare nepos, sacras cōfessoris Christi reliquias honore debito spoliatas, ipsumque locum pro amore cœlestis patriæ omnipotenti Deo & sacrae monasticæ religioni, olim à progenitoribus tuis ritè dicatum, multis quoque annis Petri Dei famulos inhabitatum, quem tui maiores auus genitorum pessima & crudeli auaritia ducti, abbatis possessionibus & bonis desolatum fecerunt: & quod omni scelere sceleratius est, monachis expulsis officinam sanctarum uirtutum, introductis dissolutissimæ uitæ secularibus clericis in omnium speluncam uiciorum commutarunt. Tu quoque prauis maiorum inherens uestigijs, sicuti probato sumus edocti testimonio, non solum ea quæ illi sacrilegio polluti à seruorum Dei cœnobio iniustissime abstulerunt

sine

*Clericus aperit  
historiæ ueritatē  
S. Leonis.*

*Corpus S. Aurelij  
quaritur.*

*Camera subterra  
nea inuenitur.*

*Corpus S. Aurelij  
inuenitur  
sub terra.*

*Oratio S. Leonis.*

*Comitem sacri-  
legi arguit.*



sine Dei timore possides, sed tuæ salutis penitus immemor, totum quod illi parcendo reliquissent intactum rapuisti: deumq; & S. Aurelium, imò ciues supernæ patriæ uniuersos irritando tibi aduersarios fecisti. Neq; enim paruuum peccatum æstimandum est, quod in Deum & sanctos eius committitur, cum apud ipsos etiam homines iniusta rerum alieni iuris usurpatio scelus grauissimum iudicetur. Ecce tu unà cum progenitoribus tuis pactū uiolasti, primumq; tuorum corrupisti, imò ad nihilasti sanctum testamentum, & quæ illi omnipotenti Deo simplici ac sancta deuotione pro animarum remedio suarum obtulerunt. Tu Deum & sanctos eius impia crudelitate & crudeli auaritia succensus, spoliare non timuisti, factus inimicus & aduersarius, non modò Dei & sanctorum eius, sed & tibi metipsi generiq; tuo hostis declaratus & crudelis antistes, ipsam propaginem ex tuo semine generandam grauissimo scelere innodasti, quæ quamdiu sacrilega hæreditate etiam nesciens polluitur, aut in paucis generationibus deficiens exterminabitur, aut in hac uita miserabilis euadet æternis, post mortem supplicij pro demeritis crucianda. Tibi autem quæ spes æternæ fœlicitatis consequende poterit esse (ô fili mi) cum per tam manifestū scelus & sacrilegium Deum omnipotentem cum omnibus sanctis suis inimicum tibi feceris, hostemq; & aduersarium, periculosum est tibi, penitusq; damnabile, crede nobis, Deum habere contrarium, qui etsi patienter iniurias uideatur ferre suas in hoc tempore, uindex cum sit iustusq; iudex, æternis hanc patientiam post mortem supplicij non dubites uindicabit. Nos uerò quibus cura salutis tuæ tuorumq; est, non modò ratione pastoralis culminis, qua licet immeriti salutis omnium sumus debitores ex officio, uerum etiam ex sanguinis cognatione, qua nobis sorore natus intimè cõiunctus es, te tuosq; perire non patiemur in æternum, quantum in nobis est. Vnde autoritate omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum eius Petri & Pauli, quorum gerimus uices in terris, te monemus & requirimus, atq; sub æternæ damnationis interminatione, perq; districtum Dei iudicium te cõtestamur, ac sub anathemate districtè præcipientes tibi mandamus, quatenus prædictum locum, clericis expulsis, quos autoritate Apostolica omni beneficio & residentia in eadem hac hora decernimus priuatos, in pristinum statum reducere cures, monachosq; & abbatem secūdam regulam diui patris Benedicti, quem admodum à principio ibi fuisse memorantur instituas, eisq; omnia & singula per tuos progenitores, teq; uel alios quoscunq; ablata, sine mora restituas: & si quid amplius ad hæc perficienda requiritur, necessarium de tua substantia fideliter & sine ulla contradictione pro æternæ uitæ amore legaliter impendas. Hæc tibi quantocius perficienda unà cum coniuge tua nobis dilecta, consummandaq;, autoritate omnipotentis Dei, in remissionem tuorum peccatorum seriò iniungimus. Quæ si, quod absit, neglexeris, nostrorumq; mandatorū contemptor inuentus fueris, indignationem omnipotentis Dei, sanctorumq; Petri & Pauli apostolorū & omnium electorum Christi noueris incursum, teq; sub anathematis uinculo, autoritate Apostolica, constrictum diuini examinis iudicio fore obnoxium grauissimis gehennæ tormentis, cum impijs sine fine puniendum. Hac pontificis oratione compunctus, ad genua eius comes procidit, seq; peccasse grauiter cum lachrymis publicè confessus, omnia quæ iuberetur facturum pro uiribus promittit. Veniam deinde commissorum absolutionemq; postulans à Pontifice audiuit: Si perfeceris ea, quæ præcipientibus nobis te facturum promittis, ueniam tibi non solùm commissorum cum absolutione impendemus, sed etiam præmia fœlicitatis æternæ multimoda in cœlo tibi repon-

*Iurepatio dura pontificis in comitem.*

*Spes uitæ nulla sacrilegis.*

*Comes fuit filius sororis papæ.*

*S. papa mandat comiti restituere monachos.*

*Leo papa hinc digrediens Synodū celebrat.*

*Quod pontificuli despiciunt hoc papa facit.*

*Bardo.*

*Monasterium S. Iacobi Moguntiae fundatur. Leo papa moritur.*

*Episcopus Victor.*

*Monasterium Segenberg.*

*Aaron.*

*Fridericus.*

sita repromittimus. His ritè peractis beatissimus papa Leo cœptum continuans iter ad Moguntiam, cum suis tandem peruenit, ubi synodum præsentente Imperatore cum 42. episcopis & multis abbatibus & clericis celebravit, & multa pro utilitate ecclesiastica cōstituit. In hac synodo Sibecho Spirensis episcopus de criminibus quibus accusabatur sacra se communione purgavit. Hinc sanctissimus papa peracta Synodo Aquisgrani descendit ibi Imperatorem expeditionem agentem, contra Baldeuinum comitem Flandriæ, quousque uerteretur, expectauit. Iste sacratissimus papa Leo 9. multa in Germania bona fecit, ecclesias, capellas, & altaria in diuersis locis absq; numero propria in persona consecrauit, & quod pontificuli plures hodie facere erubescunt, ad quod tamen obligati sunt ratione officij, summus pontifex non obligatus facere non despexit. Anno sequente uidelicet Dominicæ natiuitatis 1051, qui fuit monasterio uacante 49. Imperator natale Domini Vuormatiæ celebrauit, ubi Leo papa sanctissimus ei ualedicens, causisq; ecclesiasticis mediocriter compositis Romam reuersus est. Eodem anno Imperator Pētecosten celebrauit in Padolbronna, ubi S. Bardo archiepiscopus Moguntinus ad missam habito sermone obitum suum instrare prædixit, seq; orationibus fidelium commēdans eodem mense in Domino quieuit 4. iduum Iunij, cui Luitboldus successit annos 8. menses 4. Hic archiepiscopus Luitpoldus fundauit monasteriū nostri ordinis iuxta mœnia ciuitatis Moguntiae in monte specioso, in honorem S. Iacobi Apostoli maioris, quod multis prædijs, donis & ornamentis cumulauit, in quo & sepultus est. Anno monasterio uacante 52. sanctus papa Leo 9. obiit Romæ 3. calend. Maij anno dominicæ natiuitatis quarto & quinquagesimo supra millesimum, uir sanctitate & auctoritate multum uenerabilis, qui miraculis post mortem claruit. Hunc sancti summiq; uniuersalis ecclesiæ Pontificem inter patronos Hirsaugia duos uenerare præcipuos, quo monente ac procurante hodie inter abbatias multas insignior existit, quantumq; papa excellit auctoritate simplicem episcopum, tantum tu papa Leone præcipiente instaurata, primū S. Aurelij cœnobium hodie superexcellis à Nottingo quondam Vercellensi episcopo constructum. Huic S. Leoni successit Gebhardus Eistetensis Episcopus, qui Victor secundus dictus est, & sedit annis duobus. Hoc ipso anno moritur Sibecho episcopus Spirensis, cui Arnoldus successit. Anno sequente obiit Hermānus archiepiscopus Coloniensis, cui sanctus Anno successit. Iste sanctus Anno archiepiscopus construxit monasterium nostri ordinis in diocesi Coloniensi, quod uocatur à fluuio præterfluente Segenberg, insigne ualde cœnobium, quod multis prædijs & possessionibus ad sustentationem monachorum ditauit, in quo & ipse moriens tandem sepultus est.

Claruit his diebus Aaron abbas monasterij S. Pantaleonis in Colonia nostri ordinis, uir doctus & maximus, regularis disciplinæ amator & custos, qui cantum nocturnalem de beato Gregorio Magno à sancto Leone papa nono compositum, has in partes ipso tradente ex Italia portauit. Claruit etiam his temporibus Fridericus monachus Cassinensis, deinde abbas ac postremò papa, sicut postea dicemus, frater Gotfridi ducis Lotharingiæ, qui cum esset archidiaconus ecclesiæ Romanæ missus à beato papa Leone, Constantinopolim quum reuersus ipsum pontificem reperisset mortuum, contempto seculo monachus in præfato cœnobio Cassinensi factus est.

Anno Domini millesimo quinquagesimo sexto, monasterio uacante  
quinqua

quinquagesimo quarto anno, Victor papa secundus, egressus de Italia uenit in Germaniam, & ab Imperatore apud Goslariam, circa festum natiuitatis beatæ Mariæ, honorificè, in præsentia multorum Pontificum, abbatum, principum & nobilium susceptus est. Eodem anno moritur Arnoldus episcopus Spirensis, cui Conradus succedit. Eodem quoque anno Henricus Imperator tertius, quum sibi mortem adesse cerneret, Henricum in Romani pontificis præsentia, electione principum regem constituit, rebusq̄ (ut potuit) dispositis, obiit tertio nonas Octobris. Sepultus in ecclesia Spirensi, Victore papa secundo cum multis alijs cardinalibus, patriarchis, episcopis & principibus astante: cui successit filius Henricus huius nominis quartus, puer annorum quinque, & imperauit annis quinquaginta, cuius mater Agnes Imperatrix aliquanto tempore prudenter gubernauit imperium. Tandem sanctus Anno Coloniensis archiepiscopus puerum regem consilio principum matri subripit, & imperium cum alijs deputatis rexit, quousq̄ puerū ætas legitima ad regendū per se idoneum fecit. Anno monasterio uacante 56, indictione 11, Victor papa obiit, cui Fridericus abbas monasterij Calsinensis, filius ducis Gothelonis, & frater Gotfridi ducis, de quo supra iam diximus, in pontificatu successit, & Stephanus nonus nomine dictus, præfedit mensibus decem. Hoc ipso quoque anno ciuitas Padelbornensis cum duobus monasterijs, feria sexta ante palmas, igne miserabiliter cremata est. Erat eo tempore in monasterio eiusdem ciuitatis, quod hodie dicitur Aptinckouen ordinis nostri monachus quidam Paternus nomine, natione Scotus, qui multis annis pro Christi amore ibidem inclusus uitam duxerat solitariam, orationi, lectioni, meditationique & contemplationi deuotè semper intentus, qui hoc ipsum incendium propheticò Spiritus sancti præcognoscens instinctu, longè prius quàm fieret prædixit futurum, si Deum homines salutari poenitentia placare neglexissent. Cùm uerò monasterium medijs iam staret in flammis, & eum fratres de inclusorio fractis feris conarentur extrahere, noluit consentire, dicens se dudum diuinæ uoluntati commisisse, nequaquam inclusionis suæ præpositum mortis metu transgressurum. Adhuc uolebat in ore sermonem cùm rapax appropians flamma fratres uitæ propriæ sollicitos quantocius fugere compulit. Paternum uerò cum eius cellula consumpsit. Claruit his temporibus Lampertus monachus cœnobij Hirsfeldensis nostri ordinis, uir studiosus & doctus, qui inter cætera ingenij sui opuscula monasterij sui chronicam breuem quidem, sed non inutilem composuit. Scripsit etiam de rebus imperatorum, pontificum & principum in Alemaniam gestis pulchrum opus & non iniucundum, quod à temporibus Caroli Magni, qui primus ex Teuthonicis imperauit, incipiēs usque ad annum Domini millesimum septuagesimū septimū, multa rerum memoria refertum continuauit. Henrici autem Imperatoris quarti latissimè, quia contemporaneus eidem fuit, res gestas in eodem uolumine descripsit. Ex hoc ipso uolumine, nos non parum adiuti sumus. Hisdem quoque temporibus claruit Anselmus, monachus Remensis, uir in omni literarum scientia eruditus, qui scripsit itinerarium sancti papæ Leonis noni, de quo antea diximus, à Roma in Germaniam & Gallias, in quo gesta eius, in synodis in diuersis locis habitis cōmemorat, quanta uidelicet iustitia & autoritate causas examinauerit ecclesiasticas, quantaq̄ distributione peccantes corripuerit, & quemadmodum uirtus ei sit cooperata diuina, sicut patuit in Episcopo Frisingensi, qui quum in Synodo con-

Victor papa.

Henricus imperator.

Fridericus abbas.

Paternus.

Lampertus chronicographus.

Anselmus.

tumaciter ageret contra auctoritatem Apostolicam repente in omnium conspectu obmutuit.

*Bernardus.*

*Petrus Damianus.*

*Lampertus.*

*Theodoricus.*

*Lanfrancus.*

*Nota humilitatē  
doctissimi Lan-  
franci.*

*Sifridus.*

*Meginherus.*

Claruit etiam his diebus Bernardus monachus Cluniacensis nostri ordinis, uir tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis egregie doctus, scripsit inter cætera ingenij sui opuscula, iussu Hugonis abbatis Cluniacensis consuetudines & ceremonialia eiusdem monasterij. Petrus quoque Damianus ex monacho nostri ordinis episcopus Hostiensis, & sacrosanctæ ecclesiæ Rom. Cardinalis, his temporibus clarus habetur, uir certe inter doctos sui temporis doctissimus, & non minus sanctitate quam eruditione uenerabilis. Qui multa ingenij sui præclara uolumina edidit, quorum titulos alibi plenè digessimus. Hic amore religionis sanctæ episcopatum suum deseruit, & ad monasterium reuersus est. Circa hos etiam annos claruit Lampertus de Legia, monachus cœnobij S. Mathiæ Trëuirensis ordinis nostri, uir undecunque doctissimus, metro exercitatus & prosa, qui multorum sanctorū legendis historiasque descripsit, tam prosa quam diuersi generis carmine. De his in secundo libro illustriū uirorū ordinis nostri fecimus mentionē. Theodoricus quoque monachus cœnobij S. martyris Albani extra Moguntia his tēporibus inter scriptores clarus habetur, qui cū esset uir doctus, multa scripsit tam metro quam prosa, quorū titulos alibi latius consignauimus. His temporibus floruit etiam Lanfrancus ex abbate Cadoniensis cœnobij in Anglia ordinis nostri archiepiscopus Cātuariensis, qui cū esset uir in omni scientia seculari & diuina suo tēpore omnium eruditorum testimonio doctissimus, & apud Gallos Italosque scholas publicas gloriose rexisset annis non paucis, tandem diuino spiritu motus, omnia contempsit terrena, & in monasterio Beccensi sanctę conuersionis habitum suscipiens tanta se humilitate depressit, ut nihil sciens ab omnibus putaretur. Voluit enim uir in seculo magnus, pro Christo in cœnobio uideri paruus, & latere in abiectione humilitatis. Vnde cū quadam die fratribus ad mensam residentibus iuxta regulam monasticam legeret, & inter legendum quippiam proferret sicut debuit, Prior qui non multum doctus erat, uocem legentis interrupit, eumque aliter quam debuit legere nesciens præcepit. At seruus Christi Lanfrancus, quod bene pronunciauerat corripiens dixit, qualiter sciuit non esse dicendum, & qui humilitatis habitum assumpserat, obedientiam omnibus præceptis & regulis Grammatices humiliter præferbat. Post hæc cū notus in monasterio factus quis esset, eruditionem suam diuinitus non posset abscondere, præcepto sui abbatis obtemperans scholam monachorum publicam in cœnobio tenuit, & multos post se discipulos doctissimos reliquit. Deinde post annos aliquot in abbatem Cadoniensis cœnobij electus est, & postremò Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopus constitutus. Scripsit nonnulla præclaræ eruditionis opuscula, quorum alibi fecimus mentionem. Anno monasterio Hirsaugiense uacante 57. obiit Lupoldus archiepiscopus Moguntinensis, 7. idus decembris in monasterio sancti Iacobi, quod ipse construxerat, sepultus; cui successit abbas Fuldenis nomine Sifridus, nostri ordinis, uir magnificus, doctus & religiosus. Eodem quoque anno moritur sexto calendas Octobris Meginherus abbas monasterij Hirsfeldensis, uir in diuinis scripturis doctus, & secularium literarum non ignarus, magnarumque in Christo uirtutum, & unicum hac ætate in Theutonicis regionibus recte ac monasticè uiuendi exemplar. Is cum Burchardo Halberstadeni episcopo, propter decimationes in Saxonia litem annis non paucis habuit: contra cuius improbita-

improbis, cum nec forenses, nec Ecclesiasticae leges quicquam ualere-  
 rent, & abbate sapienter in ius relata surdis tributibus fabulam  
 narrasset, tandem ad tribunal iudicis Iesu Christi prouocauit. Quo breui  
 mortuo, episcopus diuina ultione tactus, diruptis uisceribus miserabili  
 morte sequutus est: qui tamen priusquam moreretur eiulans & clamans, ad  
 Dei se iudicium per abbatem Hirsfeldensem dixit esse citatum, iussitque de-  
 cimas illis reddi ablatas, ueniamque a monachis per nuncium postulauit. Cla-  
 ruit his quoque diebus Ruthardus monachus Corbeiensis coenobii, qui Me- Ruthardus  
 ginhero praescripto in abbacia Hirsfeldensi successit, uir studiosus & do-  
 ctus, quippe qui multo tempore scholae monasticae in Corbeia publice praes-  
 fuit, & eruditos post se discipulos reliquit. Hic quondam in eodem mona-  
 sterio Corbiensi abbas fuerat ordinatus, sed quorundam criminum falso  
 (ut creditur) insimulatus, abbacia amissa, nonnullos per diuersa monasteria  
 priuatus exegerat annos, tandemque propter eruditionem suam abbas in  
 Hirsfeldia factus est. Scripsit de tranquillitate uitae pulcherrimum libel-  
 lum, in quo seipsum multimoda ratione consolatur, dicens morta-  
 lem non debere turbari propter quoscunque euentus rerum  
 transitoriarum, cum omnia sint mortis aduentu termi-  
 nanda, in breuique mortalibus in hac uita molesta ui-  
 dentur occurrere. Scripsit & alia nonnulla,  
 quorum in alijs locis titulos iam  
 dudum posuimus.

## DE SECUNDA INSTAURATIONE

MONASTERII S. AVRELIi FACTA PER

ADELBERTVM COMITEM DE CALVE

ANNO DOMINI M. LIX. INCERTA,

*Fundationis huius cœnobij secundæ præjagia.*



*Vuiltrudis comitissa.*

Anno autem Dominicæ natiuitatis nono & quinquagesimo supra millesimum, qui fuit monasterio uacante septimus & quinquagesimus, à fundatione autem prima huius loci, quæ facta est à comite Erlafrido & eius filio Nottingo Vercellensi episcopo, ducentesimo & decimonono anno, cum Adelbertus comes, utpote iuuenis fortis, diues & secularis curis totus immersus, uerborum & comminationum sanctissimi auunculi sui papæ Leonis noni, promissionisq; suæ & iuramenti paulatim obliuisci uideretur, & instaurationē cœnobij S. Aurelij Hirsaugiensis quam sub anathematis obligatione accelerandam promisso iurauerat, de die procrastinaret in diem: uerita Vuiltrudis uxor eius deuota, Christi famula, simul ac metuens ne mora nimium protracta sanctum uiri sui propositum penitus euacuaret, aut si illum mori contingeret, nihil ex his quæ S. Pontifex præceperat deinceps optatum perduceretur ad effectum: uirum suum crebris perurgere admonitionibus cœpit, orans & obtestās, quatenus memor uerborum & comminationum sanctissimi pontificis auunculiq; Leonis, & quàm duram in eum, si negligeret, fulminassent excommunicationis & æternæ damnationis sententiam, uerba præsulis metuendū: parceret deniq; propagini sui generis toti, quæ futura esset successura tempore parētī, si crudelior libi penitus esse deliberasset, eaq; quæ sanctissimus uir præcepisset, quantocius executioni demandare curaret: se alioquin uehemēter timere, ne prouocata Dei omnipotentis iustitia, inobedientiā contra tanti Pontificis mandata præsumptam, grauissimo tandem & æterno supplicio puniret. Hęc & similia his comiti martio crebrius uxore inculcanti, ac uerba summi pontificis terrore plena quotidie ad memoriā reducenti, se breui futurum omnia secundum iuisionem sancti senioris: & monasterium D. Aurelij restitutum in gradum pristinum, uxori comes promisit. Sed cum S. foemina sine effectu uerba cōiugis prolata transire dedie in diem cerneret, & semper impedimentis grauibus accedere grauiora, statuit importunitate uincere, quem se lenitate & mansuetudine non posse superare cōsiderauit. Iam ergo deinceps non diebus, non noctibus cessabat mulier deuota, admonere, rogare, & quadam oportuna uiolentia maritum impellere, ut quantocius opus promissum inciperet, ne iram omnipotentis contra se Dei prouocaret. Quadā igitur uice iterum aggressa uerbis comitem uxor cum sermonem beatissimi papæ ingeminasset, uictus ille importunitate nimia statuit redimere noxam, missisq; pro artificibus ad opus necessarijs, cœpit illorum uti consilio, & quid mente gereret aperire. At illi cernentes ecclesiam B. Aurelij ligneo tabulatu ueterum more constructam, & per clericorum negligentia ac malitia temporū semidirutā unā cum ceteris mansionibus claustrī non posse subsistere, dabant consiliū, ut ueteri structura nimium simplici disiecta nouum ex lapidibus cœnobii inchoaret. cuius firmitas & posteritatē facti admoneret stabilis, & impensas perditum ire non sineret. Fuit enim (sicut in prima fundatione longē superius diximus) ecclesia

*si pri-*

*Vincit importunitas uiri patientia contemnitur.*

*Consilium dant artifices de constructione noui monasterij.*

ſia primùm per Erlafridum comitem fundata ſatis quidem ampla, ſed more ueterum ſimplex nimium & minus firma, quæ non diu ſtare line periculo poſſe uideretur. Igitur comes Adelbertus conſilio tam architectorum & aliorum artificum, quàm prudentium uirorum in monaſteriorum dimenſionibus expertorum accepto, primam eccleſiam ab Erlafrido ante ducentos annos conſtructam funditus præcepit deſtrui, & locum pro nouo templo ſecundum formam ſibi à peritis traditam reſtituendo purgari. Interea lapides de uicino monte quadratos & ligna cæteraquæ ad tantum opus neceſſaria magnis ſumptibus fecit adduci, & quicquid requirebatur ad nouum ædificium copioſiſſimè præparari. Anno dehinc altero, qui fuit Dominicæ natiuitatis 1060. indiçtione 13. uacante autem monaſterio 58. fundamenta huius eccleſiæ ſancti Aurelij, quam modò cernimus, facta ſunt, & in paucis annis monaſterij inſtauratio conſummata eſt, prout ſuo loco dicemus. Eodem anno in territorio Pariſienſi ferunt ſanguinem pluiffe de cœlo in feſtiuitate omnium ſanctorum ſuper populum tempore ſacrificij diuini miſſæ. Conradus etiam Spireniſis epiſcopus hoc anno obiit, cui Einhardus in pontificatu ſucceſſit. Circa hæc tempora comes Euerardus & Ida comitiſſa monaſterium ordinis noſtri, quod Schafhaufen dicitur, conſtruxerunt in Sueuia, quod magnis prædijs & bonis cumularunt. Horum filius Vdo Treuireniſis archiepiſcopus fuit poſt Euerardum, de quo ſuprà diximus. Claruit hiſ temporibus Marianus natione Scotus, primùm monachus S. Pantaleonis Coloniſis, deinde Fuldenſis, ac poſtremò apud Moguntiam pro amore Chriſti reclusus, uir Deo deuotus & in ſcripturis diuinis ſtudioſus, qui ſcripſit ab origine mundi uſquæ ad annum 1084. Chronicam ſuccinctam, annorum notatione pulchrè interfectam, cuius lectio ad cognitionem temporum ſatis utilis & iucunda eſſe poterit ſtudioſis.

Anno Domini 1064. qui monaſterio uacante 52, indiçtione 12, ſanctus Cunno, quem Imperator ad eccleſiam Treuerorum miſerat pro ſuſcipiendis inſignijs archiepiſcopatus tum uacantis, martyrizatus eſt per Theodoricum comitem, propterea quod ſine populi electione conſtitutus eſſet à rege, tertioquæ die de monte præcipitatus, ad Dominum migravit. Sepultus in monaſterio Doleienſi noſtri ordinis, multis ſignis mox clareſcere cœpit. Comes poſtea pœnitentiam acturus, pro ſcelere commiſſo Hieroſolymam perrexit, & ibi uitam finiuit. Cæteri omnes conſentanei ſcleris, mala morte breui conſumpti perierunt. Huic ſucceſſit Vdo filius Euerardi comitis, de quo iam antea diximus. Eodem quoquæ anno Siphridis archiepiſcopus Moguntinus, Guntherus epiſcopus Bambergeniſis, Otto Ratiſponenſis epiſcopus, & Vuilhelmus epiſcopus Traiectenſis, cum alijs multis, ultra quam ſeptem millibus Hieroſolymam orationis & deuotionis cauſa pergentes uix duo milia redierunt.

Hoc etiam anno Vuormatienſe antiſtite Arnulpho uiro pontificaliſtæ moſtitiæ & ſanctitatis mortuo, Adelbero monachus ſancti Galli noſtri ordinis frater Rudolphi ducis ſucceſſit, uno pede omnino debilis, uir per omnia ſpectaculo dignus. Erat enim fortitudinis magnæ, edacitatis nimix, craſſitudinis tantæ, quæ aſpicientibus horrorem magis incuteret, quàm admirationem. Claruit hiſ temporibus Vuilramus, ex ſcholſtico Bambergeniſi monachus Fuldenſis, & tandem ex monacho abbas cœnobij Mersburgeniſis, uir tam in diuinis ſcripturis, quàm in ſecularibus literis non infimè doctus, qui in Pariſienſi gymnaſio philoſophiam multis annis glorioſe docuerat. Scripſit inter cætera ingenij ſui opuscula ſuper Cantica cantic. tres libellos metro & proſa diſtinctos. Alia quoquæ nonnulla ſcripſit nobis necdum uiſa.

Bernardus

Vetus ecclesia de  
ſtruitur.Fundamenta no-  
uæ eccleſiæ ponū-  
tur.Monasterium  
Schafhaufen fun-  
datur.Marianus Sco-  
tus-

Cunno occiditur

Adelbero.

Vuilramus.

- Bernardus.** Bernardus quoque monachus Corbeienſis noſtri ordinis iſdem temporibus in Saxonia claruit, uir in ſcripturis tam diuinis quam ſecularibus admodum eruditus, metro exercitatus & proſa, qui publicæ ſcholæ monachorum in eodem cœnobio multis annis præfuit, & diſcipulos complures poſt ſe doctos reliquit. Edidit non contemnendæ lectionis opuscula, quorum alibi fecimus mentionem. Guntherus quoque monachus cœnobij S. Amandi ordinis noſtri, hæc tempora docendo & ſcribendo uaria illuſtrauit. Vitam & paſſionem S. Cyriaci martyris metro deſcripſit non ineleganti, cum multis alijs quæ ad nos necdum peruenierunt. Theodoricus quoque abbas ſancti Trudonis noſtri ordinis doctiſſimus, & tam in ſecularibus literis quam in diuinis ſcripturis ad plenum imbutus, ſcripſit eleganti carmine uitam Trudonis, ſancti quoque Bauonis, S. Reinoldi, & complurium aliorum. Claruit etiam hiſ tēporibus S. Arnulphus monachus cœnobij B. Medardi Sueſſionenſis, qui ob amorem ſolitudinis & uitæ contemplatiuæ per plures annos in inſulſorio ſtetit: deinde abbas eiſdem monaſterij ac poſtremo Sueſſionenſis parochiæ epiſcopus factus, multos uerbo & exemplo ad morem cœleſtis patriæ incitauit. Hic ad confirmandam inter Flandrenſes pacem, uenit in Flandriam, ibique moriturum ſe prædixit, & fundato cœnobio monachorum noſtri ordinis in eccleſia & honore S. Petri mortuus eſt, & ibidem ſepultus 18. calēd. decemb. ſanctus quoque Maurilius ex monacho cœnobij Fiſcauienſis noſtri ordinis archiepiſcopus Rotomagenſis poſt deſignationem Malgerij hiſ temporibus clarus habetur, uir multarum uirtutum decore ornatus, charitatis abſtinentiæque cultor inſignis, de cuius ſancta cōuerſatione præcella laudū præconia feruntur. Hiſ tēporibus S. Anno Coloniēſis archiepiſcopus conſtruxit monaſterium ordinis noſtri in Vueſtphalia, quod in lingua illius gentis Greſſchafft appellatur, in quo poſuit abbatem & monachos qui ſecundum regulam uiuerēt, quos neceſſarijs omnibus prouidit. Tertium quoque ordinis noſtri monaſterium ſanctus archiepiſcopus Anno fundauit in finibus Sclauorum quod Saluedia nominatur, in quo etiam monachos regulæ ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti cum abbate poſuit, quos prædijs & donationibus multis cumulauit. Hiſ temporibus uenit quidam monachus ex Hibernia ordinis noſtri, qui dicebatur Ioannes, in territorium Meckelnburg in Saxonia, prædicans incolis uerbum Dei, quem propter zelum fidei & inſatigabilem euangelizandi conſtantiam Romanis pontifex gentibus illis præfecit epiſcopum, qui tandem pro fide & iuſtitia martyrio coronatus, ad Dominum migravit. Hermannus quoque ex monacho cœnobij ſanctæ Felicitatis in Suartzach, non longè ab Herbipoli noſtri ordinis hiſ diebus poſt obitum Guntheri epiſcopi Bābergēſis, in locum eius ſucceſſit. Sunt qui ſcribant Hermannum hunc, uicedominum fuiſſe Moguntinum, & amicorum precibus ac precio epiſcopatum cōmiſſe, poſtea uerò poenitentia ductum intraſſe monaſterium.

QUANDO ET VNDE PRIMI MONACHI AD  
Hirſaugiam, in hac ſecunda fundatione ſiue inſtaur-  
atione aduenerint.

Comitis Adel-  
berti in conſtan-  
tia.

**I**N terea dum opus inceptum in fundatione templi S. Aurelij pōtifficis noui per comitem Adelbertum continuaretur, ſanctæ mulieri omnis moranimum uidebatur proluxa, quippe quæ & animum mariti remiſſum in conſtantemque non ignorabat, & eum necdum in diuino timore ſatis fundatum de ſancti propoſito reflecti poſſe ſciebat. Vnde ſagaci uſu conſilio conſummationem monaſterij non duxit expectandam, ne forte mors impedimenta quælibet interponeret, ſi aut eam priuſquam perficeretur opus aut  
comitem



comitem rapuisset. Monuit ergo uxor deuota maritum, ac tandem persuasit, ut monachos non expectato consummationis termino, qui adhuc longè uidebatur abesse, introduceret: cum quorum cōsilio perficeret, quod in consequendis mansionibus & cellis monasticis nondum esset consummatum. Dedit ergo comes persuadenti foeminae consensum, & unde monachi adducerentur, qui secundum regulam monasticam inculpatè uiuerent, habere consilium. Erat autem in illo tempore monasterium solitariorum, quod ab antiquo (sicut longè retrò diximus) Ad eremitas dicebatur, in Nigra sylua, bonæ opinionis & regulā conuersionis monachorū inibi degētium, præ cæteris Sueuicæ monasterijs laudatum, cuius famæ boni odoris gloria inducti, comes & comitissa monachos, si possent impetrare, petere decreuerunt. Missa itaq; ad ipsius cœnobij abbatem legatione comes Adelbertus rogat, sibi monachos uita & conuersione præcipuos mitti, qui monasterium à se fundatum sub regula S. patris Benedicti possideant. Missi sunt ergo de monasterio prædicto fratres cum Friderico uenerabili uiro, quem sibi præfecerunt abbatem. Veneruntq; ad Hirsaugiam, anno Dominicæ natiuitatis 1065, indictione 3. pridie nonarum Decemb. à desolatione primii monasterij 63. à fundatione autem prima 227 anno. Quos ut uidit deuota Christi famula Vuiltrudis comitissa, cum incredibili gaudio suscepit, dispositisq; omnibus quæ ad sustentationem seruorum Dei uidebantur necessaria, monasterium eis unà cum comite marito consentiens in possessionem sempiternam tradidit. Sed cum Fridericus abbas & fratres dicerent traditionem hanc nequaquam sufficere, nisi coram episcopo in facie sanctæ matris ecclesiæ, uocatis ad hoc testibus idoneis ut moribus bonis, ita & generis nobilitate præstantibus secundum cōsuetudinem ordinis fuerit confirmata, displicuit quidem comiti, quippe qui monasterium & monachos in suam cupiebat redigere potestatem. Dissimulans autem exteriori apparatu mentē quam gerebat, respondit, se consummato opere facturū omnia quæ ratio postularet. At uerò de possessionibus quas tã ipse quam progenitores sui de monasterio dudum uolenter rapuerant, cum restituisset aliquas ad usum fratrum, plures reseruauit, & forsitan nec illas quidem restituisset, nisi religiosę coniugis importunitate fuisset nimia superatus. Verum post obitum Friderici abbatis cum reuerendissimus abbas Vuilhelmus regimini monasterij fuisset prælatus, puritate & simplicitate sua columbina comitis astutiam & meram cœnobij huius libertatem, tam à summo Pontifice, quam ab Imperatore cum consensu Adelberti comitis impetrauit, quemadmodum suo in loco plenius dicemus. Postea uerò quam fratres in possessionē monasterij, nec dum consummati fuerunt admissi, cœperunt diligentissimè operam dare, ut ecclesia quantocius perficeretur, sperantes se tunc rerum quoq; temporalium necessariam prouisionem iuxta pollicitum saluatoris nostri in Euāgelio, diuicq; patris monachorum in regula sine dubio assequi, eum ante omnia in exhibitione seruitutis Dei omnipotētis debitum præmiserint famulatū. Erant autem fratres numero duodecim, quorum seruorem & deuotionem cum S. foemina Vuiltrudis comitissa uidisset, omni qua potuit uirtute satagebat apud maritum, ne quid ad cōsummationem tam sancti operis deesse contingeret. Vnde suam munificentiam in fratres, & pietatem in Deum, multis beneficijs ostendit: & quęcunq; ad sustentationē seruorum Domini intellexisset necessaria, nunc manifestè, nunc etiam occultè liberaliter impendit. Et licet fratres unà cum artificibus, quos comes impensis suis conduxerat, incepto fortiter ac diligenter instarent operi, non tamen illud tam citò ad perfectionem optatam perducere potue-

Vuiltrudis comitissa utile consilium.

De monasterio Solitariensi fratres adueniunt.

Comitis uersutia contra fratres.

Abbas Vuilhelmus libertatem cœnobij impetrauit.

Numerus fratrum in principio monasterij.

runt. Per annos namque decem ferme consummata fuit ecclesia, una cum cæteris quibusdam habitaculis necessarijs, ad conuersationem monachorum. Anno siquidem dominicæ natiuitatis 1060. sicut antea prædiximus, noua ecclesia ueteri præcedente anno deposita, iactis fundamentis faxeis inchoata est, & tandem anno 1070 perfecta, & sicut postea dicemus anno septuagesimo primo per episcopum Spirensis Henricum consecrata. Annis itaque decem in constructione monasterij laboratum est. Abbas autem Fridericus consummationem ecclesiæ, cum cæteris mansionibus monasterij, tametsi manuum indefessam operi apponeret, uidere non potuit: quia post triennium falsis accusationibus quorundam circumuentus, sicut dicemus, depositus ab officio dignitatis fuit, & non multo post obiit. Huius autem foundationis & monasterij dedicationem, traditionem & libertatem, quamuis in hoc loco secundum narrationis ordinem, priusquam abbatis Friderici gesta scribenda sumamus, exponere deberemus: quia tamen post eius mortem sub abbate Vuilhelmo contigerunt, ad ipsius quoque tempora duximus referuandas,

*Fridericus abbas non uidit loci perfectionem.*

DE FRIDERICO, XI. HIRSAUGIENSIS MONASTERIJ abbate qui præfuit annis III. & moribus eius, ac gestis illius temporis.

**F**Ratribus itaque monachis de cœnobio eremitarum in Hirsaugiam comite Adelberto petente uenientibus, quemadmodum iam diximus, numero duodecim in abbatem primum huius instaurationis prælatus est Fridericus, qui ab origine foundationis monasterij Hirsaugiensis abbas undecimus fuit. Electus autem fuit anno Domini 1065. indictione 3, anno posteaquam uacauerat abbatia tertio & sexagesimo, ordinatus ab Einhardo Spirensi episcopo, & præfuit annis 3. mensibus 8. de cuius uita & conuersatione, quantum ad huius rationem operis pertinet, pauca sunt à nobis præmittenda. Fridericus itaque abbas, de quo nobis sermo est, natus fuit ex parentibus ingenuis, de gente Sueuorum antiqua familia, secundum seculi huius nobilitatem non infimis, à quibus in iuuentute ad discendum literas positus, satis quantum ætas illi permisit, in discendo cum tempore profecit. Postea uerò quam sapere & intelligere aliquantulum cœpit, ad Deum se non sine mentis feruore, in puero quidem admirabili conuertit, & in monasterio eremitarum, apud cellam uidelicet S. Meinradi, mansionem inter monachos, parentum adiutus suffragio petijt & impetrauit. Ex hinc tempus omne in exercitijs monasticis & disciplina regulari satis quietè non paucis annis exegit, nulli molestus, nulli onerosus, sed ante faciem tuam in simplicitate ambulans, parum de mundi huius ratione cogitabat. Lectioni namque diuinarum scripturarum & internæ compunctioni à iuuentute deditus ac magistrorum sollicitudine & prouidentia probe institutus, ueluti consuetudine quadam introducta didicit, cum mundo nullum prorsus habere commercium. Erant nempe illo tempore monachi in sæpe dicto monasterio regularem uitam ac puritatem coram Deo & hominibus sine querela optimam ducentes, qui pueros & iuuenes, quos in sui consortium suscepissent, uerbo & exemplo non solum in scientia scripturarum, sed etiam in moribus, ad compunctionis internæ deuotionem imbuebant. Quibus exercitijs Fridericus penè ab infantia maiorum cohortatione & exemplis instructus, uiam simplicitatis uirtuosæ quam semel didicit, usque ad mortem inuolabiliter custodiuit. Post multos uerò annos, cum Adelbertus comes de Caluue (sicut diximus) monachos & abbatem ex Solitariensium cœtu supplex expete-

*Fridericus fit abbas huius monasterij.*

*Quomodo monachus factus.*

*Laus monachorum Solitariæ.*

expeteret, nullus tum Friderico melior occurrit, quippe qui non modò uer-  
bis, sed etiam exemplis corda subditorum ad cõtemptum mundi & amorẽ  
cœlestium fortius omnibus posse inflammare uideretur. Erat enim disposi-  
tione corporis non secus ac mentis quadam maiestate dignitatis reueren-  
dus, statura mediocris, qui non multum breuis nec longus nimum habere-  
tur, in facie corpulentus & plenus, fortis & robustus, nec tamen crassus ni-  
mum, capillis nigris canisq; hunc inde respersis, & nulla caluicie depilatus.  
Qui quum nomen & dignitatem pastoralis curæ suscepisset, aut nihil aut  
parũ prioris sanctæ institutionis omisit, sed in orationibus, lectionibus scri-  
pturarum, meditationibusq; sanctis & interiorum contemplationi uacans  
die ac nocte secularium negociorum occupationes facile non admisit. Va-  
gos quoq; de monasterio discursus non amabat, uigilijs & ieiunijs corpus  
suum pro Dei amore indefinenter afficiens, hostiam Domino se uiuam &  
immaculatã offerre satagebat. Ad pauperes multum erat misericors, quos  
ut potuisset pro Dei amore aliquantulum esurientes reficere, sepius ieiunus  
remanens sibi competentia cibaria impertiuit egenis. Vbicunq; enim of-  
fendisset pauperem, mox sine dilatione (quantum potuit) illius inopiã tam  
in amictu quã in uictu subueniebat. Nam secundum nomen suum in om-  
nibus erat pacificus, mitis, dulcis, & quietus, plenus charitate Dei & dilectio-  
ne fraterna, in cessu grauis, eloquio dulcis, & pulchra morum grauitate or-  
natus. Adeò uerò coram Deo se humiliare didicerat, ut etiam in exteriori  
conuersatione nitor quidam gratiæ spiritalis relucens, internam cordis  
humilitatem palàm cunctis ostenderet. Inter scriptores nanque reliquos,  
quod officium apud ueteres monachos erat ualde communiter in usu, lo-  
cum tenere cum fratribus non erubuit, in quo se per uices ab oratione ua-  
cans utiliter occuparet. In habitu suo nihil differebat à monachis subditis,  
qui eo tempore omni uilitate & extremitate iuxta regulam contenti sub-  
tus cucullis, desuper uerò cappis utebantur. In hac itaq; humilitate & inno-  
centia uitam suam Fridericus abbas diligenter custodiens, prauorum teme-  
ritatem tamen non potuit euadere, quæ bonis uiris ab initio mundi semper  
fuit infesta, sed usque adeò iniurijs malorum patuuit, ut tandem ab officio di-  
gnitatis suæ (sicut dicemus postea) fuerit iniustissimè depositus. Anno Fri-  
derici abbatis primo Siphridus Archiepiscopus Moguntinus de partibus  
trãsmarinis redijt, decq; septem mil. bus quos secum abduxerat, uix duo mil-  
lia reduxit. Eodem anno regnum Angliæ per Vuilhelmum Nortmãnorum  
bastardum miserabiliter affligitur, cuius regem Araldum interficiens pro  
eo regnauit. Qui mox penè omnes eiusdem regni pontifices misit in exi-  
lium, nobiles & principes interfecit, mediocres in seruitutem militibus de-  
dit, uxores indigenarum aduenis suis matrimonio copulauit, & in ciuitate  
Eboracense plusquàm centum supra mille sacerdotes crudeliter occidit.  
In festis etiam paschalibus hoc ipso anno cometes per quatuordecim ferme  
noctes in cœlo apparuit. Anno Friderici Abbatis 2. qui fuit Dominicæ na-  
tiuitatis 1067 indictione 5 obiit Einhardus episcopus Spirensis, cui Henri-  
cus successit canonicus Goslariensis, tantæ dignitatis uir, dum per ætatem  
maturus, & non tam electione cleri aut populi ad hanc profectus, quã  
indulgẽtia regis, cui in puerili ætate fuerat familiarissimè assentatus. Claruit  
hoc tempore Marbodus ex monacho episcopus Redensis, uir in diuinis scri-  
pturis doctus & secularium literarum non ignarus, metro exercitatus &  
prosa, qui multa ingenij sui monumenta posteris reliquit, & inter cetera scri-  
psit insigne opus in Cantica canticorum, passionem quoque sanctorum

*Dispositio & ser-  
ma corporis Fri-  
derici abbatis.*

*Quibus fuerit de-  
ditus exercitijs  
Friderici.*

*Pius in pauperes  
semper fuit.*

*Commendatur ab  
bas Fridericus.*

*Siphridus.*

*Rex Angliæ in-  
terficiatur.*

*Sacerdotes occi-  
duntur.*

*Marbodus.*

*Marmor fratrum  
contra Frider.  
exoritur.  
Interpretatio mo-  
nachorum prava*

*Quare fuit ab-  
bas comiti indi-  
gnatus.*

*Crimen fornica-  
tionis abbati im-  
ponunt.*

*Fridericus abbas  
deponitur.*

Thebeorum martyrum & uitam complurium aliorum sanctorum eleganti carmine descripsit. Anno autem sequente qui fuit Dominicæ natiuitatis 1068. cum abbas Fridericus iuxta morem & consuetudinem suam rebus diuinis totus esset intentus, lectioni, meditationi, orationi & contemplationi deditus, fratribusque suis quos ipse sibi constituerat rerum omnium monasterij disponendarum, in externis œconomos nimiam in agendis permitte- ret libertatem, cœperunt eum diabolo instigante contemnere, & quomodo ipsum à dignitate sua deicerent, consilium habere. Spirituales namque uitæ tranquillitatem, qua ille uehementer se occupare solebat, non religioni sed inertiae suæ adscribebant, ipsumque ignauum & rerum temporalium inextertum irridebant, quippe qui ad eorum commodum & utilitatem in exter- nis, nihil penitus prouidere aut posse aut uelle uideretur. O quod non præsumit cæca prauorum ambitio, quæ presentibus nequiter inhians memo- riam futurorū non admittit. Virum omni honore dignum monachi peni- tus indigni non solum non uenerantur, sed etiam persequentes despiciunt, & eum quem summo honore ab ultimis etiam terræ finibus, si ita oportuni- tas requireret, uocare ad se debuerant, repellere à se & abhæcere turpiter non formidant. Comitem Adelbertum principes factionis monachi prorsus Deo & hominibus ingrati, adeunt: Fridericum abbatem suum inertiē igna- uumque non satis prouidē accusatum deferunt, & quam inutilis sit monaste- rio alijs atque alijs uerbis mendaciter confingunt. Et quidem facile animum comitis uisro sancto & innocenti reddunt auersum, utpote qui mūdānis re- bus assuetus nihil minus quam internæ cōuersationis quietem cogitabat. Erat etiam comes abbati iam pridem non mediocriter infensus, propterea quod consulētibus id ipsum quoque monachis, liberius quam illi erat in men- te, traditionem monasterij pontificali roborandam autoritate exigere ten- tasset. Vnde fratrum accusationes contra Fridericum abbatem libenter ad- misit, & mox abbatiali eum honore priuasset, nisi uxoris deuotissimæ con- silio fuisset aliquandū prohibitus. Sed nec ad eum causa accusationis dela- ta uidebatur sufficiens, pro qua abbas deponeretur: non quod iustitię ratio- nem in hoc attenderet, sed ne apud homines leuitatis argueretur, si ad tam leuem querelam monachorum, hominem alioquin bonæ apud omnes fa- mæ & opinionis, à prælatura remouisset. Interea dum hæc agerentur, Fri- dericus abbas sanctæ simplicitatis amator, more suo cœlestibus intentus di- sciplinis, earum machinationum quæ parabantur in suum exitum penitus ignarus, dolos & fraudes suorum non aduertit. Cum autem cernerent ac- cusatores iniqui, se hac uia non posse proficere, ut sanctum uirum omnino deicerent, alium modum inuenerunt. Consilio namque diabolo suggerente inter se habito, crimē fornicationis pastori suo morbida oves imponunt, ut eum quem uincere non poterant, iniuria superarent. Hac fama delata ad comitem, non examinauit causam secundum regulam æquitatis, non fecit produci testes à suspitione iniquitatis, sed uiolentiam uiri præposuit, eosque testes admisit contra innoxium, quos accusatores in causa ad se non per- tinente habuerat. Deposuit ergo uirum sanctum & innocentem iudex præ- sumptuosus, quem accusatum quidem nouerat, non confessum, non le- gitimo testimonio conuictum. Et quamuis ad laicum non pertineat ratio huiusmodi actionis, præsumpsit tamen ambitio quod uoluit iudicantis, cui tempus fauere uidebatur in obsequium sceleris, quo præsul erat secularis & iuuenis & puer, nomen regis sine regimine portabat. Depositus autem per uiolentiam comitis abbas Fridericus, illatam contumeliā pro Dei amo- re pa-

re paentissimè titulit, & nihil passus, in omni patientia & mansuetudine inter alios pacificè uixit, nulliq; molestus in aliquo fuit, neq; uicem iniurijs reprehendit, quamuis non paucas quotidie ab infirmioribus irrisiones sustineret. Qui cum locum iræ dare potuisset, noluit: sed cum his qui oderant pacem, pacificus & tranquillus omni tempore permansit. Sed omnipotens Deus iustè iudicans, patientiam pauperis non despexit in finem, quoniam quem tribulari innocenter permiserat, quàm iniustè fuerit depositus, breuè postea reuelauit. Doli nanque machinatio patuit, aperta est iniquitas, fraus quoque detecta, & innocentia uiri omnibus facta est manifesta. Nullam enim causam deponendi eum legitimam habuerunt, sed inuidia obcæcati æmuli crimen fornicationis in eum mendaciter composuerunt, sicut postea manifestè apparuit. Enimuero quum uir Dei esset homo humilis & quietus, minusq; intenderet rebus & actionibus mundanis, seq; in auctoritate pastoralis seueritatis nequaquam subditis reddidisset formidabilem, cœperunt eum cõtemnere & habere exosum, ipsum tanquam inutilem de abbacia cogitauerunt eicere. Non est malitia supra malitiam claustralium peruersorum, qui nullum facinus abhorrentes, audent omne quod liuor suggererit. Depositus autem fuit anno Dominicæ natiuitatis millesimo sexagesimo octauo, indictione autem 6, anno regiminis abbatialis assumpti tertio completo & mensibus fermè 8. Mansit igitur inter æmulos suos (ut diximus) uir humilis, quietus, nulli grauis, nulli onerosus, sed internæ compunctioni deditus, dies noctesq; in oratione Domini consummauit. Interea adueniens abbas monasterij sancti Nazarij Laurissensis cum innocentis uiri deiectionem cognouisset, cuius uitam & mores sanctissimos dudum antea nouerat, ingemuit: quem inter lupos uelut agnum diutius manere non sustinens, ex magna eum pietate secum abduxit, & in monte sancti archangelis Michaëlis, qui Ebernisberg dicitur, collocauit, ac de necessarijs quàm diu uixit copiosa miseratione prouidit. In eodem uerò monte usque ad mortem permansit, orationibus cæterisq; piæ conuersationis studijs intentus, tantoq; liberius contemplationi & quieti mentis dedit operam, quanto ab omni cura & tumultu secularium occupationum fuerat remotus. Denique non multis postea annis euolutis Domino uocante infirmari cœpit & sancto in pace sine quieuit. Quo mortuo catena ferrea ad nudam carnem eius inuenta est, quam multis annis creditur non sine dolore, quod cicatrices carnibus infixæ monstrare poterant, in occulto portasse. Sepultus est in eodem loco non sine opinione sanctitatis, super cuius tumulum nocturnis horis lumina emissa, ut multi testabantur, uisa sunt, & signa diuinitus ostensa. Et is quidem abbas Friderici exitus fuit, cuius animam cœli gaudijs introductam confidimus, quæ Christum totis semper uisceribus in carne posita amauit, pro cuius amore multa patienter sustinuit.

*Monachorū malitia peruenit in litem.*

*Quando sit depositus ab officio dignitatis.*

*Abbas in Lorsche Fridericum secū abduxit.*

*Catenam portauit ad nudam carnem.*

*Signa cœlitus ad sepulchrum eius facta sunt.*

DE VVILHELMO HVIVS MONASTERII  
 abbate duodecimo, qui præfuit annis uigintiduobus, & de gestis  
 per eum, atque sanctissima con-  
 uersatione eius.

*Consilium de pa-  
 store eligendo.*

POST depositionem deuotissimi uiri abbatis Friderici, non parua inter fratres concertatio fuit suborta, quis in locum eius idoneus substitueretur, qui & uerbo & exemplo pastorem se utilem ouibus exhiberet, & prouisionem temporalium rerum (sine cuius adminiculo, religio subsistere nequit) non negligeret. Verebantur enim uiolentiam Comitis, quoniam cuius auxilio Fridericum à dignitate sua deposuerant, eius iram si contra successorem eadem præsumerent, non inconsultè metuebant.

*Vuilhelmus.*

Erat eo tempore in cœnobio sancti Hemerani Ratisbonæ, monachus quidam Vuilhelmus nomine, uir multum doctus & religiosus, quem quidam ex fratribus notum antea uiderant, reliqui famam bonæ conuersationis eius satis celebrem sæpe audierant.

*Vuilhelmus ue-  
 nit ad Hirsaug.*

Igitur post longos inter se habitos tractatus, tandem sapienti diuinitus inspirati consilio, usi concordî unanimitate concluderunt, non se alium electuros quàm monachum præfatum Vuilhelmum, quem Scripturis optimè imbutum, & sanctis moribus adornatum, sciebant futurum non inutilem esse pastorem. Mittunt ergo duos ex se, cum legatione Comitis Adelberti, ad monasterium Sancti Hemerani Ratisbonam, qui nomine omnium, Vuilhelmum sibi dari in Abbatem postularent. Nuncij Ratisbonam ueniunt, legationem suam Abbati & conuentui (quemadmodum iussi fuerant) exponunt, Vuilhelmum animarum suarum pastorem expetunt, & (suis necessitatibus ostensis) impetrant. Qui Vuilhelmus dum fratrum Hirsaugiensium uoluntatem cognouisset, non in superbiam se exaltulit, sed ieiunijs & orationibus causam omnino Domino commendauit. Imperio uerò senioris sui compulsus, post dies paucos, cum fratribus qui missi fuerant, ad peregrinationem se contulit, & comitante Domino ad Hirsaugiense monasterium uenit. Magno fratrum gaudio susceptus est, & mox in Abbatem, consensu omnium qui aderant, electus. Cognita uerò depositione antecessoris sui iniqua, grauiter tulit, exhortariq; Comitem, ut uirum innoxium, dignitati pristinae restitueret, cœpit. Quem ut obstinatum in sua temeritate conspiceret, redire ad monasterium suum unde uenerat, cogitauit. Hoc fratribus quum innotuisset, prouoluti pedibus eius humillimè orant, ne desolatos tam miserè deserat, ipsum Diuino examini clamant futurum grauiter obnoxium, si pastore orbatos, lupis suo recessu permitteret patere deuorandos. Quumq; maximis eum precibus obuoluunt, ægrè tandem impetrant, ut maneat. Qui nec ordinari ab episcopo uoluit, nec in loco Abbatis stare, aut residere, quamdiu Fridericum antecessorem suum, in hac uita cognouit esse superstitem. Quo, non post multos menses, ad Dominum migrante, suæ tandem ordinationi consensit. Verum non prius consentire uoluit, quàm monasterium omnimodo tradere tur libertati. Aduocati nanque Comites, monasterium in ius suum penitus redegerant, & nullam oblata libertatem, iuxta tenorem primæ fundationis liberrimè permittere uolebant.

*Vuilhelmus re-  
 nuat ordinari.*

Videns

Videns ergo Comes Adelbertus Vuilhelmi abbatis constantiam, quòd monasterij regimini se nequaquam intromittere uellet, nisi manus ipse deponeret, & locum perpetua libertate condonaret: simulauit se in omnibus obtemperaturum, quæcunque ad huiusce rei negocium necessaria prauideret.

Ad instantiam itaque eius, Comes Adelbertus perrexit cum eo ad curiam Regiam, literas præ se simulatè ferentes, libertatem cœnobij astutia seculari falsas composuit: quas muniri sigillo regio impetrauit, Vuilhelmo columbina simplicitate reuerendo, nihil tale penitus suspicante. Verùm post annos quinque dolum intelligens, per Dei misericordiam euicit: quemadmodum suo loco per ordinem dicemus.

*Comes Vuilhelmum dolo circumuenit.*

Sanctus igitur & innocens quum esset Vuilhelmus, uerax atque fidelis, omnes ex suis uirtutibus metiens, monasterium à seruitute iam credens exemptum ordinari in Abbatem consensit.

Anno igitur Dominicæ natiuitatis millesimo sexagesimo nono, indictione autem septima, in die sancto Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, quæ fuit quarto nonas Iunij, monasterio necdum consummato, Vuilhelmus abbas constitutus est: & in præsentia multorum nobilium tam clericorum, quàm laicorum, ab Henricho Nemetensi Episcopo iuxta morem ordinatus, atque in sedem Abbatia, non absque flumine lachrymarum collocatus. Præfuit autem in magna religione & sanctitate per annos duos & uiginti: in quibus statum & conditionem huius monasterij, tam in personis, quàm in rebus temporalibus mirificè dilatauit.

*Vuilhelmus ordinatur abbas.*

Natus est in Bauaria honestis parentibus procreatus, à quibus omnipotenti Deo in pueritia sua fuit à pijsimis parentibus oblatum in prædicto monasterio sancti martyris Hamerani Ratisbonensi, ubi tam moribus ad puritatem regulæ, quàm eruditione literarum usque adeò cum tempore & diligentia profecit, ut ne dicam in utroque monasterio, sed ne in altero quidem, sua ætate habuerit parem. Ingenium eius subtilissimum, & in omni scientia tam humana, quàm Diuina, eruditum fuit: quemadmodum sua præclara uolumina ostendunt, quæ & monachus & demum Abbas edidit, quæ si quis diligenter cum intellectu reuoluerit, quanto intellectus acumine præditus fuerit, sciet. A pueritia enim sua (ut diximus) in monasterio constitutus, omne illud tempus quod ex horis regularibus & cæteris laboribus monasticis superesse potuit, aut orationi impendit, aut studio bonarum literarum. Nemo illum in cœnobio uel extra, unquam uidit ociosum: semper aliquo spirituali, uel certè literali fuit intentione occupatus. In his artibus, quas uocant Liberales, eruditissimus fuit, ut suos etiam longè uinceret præceptores.

*Vuilhelmi clauigium.*

Erat enim Philosophus acutissimus, & in disputationibus adeò subtilis, ut à nemine penitus uinceretur. In Musica, singulari doctrina fulgebat: quippe in laudibus Sanctorum, qui cantus plures dulci modulamine composuit. Porrò in Mathematica & Astronomia, in Arithmetica & in arte Calculatoria tam eruditus fuit, ut quum in omnibus haberetur doctissimus, his quasi singulariter scientijs operam nauasse uideretur. Quid autem ediderit, obiter indicabimus. Scripsit enim de Musica, de Compositione monocordi, de Astrolabio & eius compositione, de Compositione quoque horologij, de Correctione Psalterij, & de Ratione Computi Ecclesiastici. Ipse quoque in Sacris Scripturis

*Qualitas & dispositio corporis  
Wilhelmi.*

*In persuadendo  
fuit efficacissimus.*

*De castigatione  
corporis sui &  
compunctione.*

*Misericors in  
pauperes.*

*Cum ecclesia sen-  
si Rom.*

studiosissimus fuit, in quarum lectione dulce contubernium omni quo ad uixit tempore, habere consuevit. Erat uir per omnia dignus honore, cuius etiam dispositio corporis quendam reuerentiæ cultum ab intuitibus exigebat. Statura siquidem procerus, in anteriori corporis parte caluus, pilos in reliquo raros habebat, faciem cerulei mixti albedine coloris, pulchram aliquantulumque productam, manuumque digitos pulchra longitudine subtiles, ac totum corpus debita proportione ad uirtutem fuerat ordinatum. Vox illi grandis atque uiriliter erat, qualis cum naturali quodam ornatu uerborum, optimum quenque oratorem facere consuevit. Vnde in exhortando multum ualuit, ita ut dulcedine uocis, & quadam autoritate sermonis modestissimè præstans, animos auditorum in sua uideretur habere potestate, dum quicquid dicere uoluisset, admirabili facilitate pulchritudineque auditoribus potuit persuadere. In corrigendis uerò delinquentibus, & si aliquantulum uidebatur seuerus, mira tamen prudentia & discretionem utebatur, tantaque sagacitate morbos animarum discernere & curare nouerat, quanta nullus medicorum corporum ægrotudines sanare potuisset. Summa in Deum charitate feruebat, pro cuius amore nullis laboribus, nullisque parcebat expensis, quibus uel Dei honorem uel proximorum salutem operari potuisset. Corpus suum ieiunijs, uigiliisque penè continuis pro Christi amore macerabat, tantisque lacrymis sanctæ compunctionis se mactabat in sacrificium laudis, ut eum lumen oculorum citò amissurum credidisset. Lucundus erat in conuersatione fraterna, non dissolutus, ineratque ei cum grauitate pastoralis dulcis affabilitas, qua cunctos in sui fauorem facile attraxit. Tantæ uerò humilitatis extitit, ut non solum doceri ab inferioribus in his quæ nescire forsitan uideretur, sed etiam corrigi multoties non sit dedignatus. Fratres suos & in Christo filios mirabili dilectionis affectu fouebat, singulorumque causas & necessitudines, non secus quam animam suam curare studebat. Nullus unquam suorum quantumlibet tristis uel tentatus, ad eum gratia consolationis accessit, qui non dulcedine uerborum eius abiret magnificè consolatus. Summæ in pauperes clementiæ fuit: omnesque infirmos, egenos, debilesque, quos reperit paterno fouebat affectu, usque adeo ut se uestimentis multoties spoliaret suis, quibus nuditatem alicuius pauperis operiret. Multa enim pauperibus & hospitibus larga manu distribuit, & tamen in omnibus curam fratrum non neglexit. In ea contentione, quæ inter summum pontificem Gregorium septimum & Henricum regem quartum, in multarum periculum animarum uertebatur, nulla potuit ratione induci, ut his qui uicarium Christi impugnabant, uel in minimo consentiret. Nec solum partes Apostolici defendere & obseruare uoluit, sed etiam quoscunque potuit uerbo & exemplo publicè & priuatim non aduertens indignationem malignantium, ad eius obedientiam reduxit. Magnæ fuit charitatis magnus amator, ut neminem Deo seruire uolentem repelleret, non paupertatem, non imperitiâ personarum attendit, sed omnes ad obsequium Creatoris uenientes, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, doctos & indoctos, sine generis aut gentis discrimine admisit. In uictu & amictu nec curiosus fuit, nec superfluus, mediocritatem in omnibus amauit. In mensa nunquam cibarijs aut poculis uti singularibus consensit, sed mox ut quippiam talium fuisset ei appositum, infirmioribus distribuit



distribui præcepit. Omnem notam singularitatis in exteriori conuersatione fugiendam monacho ex regula docebat, qui tamen in conuersatione interiori laudabiliter multum singularis erat. Nam in compunctione cordis, in deuotione mentis, & in feruore diuini amoris multum fuit singularis, adeo ut se in quotidiano lachrymarum & orationum sacrificio totum mactaret Domino, cuius tam sancta, tam innocens, tamq̃ religiosa uitæ puritas extitit, ut signis & miraculis magnificis comprobata, omnipotenti Domino gratissimam fuisse, non possit dubitari. Deniq̃ cum fama religiosæ conuersationis eius, quæ diu latere non potuit, se per Germaniam & Galliam longè lateq̃ diffunderet, cœperunt multi nobiles & diuites huius seculi magnæq̃ dignitatis & eruditionis uiri certatim ad eum confluere, & se sub eius magisterio diuino seruitio humiliter mancipare. Ex his complures in seculo abundantes, multa de paterna hæreditate sua secum ad monasterium pro sustentatione fratrum, & redituum necessariorum comparatione attulerunt. Magnam in omnipotentis Dei pietatem omnibus diebus uitæ suæ fiduciam habebat, seq̃ talem in sanctitate morum erga Dominum exhibuit, quod in nulla unquam ab eo necessitate derelictus fuit. Quadã nanque die cum fratres quibus curam rerum temporalium commiserat, maxima & inuitabili necessitate constricti quinque argenti libras in communem rei domesticæ utilitatem conuertendas, à pio pastore nullum habente denarium penitus exigerent, cõsolari eos uerbis dulcissimis cœpit, dicens de misericordia Dei nullatenus esse desperandum. At illi nimia necessitate oppressi consolationis uerba non aduertunt. Surgens itaq̃ de medio fratrum abbas reuerendissimus deprecaturus Dominum pro instante suorum necessitate egreditur, cui mox ignotus quispiam occurrens memoratum pondus argenti in manus tradidit, & ilicò recessit. Multa sunt per uirum Dei Wilhelmum facta miracula, quæ cum in historia uitæ ipsius habeantur latissimè descripta, à nobis superflue denuò scriberentur. Claudum duobus se baculis sustentantem in ponte circa monasterium S. Aurelij habens obuim, pristinæ sanitati inuocato Christi nomine restituit. In nemore quippiam acturus operis multos homines ex panibus paucis magna fide in Christum sursum erectus satiauit. Gebhardi monachi, qui post mortem uiro Dei ad cœlos translato in abbatiâ monasterij successit, toto corpore contracti miseratus, dextri sanitatem brachij, quo se ipsum in edendo iuuare posset, precibus ad Dominum præmissis impetrauit. Appositum sibi ex furto piscem quodam tempore, nullo instructus humanæ reuelationis indicio, sed prophetico spiritu intus edoctus respuit, & manifestato scelere coquos dure satis reprehendit. Vas quoq̃ per negligentiam ministrorum fuso in terram uino, penitus uacuum solo iussu (ut ita dicam) ipso etiam nesciente, optimo rursus uino plenum subito repertum est, quod pauperibus statim distribui præcepit. Exemplo denique summi pastoris Iesu Christi de misericordia Dei securus, fratrem die tota frustra in piscando laborantem, confisum de pietate saluatoris denuò exire laxareq̃ in capturam rete suum iussit, & magnæ quantitatis lucios octo primo tractu frater cœpit. Continuò pater sanctus pauperes inuitat ad cõsuluium, cum quibus donum manducaret diuinitus oblatum. Cum tempore famis pauperes larga reficeret manu, & exhausta frumentis præoptuaria iam prorsus apparerent uacua, Christi seruus Wilhelmus opera pietatis nequaquã propterea minuit, & ecce theca frumetaría, quæ uesperis diligenter reuisa inuenta est uacua, mane denuò per fratres lustrata frumētis plena fuit reperta. Sed his narrandis cur insistã miraculis, cum omnium

*Claudum curat obuim in ponte.*

*Furtum reuelat.*

*Uinum auget.*

*Capturam fratris piscium dicit.*

*Annonam quibus multiplicat.*

mira-

miraculorum maximum sit ipsius instauratio monastici ordinis & disciplinæ regularis, cuius nec dum feci mentionem. Ipse namque est, qui ordinem nostrum in omnibus penè Teuthonici regni prouincijs miserè collapsum reformare studuit, & in multis etiam cœnobijs mirificè reformauit. Monachos enim quoscunque potuit uerbo & exemplo ad obseruantiam regularis disciplinæ feruentissimo, spiritus S. ardore succensus, reuocauit, & summo studio pristinum illum feruorem spiritus, quo sancti patres nostri Benedictus, Maurus, Placidus, Columbanus, Gallus, Ægidius, Gregorius, Bonifacius, Lullus, & cæteri penè innumerabiles olim feruebant in Deum, ad monachos sui temporis reducere mirum in modum cupiebat. Enim uero septem ordinis nostri cœnobia in diuersis prouincijs partim per se in persona propria, partim uerò per suos monachos atque discipulos à fundamentis erigens, pro Dei honore construxit. Ex his primum fuit cella S. Gregorij quæ Richenbach dicitur, de cuius fundatione inferius loquemur latius. Secundum est monasterium sancti Gregorij martyris in Nigra sylua Cōstantiensis diœcesis, in quo posuit monachos de suo conuentu Hirsaugienti uiros probatos & in omni religione clarissimos. Quibus in abbatem præfecit Henricum discipulum suum & monachum huius cœnobij, uirum spectatæ religionis, qui uerbo & exemplo subditos suos ad cōtemptum præsentium & amorem futurorum animauit. Tertium uerò in Bataria fundauit in honorem S. Martini episcopi, ubi etiam de suo conuentu monachos & abbatem posuit, qui proculdubio sub patre sanctissimo regularibus instituti disciplinis non poterant esse nisi religiosissimi, maximè cum ad nouas plantationes non infirmiore quosque, sed meliores quos habuisset monachos mittere prudentissima consideratione pater Deo plenus consueuerit. Quartum fundauit in Thuringia cœnobium, in ciuitate Erphordensi in honorem sanctorum Apostolorum Christi Petri & Pauli, in quo similiter fratres de conuentu suo Hirsaugienti posuit, ipsumque cœnobium & fratres Giselberto ex monacho Hirsaugienti eo tempore abbati, in Reinhartzbronna regendum & procurandum quousque eis de abbate prouideret, cōmendauit. Verum cum fratres, qui hodie monasterium ipsum Erphordiese inhabitant, regem Francorum Dagobertum fundatorem suum fuisse dicant, poterit nos forsitan aliquis falsitatis arguere, quòd abbatem Hirsaugiensem Vuilhelmum fundatorem eius audemus appellare. Idcirco testem ueritatis historiam uitæ ipsius in medium producimus, in qua manifestè habentur, quæ nos de hac re locuti sumus. Nec disceptationem aduertimus, quoniam si primus fundator Dagobertus extitit, Vuilhelmus non primus, sed post ruinam prioris cœnobij fundator secundus fuit. Quintum uerò monasterium ordinis sui pater sanctus in honorem beatissimæ Dei genitricis & uirginis Mariæ, ad Duplicem aquam de nouo construxit, in quo monachos & rectorem ex suo conuentu uiros uita & conuersatione uenerabiles collocauit. Sextum in uilla quadam, quæ Vuilhelm uocata est, setuorum Dei cœnobium posuit, quod postea tamen in montem S. Petri commutatum fuit, ad quod similiter monachos & pastorem dedit. Septimum uerò ordinis nostri monasterium fundauit in prouincia Charētinorum, quod Lauense dicitur, ad quod fratres de suo conuentu misit uiros probatæ conuersationis, quibus Vuetzilonem monachum uenerabilem præfecit abbatem. Multa insuper ordinis nostri monasteria in diuersis Getmaniæ prouincijs nimia uetustate penè collapsa, in pristinum statum reformauit, & nonnulla ab alijs incepta, nec tamen consummata, cōtinuando perfecit. Porro monachos & abbates de suo

*Septem cœnobia fundauit.*

*Richenbach.*

*Cœnobium sancti Gregorij martyris.*

*Opinionè refert fratrum Erphordiensium.*

*Cœnobium fundauit ad duplicem aquam.*

*Cœnobium fundauit in Charētia.*

de suo conuentu ad multa cœnobîa tam nouiter in diuersis locis fundata, quàm etiã ad puritatem regulæ instaurata & reformata destinauit, quorum mentionem, quantum ad notitiã memoriæ nostræ peruenerunt, in sequentibus faciemus. Erat enim uir magnarum uirtutum, & magnæ apud omnes æstimationis, qui cum simplicitate columbina prudentiam serpentis possidebat, & propterea pastorem se fratrum suorum, non solum in spiritalibus, sed etiã in temporalibus idoneum & utilem exhibebat. Singularem quoq; lucrandi animas gratiam à Domino cui fideliter seruiuit, accepit, perbuam multos & penè innumerabiles ad Christi obsequium homines perduxit. Nam cum Adelbertus comes monasterij Hirsaugiënsis instaurator, pro quindecim monachis duntaxat stipendia prouidisset, sanctus pater Vuilhelmus omnipotentis misericordia sibi cooperante, per oblationes fidelium & fratrum numerum mirabiliter auxit, & omnibus necessaria prouidit. Centum nanque & quinquaginta monachos sub sua disciplina quotidie Dominum laudantes habuit, quibus necessaria uitæ corporalis & spiritalis, iuxta regulam patris nostri sanctissimi Benedicti frugaliter procurauit. Supra hunc monachorum numerum habebat & alios fratres barbatos cõplures, quos usitato nos uocabulo Conuersos appellamus, qui laboribus manuum insistentes, temporalium curam secundum mandata seniorum agerent, & monachis contemplationi & orationi semper deditis corporum necessaria prouiderent. Ferunt deniq; hunc reuerendissimum patrem Vuilhelmum conuersorum huiuscemodi usum in Germaniæ cœnobîis primũ uel instituisse, uel potius abolitum renouasse, quem solum in prima uia monachorum conuersatione olim nouimus celebrem. O quàm pulchrum fuerat illo in tempore conuersationi tot Dei famulorum interesse, qui unanimes spiritu & uoluntate concordēs in domo Dei ambulabant cum consensu, quorum & si corporalis habitatio fuerit in præsepi seculo, mens tamen & desyderium uersabantur in cœlo. His pater sanctus decreta sanctæ regulæ conformia, pro pleniori institutione morum & mentium edidit, quæ missis fratribus ad Cluniacum, ut illorum consuetudines discerent ac reportarent, in uno uolumine uaria & pulchra distinctione compilauit. Harum consuetudinum codex in multis hodie cœnobîis habetur, testis prisce religionis & sanctitatis monachorum Hirsaugiensium, licet per nouarum constitutionum Bursfeldensium editionem penè ab usu uideatur abolitus. Libet autem fratrum conuersorum institutionem à S. Vuilhelmo abbate sapienter factam paucis perstringere, ut sciat posteritas quanta sollicitudine, diligentia & studio salutem suam fratres huius monasterij sub pastore pijsimo quæserint. Ad nocturnas uigilias omnes cum summa festinatione & reuerentia in ecclesiam conuenire, suas orationes deuotissimè dicere, omniaq; cum silentio agere singulis noctibus solebant. Et quia diuinis laboribus operibusq; deputati fuerunt, ne grauarentur supra uires nimia prolixitate uigilarum, breuiter eis matutinæ cantabantur, quibus expletis licebat ad stratum redire uolētibus, aut si maluissent in ecclesia remanere, quousque nocturni complerentur à monachis in choro. Mane singulis diebus summo missam omnes audiebant, qua finita conueniebant ad capitulum culparum, ubi pro commissis negligentijs se proclamantes pœnitentiam à magistro condignam accipiebant. Deinde si cui placebat, cõfitebatur culpas suas sacerdoti, ut diem feruentiori Dei in amore alacritate perficeret. Post hæc unusquisque ad opus sibi pergebat iniunctum, laborabantq; omnes cum incredibili feruore charitatis, non secus quàm si omnibus necessaria prouidere suis laboribus singuli tenerentur.

*Simplex fuit & prudens.*

*Comes Adelbertus in paucis dedit stipendia uitæ monasterium.*

*Vuilhelmus personas & stipendia auxit.*

*Cõstitutiones monasticas edidit nouas.*

*Qualis fuerit Conuersorum uita eo tempore.*

*Ad nocturnas omnes consergunt.*

*Missam quotidie audiunt & capitulum.*

Habebant

*Summa deuotio  
& charitas in  
eis feruebat.*

*Communicatio  
corporis Christi.*

*Ad historiam fit  
regressio.*

Habebant enim singuli intra uel extra monasterium iniuncta sibi officia; quæ tam fideliter, diligenter & honestè administrabant, ac si diuinitus præcepta extitissent. Sūma inter eos feruebat mentis in Deum deuotio, tantaq̄ inter se charitate & amore fraterno in unitate spiritus erant coniuncti, ut nulla turbatio nullaq̄ displicentia, pacem & tranquillitatē eorum unquam infirmauerit. In communi uiuebant omnes, abdicationem omnis proprietatis tam strictè inuiolabiliterq̄ custodiētes, ut nihil penitus uel se uel mundum sentire putarentur. Ad obedientiam seniorum erant promptissimi, alacres semper & uoluntarij: ad omnia quæcunq̄ illi mandare uoluissent, non solum in leuibus & quotidianis actionibus, sed etiam in grauioribus, & his quæ secundum æstimationem humanā impossibilia uiderentur. Inter quos non solum cōtentiones & iurgia nulla erant, sed nec uerbum ociosum quidem aut risum prouocās ab aliquo eorum poterat audiri. Singulis quatuordecim diebus in Dominica, festis quoq̄ maioribus, & in uiam dirigēdi, qui ante Dominicam non reuerterentur, singuli communicantes cōpus Domini nostri Iesu Christi cum maxima reuerentia & deuotione sumpserunt. Ad completorium singulis diebus cōuersi omnes unā cum monachis uniuersis ad ecclesiam conuenerunt, quò finito cum summo silentio iuxta præceptum regulæ ad cellas suas euntes, parumperq̄ compunctioni uacantes, ad lectos dormitum se reponebant, quo statutis horis ad nocturnos possent consurgere. In omnibus deniq̄ exercitijs spiritualibus, quæ hominem claustralem perficiunt, & ad amorē cœlestis patrię incendunt, tam studiosè, tam deuotè, tamq̄ feruentes uitam suam instituerunt ut solo tempore quidē posteriores, moribus autē & obseruatiā disciplinæ regularis antiquissimis illis in eremo Ægypt. monachis pares omnino coram Deo & hominibus haberentur. Sed nunctandē ad historiæ narrationem reuertamur, quia non opus est uitam & mores uiri sanctissimi huic operi nostro per ordinem inserere, quæ conscriptæ in speciali uolumine cōtinetur. Cū itaq̄ Friderico quondam pastore fratrum importunitate per comitem abdicato Vuilhelmus reuerendissimus abbas, tandem post multa impedimenta fuisset ordinatus, nec monasterij fundatio completa fuerat, nec dotatio necessaria per ipsum comitem, per consuetudinem temporis legitimè confirmata.

DE CONSECRATIONE NOVÆ BASILICÆ

*S. Aurelij, dotatione, mamissione & libertate monasterij, quam*

*Vuilhelmus procurauit.*

*Instat Vuilhelmus  
ut ecclesia  
perficiatur.*

*Ecclesia perfecta  
est cum monaste-  
rio.*

*Ecclesia edsecra-  
tur per episcopū  
Spirensem.*

**C**Vm igitur ecclesia monasterij necdum fuisset consummata, quando Vuilhelmus ad Hirsaugiam uenit, quemadmodū antea diximus, neque dotatio per comitem Adelbertum facta, cōmunitio necessaria confirmata, sanctus pater unā cum fratribus suis: quorum tum paruus adhuc erat numerus, summa cura, diligentia & studio monendo, promouendo & cooperando cœpit instanter agere, quatenus opus inceptum quantocius compleretur. Cū autem diligentissimè instarent operi cœpto, Adelberto comite & deuotissima coniuge præbentibus impensas, non minus quoq̄ in circuitu fidelibus nobiles & ignobilibus largitione elemosynarum suarum concurrentibus, breuī totum ædificium fuit consummatum. Anno nanq̄ Dominicæ natiuitatis 1071. indictione 9. structura ecclesiæ ante decennium fermè inchoata, per Dei auxiliū consummata est, unā cum reliquis habitaculis monachorum eodem tempore inchoatis. Eodem itaq̄ anno, qui fuit Vuilhelmi abbatis annus secundus, pridie nonarum Septembris, eadem ecclesia dedicata per Henricū episcopum Nemetensem ordinariū, in cuius parochia monasterium est constructum, Adelberto comite

mite eiusq; uxore deuotissima Vuiltrudi atq; Vuilhelmo abbate petenti-  
 bus. His igitur factis cum amator ueritatis Vuilhelmus monasterium om-  
 nimodæ libertati iuxta promissionem comitis traditum æstimaret, nihilq;  
 suspicaretur fraudis, lætus in Domino, propositum suum, iuxta regulā san-  
 ctissimi patris nostri Benedicti exequitur. At uerò paucis annis transactis  
 deuotissima Christi famula Vuiltrudis comitissa audiens ex marito quàm  
 dolose & fraudulenter sanctum uirum in literarum imperialium pro mona-  
 sterij libertate datarum circumuenerit, quàm secretissimè hoc ipsum abba-  
 ti Vuilhelmo reuelare curauit, si quo modo restringere dolosi fraudes pos-  
 set, admonens, & nouas literas prioribus cancellatis super libertate mona-  
 sterij extrahere, secq; daturam non segniter operā, ut consentiente uiro nul-  
 lus filiorum contrarium se poneret. Quanta cum tristitia & amaritudine  
 uir sanctus fraudem non sibi tantum, sed Deo factam ingemuerit, non faci-  
 le dixerim, quippe qui iam comitis animum non rectum erga cœnobitū fo-  
 re manifestè didicerat, ex quo in seruitutem denuò redactō seruorum Dei  
 habitaculo, nihil aliud quàm cita cultus monastici instare uideretur euersio.  
 Sed cum deceptum se miserabiliter cerneret, nullūq; apud homines reme-  
 dium inueniret, uidereturq; turpissimum post ordinationē episcopi locum  
 & fratres deserere, nec minus graue cum periculo regularis disciplinæ fru-  
 stra sub tyrannica seruitute ad posteritatis commodum uelle laborare, ad  
 Deum tota se mentis deuotione conuertit, & quod obtinere per homi-  
 nes ab homine fraudulento se posse desperauerat, facile per Dei misericor-  
 diam recepturum se sciebat. Et ecce omnipotens qui preces & lachrymas  
 pauperum suorum non despicit, tantis comitem subito aduersitatibus intus  
 à suis filijs & propinquis, foris ab extraneis tribulari prouida dispensatio-  
 ne permisit, ita ut omni humano penitus consilio & auxilio destitutus, ni-  
 hil aliud quàm extremam rerum & uitæ desperationem cogitaret. Admo-  
 nitus tandem uxoris deuotissimæ consilio, uirorum spiritualium suffragia  
 requirit, qui non aliter euasurum illum calamitates quas pateretur, uiro (ut  
 ita dicam) ore confirmabant, nisi monasterium Hirsaugiense quod iniuste  
 occupauerat, restitueret omnimodæ libertati. At ille nihil moratus omnia  
 se facturum promisit, uocatoq; ad se reuerendissimo abbate Vuilhelmo  
 omnimodam libertatem monasterij omniumq; ad ius monasterij perti-  
 nentium abrogatis ac penitus cancellatis prioribus literis, in manus e-  
 ius obtulit: omniq; iuri aut proprietati ratione aduocationis uel alterius  
 cuiuscunque iurisdictionis seu maioritatis pro se filijsq; & hæredibus  
 suis in perpetuum firma contestatione coram uxore, filijs & multis alijs re-  
 nunciavit. Deinde præcepit abbati, quatenus literas uel per se uel per  
 quoscunque alios super hac ipsa perpetua libertate monasterij conficeret,  
 quacuncq; forma & tenore, sibi melius uideretur expedire, se quando uellet  
 cum eo ad regiam præsentiam sine mora iturum, & omnia quæ ad huiuscæ-  
 rei pertinerent confirmationem sine dolo fideliter esse facturum. Itaq; post  
 paucos dies abbas Vuilhelmus gratias Deo peragens debitas, formam lite-  
 rarum cum consilio prudentum uirorum pro libertate perpetua concepit,  
 uadensq; cum Adelberto regem personaliter adiit, & paginam testameta-  
 riam quam conceperat, sigilli regalis munimine in manus ipsius regis Hen-  
 rici quarti obtulit corroborandam. Et quia totius libertatis, & dotationis  
 uel (ut propriè dicamus) restitutionis monasterij Hirsaugiensis persepe di-  
 ctum comitem factæ, in eisdem literis plenius dignoscitur summa cōtineri,  
 non erit inutile si formam ipsius instrumenti regalis de uerbo ad uerbum  
 huic operi nostro fideliter inferamus.

*Fraus comitis sc̄o  
 innotescit ab-  
 bati per comitissā*

*Comes monaste-  
 rio in perpetuum  
 renunciat.*

*Rex confirmat te-  
 stamentū comitis*

## PAGINA TESTAMENTARIA LIBERTATIS.

Francia Teuthonica.  
Vuernigau comitatus.  
Ingersheim.  
Nigra sylua.  
Nagaltha.  
Erlafridus.

Adelbertus comes.

Libertatis omnimodæ præuilegium.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis, Henricus diuina fauente clementia Rex, omnium sanctæ Dei ecclesiæ fidelium, presentium scilicet ac futurorum cognoscat industria, quod in regno nostro regulare quoddam monasterium situm est, in prouincia scilicet quæ dicitur Teuthonica Francia, in episcopatu Nemetensi, in pago Vuernigau dicto, in comitatu Ingersheim, in sylua quæ dicitur Nigra, iuxta fluuium qui dicitur Nagaltha, quod Hirsaugia, siue S. Aurelij cella nuncupatur, ubi & idem sanctus corpore requiescit: quod tempore Ludouici pii regis, in honore S. Petri & Aurelij episcopi constructum honorifice & Deo dicatum fuit ab Erlafrido quodam nobili senatore & religioso, & a Nottingo filio eius reuerendissimo Vercellensi episcopo, aliisque parantibus Adelberti comitis de castello Caluue, sed deinceps a posteris eorum dissipatum est. Nunc autem idem comes Adelbertus instinctu Dei tactus, necnon coniugis suæ Vuiltrudis crebris precibus adhortatus, monasterium ipsum iam restaurauit, & quæ aliquandiu inibi defecit, uitam monasticam reparauit, & prædia quæ illuc antiquitus a parentibus suis tradita sunt, sed partim a posteris eorum inuasa, partim & a se ipso quasi iure hæreditario possessa sunt, reddidit, & in super de proprijs tot ac tantas prædiorum illuc impensas, contulit, quo seruitium Dei nunc a quindecim fratribus sub regula S. Benedicti inibi procurandis gratia Dei peragi & stabiliri possit, coniuge ipsius prænominata, filijs Brunone, Adelberto, Godfrido, & filiabus Vta & Irmingarde sibi in hoc & in omnibus his institutis consentaneis, & in primis ipsum scilicet locum Hirsaugium, cum omnibus nunc in presentiarum illuc collatis iustitjs legitimis & pertinentijs prædiorum, seu quarumcunque rerum ex toto super altare S. Aurelij reddidit, delegauit & contulit Domino Deo, sanctæ Mariæ, sancto Petro Apostolo, S. Aurelio episcopo & S. Benedicto in potestate & proprietate, & prædicti monasterij abbati nomine Vuilhelmo, eiusque successoribus in dispositione liberâ cellaque necessariâ, fratribusque Deo sub regula monastica inibi seruituris ad utilitatē. Et ne unquam a posteris similiter ut a parantibus suis, Dei seruitium deinceps illic destrui possit, prudenter profus decreuit & instituit eandem cellam cum omnibus suis pertinentijs nunc collatis & dehinc deferendis ab hac die & deinceps omnino non subdi, nec subesse iugo alicuius terrenæ personæ uel potestatis, nisi solius abbatis dominationi, ordinationi & potestati, & sic totius libertatis iure & præuilegio eam ad ampliat, & ob regni cœlestis hæreditatē in Christo omnimodis stabiliter sublimauit. Dehinc omni potestate, seruitio, iure, & proprietate prædicti monasterij, ipse cum coniuge, filijs & filiabus supradictis sese omnino fideliter abdicauit. Sed hoc totum reuera felix negociator prudenter effecit, primum ob spem ac præmium uitæ æternæ, ob remissionem peccatorum, ob salutem corporum, & sempiternam quietem animarum, & ob quotidianam memoriâ sui ipsius, coniugis suæ prænominatæ, filiorum & filiarum suarum, necnon omnium parentum, posterorum, consanguineorum, amicorumque suorum & omnium ad curam suam pertinentium. Ob memoriâ quoque regum, episcoporum, principum, & omnium prædictæ cellæ statum & honorem diligentius ac defendentium & omnium Christi fidelium. Et quod prout posse suberit cunctis Christi pauperibus beneficium semper illic pateat receptaculum. Ad hæc etiâ ut fratres cœnobij ipsius nunc inibi congregati, adhucque in Christo congregandi, tutius ac liberius Domino Deo in sanctæ professionis securitate seruire possint, huiusmodi libertatis eos munere dotauit. Ut quocumque patre suo spiritali orbatu fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum regulam S. Benedicti inter se uel undecumque ubi opus fuerit abbatem sibi non solum eligendi, sed etiâ constituendi. Quæ cum fratres regulariter elegerint, dehinc ut

solet

solet, ad cōstituendum eum in chorum monasterij conueniant, & unā cle-  
 ro aduocato populoq; in sanctuario præsentibus, decanus uel quicumque  
 prior sit loci ipsius, accipiat uirgam regiminis de altari sancti Aurelij & ab-  
 que omni prorsus contradictione tradat in manum ipsius, quem tota fra-  
 trum congregatio sibi elegerat. Hic subinde canonicè abbas ordinatus, sine  
 alicuius personæ dominatione & impedimento susceptum ministerium  
 suum pro posse & scire suis impleat, soliç; Deo secundum ordinem suum  
 liber seruiat, liberamq; omnium rerum sibi commissarum in Christo depo-  
 nendarum intus & foris potestatem habeat. Qui nisi fortè præter neces-  
 sarietatem monasterij & communem fratrum utilitatem sacrilegus, quod absit,  
 licentiosè & seculariter abuti præsumperit instituta libertate, familia, bonis,  
 reb; sue sanctuarij, & ob id fratrum præmonitiones contemnens ad suam  
 suorum uel priuatam cupiditatem & libitum temerè ea dissipauerit, uel si  
 beneficia quibuslibet personis nisi necessarijs monasterij ipsius seruitori-  
 bus præstiterit. Aut si regibus, episcopis, seu quibuscunq; personis consen-  
 taneus annuerit, si fortè libertatem monasterij peruertere, sibiç; locum san-  
 ctum subijcere attentauerit, siue aliquod seruitij statutū inde fieri sibi exe-  
 gerint, mox posteri comitis prædicti cum suffragio fratrum, aduocati, cleri,  
 totiusq; familiæ, & omnium bonorū hominum ritè à fratribus hunc accusa-  
 tum, iustèç; ab eis conuictum, à dignitate sua abijciant, præficiantq; alium  
 iuxta prædictam libertatem, & S. Benedicti regulam, quem fratres sibi ele-  
 gerint & absq; omni contradictione pro illo substituant. Concedit etiam  
 comes prædictæ cellæ aduocatum aliquem de posteris suis fieri, si tamē lo-  
 ci ipsius abbas cum consilio fratrum talem inter eos inuenerit, qui sicut ip-  
 se comes nunc, non pro terreno commodo, sed pro æterna mercede sollici-  
 tus & studiosus bona & constitutam monasterij libertatem & iustitiam de-  
 fendere uoluerit. Sin autē aptum & utilem aduocatum undecunq; sibi pla-  
 cuerit, eligant. Hic deniq; abbate petente à rege accipiat bannum legitimū,  
 & ter in anno si necesse fuerit, aut in ipsam cellam, aut ubicunq; uel quando  
 abbati placuerit inuitatus ab illo ueniat, & ibi placitum iustum pro causis  
 & necessitatibus monasterij ritè peragat. Nullum autem seruitium aliud,  
 ius aut beneficium sibi pro hoc concedi recognoscat, nisi tertium bannum  
 & consuetudinariam iustitiam & legem, quam cæteri aduocati in alijs libe-  
 ris monasterijs habent super fures, proteruiam, & censuales, & cætera talia.  
 Et in illis trium placitorum diebus in unoquoq; unum maltrum de frumen-  
 to & unum friscingum, & unum siclum de uino & cætera ad hæc pertinen-  
 tia. Præterea item constituit, quòd nisi abbate uolente & aduocante bona  
 & loca monasterij suis frequentijs temerarijs, & sine causa minimè adeat  
 uel contingat. Nec præsumptuosus in eis placitum quodlibet uel perno-  
 tandi licentiam habeat. Nec subaduocatum pro se faciat, nec omnino ali-  
 quam absq; ratione calumniā, persuasionem aut iniuriam monasterio, ab-  
 bati uel familiæ faciat. Si autem non ut aduocatus, sed potius ut calumnia-  
 tor & peruasor monasterij fuerit, omnino potestatem habeat abbas cum con-  
 silio fratrum hunc reprobare, & alium sibi utiliore undecunq; eligere. Con-  
 stituit etiam & hoc comes præfatus, & nos ipsius petitione firmiter statui-  
 mus, quòd si quispiam posterorum suorum, uel quarumcunq; homo  
 personarum, unam uineam, unum mansum, unum molendinum, uel  
 saltem unum mancipium, siue aliquid tale à supradicta cella temerarius in-  
 iustè abstulerit, ut nostri nostrorumq; successorum regia potestate coactus,  
 tria auri talenta ad ararium regis persoluat, primitus reddito ecclesie quod

*Libertas cōstitu-  
 di abbatem penes  
 fratres.*

*Negat episcopis  
 regibusq; aut cæ-  
 teris seruitia.*

*Si aduocatus mo-  
 nasterium grauau-  
 uerit.*

*Pennis galis et  
 seruitū mans. m.*

*Lex ministrorū  
& familiarū mo-  
nasterij huius.*

*Contestatio comi-  
tis ad summum  
pontificem.*

inuaferat. Si uerò quislibet illorum (quod absit) cortem uel aliquam uillam inde uiolenter abalienauerit, siue manifestus inuafor bonorum ipsius cellæ extiterit, uel si hoc testamentum traditionis & libertatis quocūq; ingenio seu argumento legum secularium peruertere uel infringere tentauerit, centum auri libras ad regiam item persoluat cameram, & reddat primitus ecclesiæ, & secundum leges item componat, quod ablatum fuerat, & sic intentio illius omnino irrita fiat. Ministris quoq; & familiæ sanctuarij eandem concedit legem & seruitutem, quam cæteri in regno nostro liberæ abbatiæ habent, ut tanto fideliores prælatis suis per omnia seruiant. Super hæc omnia comes sæpe dictus Apostolicum priuilegium acquisiuit & constituit, ut unus aureus quem Byzantium dicimus, singulis annis Romã ad altare S. Petri ab abbate prædicti monasterij in pascha persoluatur eo pacto, ut libertatis istius & traditionis statuta tanto perennius inconuulsa amodo permaneant, & ut prædictum cœnobium, sub Romanæ ecclesiæ Mundiburdio & maiestate securum semper stabiliatur & defendatur. Si forte quispiam regum uel posterorum eius, seu quarumcūq; homo personarum (quod absit) testamētum hoc ullo ingenio infirmare uel infringere præsumpserit, si autem id (quod absit) à quolibet eorum instigatè diabolo fiet, obsecrat comes idem & omnino testificatur Apostolicum pontificem per Christum & per S. Petrum Apostolum & S. Aurelium episcopum, & per omnes sanctos Dei, & per tremendi iudicij diem, ut illum Dei & sanctorum eius contemptorem & testamentariæ huius conscriptionis destructorem nisi resipuerit, tradat omnino satanæ, & anathematizet eum, ac prophanet à confortibus & filijs ecclesiæ sanctæ Dei & hæredibus uitæ æternæ, ut & auferat Deus memoriã illius de terra uiuentium, & delet nomen eius de libro uitæ: & ut cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutiuit, & uiuos infernus absorbuit, perennem incurrat damnationem. Et ut Herodis, Pilati, & Iudæ socius factus in æternum discrucietur, & cum Sodomitis & Gomorris ignis & sulphuris imbres hic experiatur, & Heliodori plagas & uerbera hic perpetiatur, & Antiochi tormētis, uermibus scilicet scaturiens, & cum foetore computrescens miserrimè conteratur. Et nisi resipiscat, Petrum regni cœlorum archiclaugerum cum S. Aurelio & tota cœlesti militia portæ Paradisi obstitorem habeat in æternum. Prædia autem seu uillæ ad prædictum monasterium antiquitus pertinentia, & ab eodem comite nunc reddita, hæc sunt. In primis ipse locus Hirsaugia cum tribus uillulis, Lutzenhart, Altburen, Nagalthart, Husteten, Deckenphrū, & quæ sita sunt ad Gilstein, Stamheim, cum uillulis item tribus Summenhart, Lutzenhart, ad S. Candidum, ad Mettlingen, ad Meuchingen, ad Gretzingen, ad Muchlingen, ad Mercklingen, Tres hubæ, Gumpertzweiler dimidium. Hæc autem comes prædictus de suis superaddidit prædictis, Ottenbrū, & quæ possidebat ad Vuile, cū uillulis binis Gretzēbach & Blāda & ad Biberbach, ad Bottēnach, ad Thābach, ad Vualenheim, ad Duas hubas, & sex iugera uinea rū, ad Gūprechtzuiler dimidiū, & ecclesiā ad Toffingē & ad Malscha. Hæc scilicet prædia cum mancipijs ad prædicta loca pertinentibus reddidit & cōtradidit ad prædictū cœnobiū, cū ecclesijs, fabricis, uinetis, agris, pratis, syluis, pascuis, aquis, aquarūq; decursibus, piscationibus, molēdinis, exitibus, & redditibus cultis & incultis cū marchis & terminis legitimis. Statuta quoq; & iura celsoria cum omnimoda integritate legitimorū suorū & uilitate & seruitijs, quæ ullo modo inde prouenire uel excogitari poterūt. Ut autem prædictæ traditionis & libertatis status, & omnia prædicta statuta, ea ratio-

ne qua



nē quā Deo & sanctis eius destinata sunt, ab hac die omni æuo in Christo rata & inconuulsa permaneant, hanc chartam testamentariam prædicti comitis rogatu, conscribi, manuq; propria corroborantes sigilli nostri impressione iussimus communiri. Data est 7. iduum Octobris, anno Dominicæ incarnationis 1075. indictione 13.

*Rex Henricus se  
facetur subscri-  
pisse.*

Huiusmodi ergo tenoris chartam, restitutionis, traditionis, donationis, libertatis & immunitatis monasterij sui Hirsaugiēsis reuerendissimus abbas Vuilhelmus, manu & sigillo regie maiestatis munitam cum impetrasset, gratias egit Deo, qui non deserit in misericordiam suam sperantes, & ut roborata per regem, etiam per summum pontificem ipsa donatio firmata maiori stabilitate muniretur, consulentibus id ipsum amicis personam adire Romam statuit, perpetuum libertatis priuilegium ab ipso quoq; Christi uicario, secundum canonicas sanctiones impetrare. Hoc sancti uiri propositum comes Adelbertus iam totus ad Deum conuersus, non solum consilio, sed etiam auxilio promouit, conferens omnia quæ tantæ rei perficienda & impensis uiarum necessaria uidebantur. Post dies igitur aliquot, sanctus pater propositum iter arripuit, & protegente Domino ad sedem apostolicam sanus & incolumis peruenit. Præfuit eo tempore sanctæ Romanæ & uniuersali ecclesiæ reuerendissimus papa Gregorius 7. Hildebrandus antea uocatus, qui ex abbate monasterij S. Pauli extra urbismœnia nostri ordinis, in papam fuerat assumptus: cultor & defensor iustitiæ & libertatis ecclesiasticæ omnium acerrimus. Ad quem perueniens abbas Vuilhelmus honorificè & charitatiuè ab eo susceptus est, cognitisq; aduentus sui causis, libentissimè omnia quæ postulauerat pro monasterij libertate concessit. In primis ipsum locum Hirsaugiam, cum omnibus acquisitis, & in futurum legitimè acquirendis, personis, mancipijs, possessionibus præsentibus & futuris, sub protectione sanctæ Romanæ ecclesiæ suscepit. Deinde priuilegium regale, cuius copiam præmissimus auctoritate apostolica confirmauit, tertio tale super omnibus his priuilegium dedit.

*Vuilhelmus ab-  
bas honorificè à  
papa susceptus.*

PRIVILEGIUM GREGORII

papæ VII.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Vuilhelmo Abbati monasterij sancti Aurelij, quod dicitur Hirsaugia, in episcopatu Spirensi situm, eiusq; successoribus in perpetuum. Cum omnium ecclesiæ filiorum salutis & securitati sancta fides Apostolica ex generali pastoralis regiminis prouidentia cauere & consulere debeat, tum uerò alacrius & impensius piæ intentionis & religiosæ deuotionis uota suscipere ac saluifero effectu mancipare necesse est, ut gratanter bonorum studiorum petitionibus occurrat, & quæ ad laudem & gloriam diuini nominis sunt instituta, auctoritatis suæ soliditate firmiter tenenda stabiliat. Vnde & nos dilecti filij nostri Adelberti de Caluæ laudabili desiderio congaudentes precibus eius sanctæ sedi Apostolicæ humiliter directis acquiescere decreuimus, & religiosè postulata efficaciter concessimus, quæ æternæ retributionis amore successus in prædio suo quod dicitur Hirsaugia, monasteriū à progenitoribus suis antiquitus cōstructū, nuper amissa restituens uenustè reparauit, & in usus fratrum inibi Deo seruiētū pluribus possessionibus & redditibus adiectis & cōtraditis largius ampliāuit. Quā suæ liberalitatis institutionē, ne in posterum ulla peruersorū hominū audacia imminuere aut uiolare præsumat Apostolicę auctoritatis priuilegio muniri et sanctæ Romanæ ecclesiæ uitiōe roborari, data annua aurei Byzantijs pēsiōe postulauit, illud profectō

*Comitis petitiō  
experimur.*

*Confirmatio mb-  
na, ierij & om-  
nium honorum.*

*Libertatis quo-  
que perpetua cō-  
firmatio pap.e.*

considerans, quia dum à sanctæ matris ecclesiæ fidelibus, beatis Apostolis Petro & Paulo, honor & metus & obedientia exhibetur, quod eorum decreto & nomine solidatum & roboratum fuerit, nullius euerforis illicita præsumptione quatiatur. Quamobrem idem præfatum monasterium cum omnibus sibi hoc tempore iustè pertinentibus & legaliter collatis, & deinceps quarumcunque personarum authentica traditione conferendis sub sanctæ apostolicæ sedis tutela & protectione generaliter amplectimur, & sub alis beatorum Apostolorū Petri & Pauli, ubi fili Vuilhelmo tuisq; successoribus eliminata ac prohibita omnium infestantium inquietudine, liberè & absolutè possidenda, & regulariter atq; utiliter ordinanda præsentis scripturæ testimonio confirmamus. Constitutionis quoq; immunitatis & libertatis modos, quos præfatus comes illustris Adelbertus scripto suæ traditionis inseruit, & sigillo regio imprimi curauit, ad posteritatis cautelam & arcendos infestantium impetus diligenter obseruandos, statuimus hos duntaxat, qui canonicis sanctionibus non obsistunt, ut nec permissis quilibet negligatur, nec de uetitis quodlibet irrogetur. Hæc igitur quæ huius præcepti decretiq; nostri pagina continet, tam tibi quàm cunctis qui in eo quo es ordine locoq; successerint, in perpetuum seruanda decernimus. Si quis uerò regum, sacerdotum, clericorum, iudicum & secularium personarum hanc constitutionis nostræ paginam agnoscēs contra eam uenire tentauerint, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reumq; se diuino iudicio de perpetrata iniquitate agnoscat. Et nisi ea quæ ab illo sunt male ablata restituat, uel digna pœnitentia illicitè acta defleuerit à sacratissimo corpore & sanguine Domini redēptoris Iesu Christi alienus fiat, atq; in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ retributionis inueniant.

*Rescriptum pri-  
uilegij Romæ ser-  
uatur.*

*Vuilhelmus Ro-  
mæ grauer &  
grotat.*

Hoc libertatis institutæ priuilegium Gregorius papa 7. abbati Vuilhelmo tradidit, cuius copiam manu ipsius rescriptam in testimoniū omnium præscriptorum, atq; in perpetuam libertatis memoriam in scrinio S. Petri recondidit. Deniq; ex nimia charitatis dilectione, qua uir Apostolicus complectebatur abbatem, & in signum amoris nōnullas ei sanctorum reliquias contulit, quas ad monasterium cum reuerētia portauit. In eadem urbe Romana beatus pater aliquandiu moram agens, grauissimā ægritudinem inflatione uentris incidit, quæ in tantum præualuit, ut à medicis etiā expertissimis desperaretur. Tandem iussit se portari ad ecclesiam B. Mariæ semper uirginis, positoq; saucio ad aram uentre suffragium eiusdem aduocatae pauperum intentissima supplicatione flagitauit. Ac subito inter uerba orationis conualescere cœpit, breui pristinae sanitati restitutus, expeditisq; negotijs, pro quibus uenit in curiam, feliciter ad Hirsaugiam, comitante Domino remeauit. Quem fratres sui cum ingenti læticia suscipientes, gratias omnipotenti Deo tam de incolumitate patris quàm de priuilegijs ab Apostolico impetratis per ipsum reddiderunt. His ita peractis reuerendissimus abbas Vuilhelmus cum monasterio, fratribus & possessionibus acquisitis, & legitimè in futurum acquirendis, de sufficienti priuilegio libertatis & immunitatis crederet esse prouisum, iam deinceps ad lucrandas Christo multorum animas omne studium impendit. Et in breui quidem tēpore possessiones monasterij, Deo largiēte, per oblationes fidelium notabiliter sub eo ampliatae sunt, ita ut numerum monachorum copiosum ex his sine graua-  
mine

mine multo posset enutrire. Collegit ergo quoscunque Deo seruire in ueritate cupientes, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, doctos & indoctos, sine delectu personarum, & cum monasterium ab Adelberto comite pro 15. monachis à principio esset dotatum, ipse centum quinquaginta monachos præter fratres laicos, qui appellabantur Barbatî, sub suo magisterio legitur habuisse. Vnde cum locus monasterij S. Aurelij nimis pro tanta capienda multitudine uideretur angustus, nouum trans pontem cœnobium lapideo tabulatu construxit, de quo postea dicemus. Nunc autem post eam quàm consecrationem, dotationem, libertatem, & cætera monasterij priuilegia per abbatem Vuilhelmum impetrata, unà cum fundatione comitis Adelberti consignauimus: ordinem historiarum diu intermissum resumamus, incipientesq; à primo Vuilhelmi anno, seriem temporum & notabilia in Germania, maxime circa ordinem gesta, breuiori ratione perstringamus: ita uidelicet intenti alienis, ut tamen huius abbatis acta & monasterij incrementa sub eo non negligamus. Igitur anno Vuilhelmi primo Petrus Damiani ex ordine nostro sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ episcopus cardinalis, de quo longè superius mentionem fecimus, à papa Alexandro secundo legatus ad regem Henricum in Germaniam mittitur, & apud Franckfordiam in præsentia multorum principum sedis apostolicæ mandata regi eum autoritate magna & sapientia exponit. Eodem anno Megimuardus abbas Hildensheimensis abbatiam suscepit Augiensem, patefacto in eam per multam largitionem pecuniarum aditu. His enim temporibus quibus Henricus quartus regnabat, episcopatus, abbatia, præpositura & cætera dignitates ecclesiasticæ, non per electionem dignis conferebantur, & hæresis simoniaca totum penè regnum Teuthonicum sua prauitate maculauit. Ex qua multa in Germania orta sunt mala, quia rex propter hæc & alia multa per Christi uicarium excommunicatus, rebellis & contumax summo pontifici fuit, omnesq; illi obediens usq; ad mortem persecutus est.

*Petrus Damiani legatus Germanie.*

*Abbatia & episcopatus hoc tempore simoniace dabantur.*

Anno sequente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1070 annus, archiepiscopus Moguntinus Sifridus, archiepiscopus quoq; Coloniensis Hildolphus, & Bâbergensis episcopus Hermānus, à papa Alexandro euocati Romam uenerunt. Ibi episcopus Bambergensis accusatur, quod per simoniacam hæresin data pecunia episcopatum inuasisset, adeo muneribus placauit Romanum pontificem, ut non solum impunitus, sed etiam pallio quasi archiepiscopus remuneratus, ab eo in patriam sit reuersus. Adelbero quoq; Vuormatiensis episcopus ex monacho S. Galli factus, quemadmodum supra diximus, hoc ipso anno propria (ut ferunt) crassitudine præfocatus obiit, cui Adelbertus successit. Anno Vuilhelmi abbatis secundo rex Henricus Ducatum Bauariæ Ottōni abstulit, quem illi mater eius Imperatrix antea dedit, pro quo constituit Vtelphonem uirum strenuum & bellicosum, natione Sueuū. Vnde dux Ottō fugiens ad Saxones, contra regem dux belli factus est. Anno sequente multi principes coniurant contra Henricum regem & Saxones, acerrimo in eum animo multa contra eum prælia gesserunt. Hoc tempore Sifridus archiepiscopus Moguntinus, causa orationis in Galatiam ad S. Iacobum perrexit, & in reditu ad Cluniacum diuertens, ibidem manere contempto seculo statuit, & in dominica quæ festum S. Michaëlis Archangeli præcessit, denuo professus est obedientiam regularem publice coram omnibus in manu abbatis. Sed dum mercenarij Moguntinum episcopatum precio comparare à rege conarentur, per obedientiam abbatis, quam illi sub regula S. Benedicti promiserat, compulsus, ad sedem suam

*Nota corruptio: nem pontificis.*

Monasteriū Haf-  
sungen construi-  
tur.

Giselbertus.

Hildebrandus ex  
abbate fit papa  
Gregorius.

Symoniaci quo-  
que excommuni-  
cantur.

Sebaldus.

Heimeradus.

reuertitur, & 8. iduum Decembrium Moguntiam regressus est, sedemq̄ suam adhuc 12. annis gubernauit. Iste archiepiscopus Sifridus monasteriū ordinis nostri fundauit in Thuringia, quod Hassungen dicitur, in quo & sepultus est. Abbas autem eiusdem cœnobij primus fuit Giselbertus monachus huius monasterij Hirsaugiensis, quem abbas Vuilhelmus ad instantiam Sifridi archiepiscopi Moguntini cum toto conuentu necessario, ad eundem locum destinauit. Iste Giselbertus uenerabilis abbas fuit, uir literis bonis eruditus & morum integritate cōspiciuus, maximus regularis disciplinæ amator, qui multos in breui tempore monachos ad cœnobium præfatum seruituros Domino collegit. Verum cum Henrico regi postea excommunicato à summo pontifice Gregorio 7. consentire minime uellent, omnes cum abbate sunt de monasterio expulsi, qui plusquam 70. numero ad Hirsaugiam ueniētes honorificè à S. abbate Vuilhelmo suscepti sunt, quos aliquanto tēpore secum detinuit, & postea cellam S. Gregorij eis pro mansione assignauit, quemadmodum suo loco plenius dicemus. Constituit etiam idem archiepiscopus claustrum B. Mariæ semper uirginis ad gradus, in ciuitate Moguntina, quod multis prædijs & ornamentis dotauit. Anno Vuilhelmi abbatis quarto, qui fuit dominicę natiuitatis 1073. mortuo papa Alexandro successit Hildebrandus abbas S. Pauli ordinis nostri & Romanæ ecclesiæ archidiaconus, & præfuit annis 12, dictusq̄ est Gregorius huius nominis septimus uir certè multæ doctrinæ, magnæq̄ pietatis, prudentiæ, iusticiæ, constantiæ, & religionis, qui multa pro defensione libertatis ecclesiasticæ & fecit bona, & sustinuit aduersa. Hic primū fuit monachus Cluniacensis, & à Leone papa 9. sanctæ Rom. ecclesiæ archidiaconus ad monasterium S. Pauli ordinatus, hoc anno post Alexandrum, omnium consensu summus pōtifex creatus est. Hic Romæ celebrata synodo statuit sub magna excommunicationis pœna, omnibus presbyteris, diaconis, ut concubinas & omnes mulieres, præter eas quas regulæ & sancta synodus admisit, à se quantocius efficiant, & secundum canones castè uiuant. Denique laicis interdixit, ne missas sacerdotum concubinas habētium audire præsumerent. Omnes etiam uendentes & ementes episcopatus, abbatias, præposituras, decanatus, canonicatus, præbendas, presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, decimationes, cæteraq̄ officia ecclesiastica, in eadem synodo excommunicauit. Henricum quoq̄ regem accusatum apud sedem apostolicā de simonia & alijs multis criminibus & malis perpetratis, crebris nuncijs & epistolis Romam ad synodalia responsa uocatum, & uenire contemnentem excommunicauit, unde in regno & ecclesia multiplicata sunt mala. Clara & celebris ualde his temporibus per Germaniam & Gallias erat memoria S. Sebaldi in Nurēberg, & S. Heimeradi in Hassungen, & magno populorum concursu quotidie frequentabātur propter opitulationes quæ diuinitus illic languentibus sæpenumero conferebātur. Quorum ultimus uidelicet Heimeradus presbyter fuit sanctissimæ uitę, qui obiit anno Domini 1019 indictione 2. 4. calend. Iulij, super cuius tumulum Sifridus archiepiscopus monasterium nostri ordinis (sicut diximus) construxit, cuius patronus est S. Heimeradus, qui multis ibidem miraculis coruscavit.

Anno Vuilhelmi abbatis sexto Rex Henricus Saxones bello aggreditur, & multis ab utraq̄ parte occisistandem uictoria potitur. Eodem anno obiit Henricus episcopus Spirensis, cui Hutzmannus successit. Anno Vuilhelmi abbatis 7. qui fuit dominicę natiuitatis 1076. in mense Martio, rex Henricus consiliū 24 episcoporum, multorum quoq̄ abbatum & clericorum

cōrum apud Vuormaciam indixit, cui etiam personaliter interfuit, animo & intentione contra summum Christi uicarium, à quo iustè fuerat excommunicatus, iniustè penitus conspirandi. Interea superuenit quidam ex Romanis cardinalibus Hugo cognomēto Blancus, quem propter mores ineptos papa deposuerat à cardinalatu, plenus minarum, deferens secum de uita & institutione papæ scenicis figmentis consimilem tragœdiam, scilicet unde oriundus, qualiter ab ineunte ætate conuersatus, quàm peruerso ordine sedem apostolicam occupauerit, quæ ante episcopatum, quæ post acceptum pontificatum memoratu quoq; incredibilia flagitia commiserit.

*Hugo cardinalis*

Huius uiri apostatæ autoritatem qui cum rege consenserant, quasi diuinitus sibi destinata gratissimè prosecuti sententiam promulgarunt, quòd papa esse non possit, nec ullam potestatem ligandi, uel soluendi habeat, uel aliquando habuerit, qui tantis uitam probris ac criminibus commaculauerit. Cumq; cæteri omnes damnationi eius nihil hæsitantes subscriberent, Adelbero Herbipolensis & Hermannus Metensis episcopi aliquandiu resistiterunt, allegantes canones, qui uetant episcopum sine audientia synodali posse deponi. Sed minis Vuilhelmi episcopi Traiectensis, qui partes episcopi Romani nimium persequutus & regias plus æ quo defendens instabat, etiam coacti subscripserunt. Nomine ergo synodi literæ Romam diriguntur ad papam plenissimæ iniuriarum & contumeliarū, quibus eum declarant pontificatu depositum. Papa collecta synodo literas coram patribus publicè legit, sibi à perfidis transmissas, & communi episcoporum consilio regem denuò & cum eo archiepiscopum Moguntinum Sifridum, episcopum Traiectensem Vuilhelmum, & episcopum Bambergensem Rupertum excommunicauit. Porrò Ottonem Ratisponensem episcopū, Burchardum Iuuanensem episcopum, Ottonem Constantiensem episcopum, Euerardum comitem, Vdalricum & alios nonnullos regis consiliarios prauos antea excommunicauerat. Cæteris uerò qui in synodo Vuormatiensi eius depositioni subscripserant, diem statuit, qua nisi Romam præsentati causam dicerent huius inauditæ rebellionis, eandem excommunicationis uicti pœnam subirent. Ad hoc consilium malignantium abbas Vuilhelmus huius cœnobij Hirsaugiensis uocatus ire contempsit, quippe qui uicarium Christi sanctum & innocentem nouerat, & cum sancta Romana ecclesia optimè sentiebat. Anno sequenti qui fuit dominicæ natiuitatis 1077. circa 18. calend. Octob. colloquium maximum apud Oppenheim factū est, ubi penè totius regni principes Regis subiectioni renunciabant, causam præbentes, quòd à duobus Apostolicis Romam ad satisfactionem uocatus non uenisset, & pro hoc contemptu in Romana synodo absens & contumax, à papa excommunicatus esset. Vnde necessitate compulsus Romam uenit, & papam discalceatus laneisq; ad carnē indutus accessit, prostratusq; in terram coram eo ueniam humiliter petijt, emēdationem promiit, & absolutionem promeruit: sed non permansit in proposito diu, imò crudelius contra ecclesiam sæuire cœpit quàm antea sæuisset. Tandem excommunicatus denuò à papa fuit, & Rudolphus dux Sueuiæ summò mandante pontifice contra eum per principes in regem fuit electus. Claruit his temporibus S. Anselmus ex abbate Beccensis monasterij nostri ordinis archiepiscopus Cantuariensis post Lanfrancum in Angliā, cuius olim auditor & discipulus fuit, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & secularium quoq; literarum non ignarus, qui multa post se ingenij sui reliquit opuscula, quorum in secundo libro illustrium uirorū nostri ordinis, dudum iam fecimus

*Sententia stulta.*

*Adelbero.  
Hermannus.*

*Abbas Vuilhelmus noluit consentire Schismaticis.  
Conuocatio principum in Oppenheim.*

mentionem

*Abbas Vuilhelmus in amicitiam S. Anselmi uenit*

mentionem. Hic dum pro defensione iurium ecclesie suae supra nominatae, ad sedem Apostolicam perrexisset, Vuilhelmum abbatem nostrum Hirsaugiensem, quem antea pro confirmatione institutae libertatis Romam sub Gregorio papa 7. iuisse iam diximus reperit, & in eius notitiam familiarem, assumptus, magna deinceps amicitia inter eos confirmata est. Rediens quoque ab urbe Romana idem sanctissimus praesul Hirsaugiense coenobium praeterire noluit, in quo uirum sibi omnino clarissimum abbatem residere, cum fratribus in magno religionis feruore cognouit. Ad Hirsaugiam itaque ueniens cum maximo honore & reuerentia a S. abbate Vuilhelmo susceptus est, & per dies aliquot in eodem loco in summa charitate quieuit. Sanctificauit hunc locum sua praesentia primas Angliae, sanctificatus a Deo, uir omni laude dignissimus, tantaque humilitate & charitate se fratribus exhibuit communicabilem, ut non archiepiscopum, sed monachum quemlibet extremum credidisset. In medio fratrum quasi unus ex eis residebat, colloquens de scripturis sanctis, de institutione morum regularium, de amore Dei animarumque salute, & ad omnia interrogata cum maxima beneuolentia, maxime de scripturarum propositis quaestionibus reddens omnibus & singulis conueniens responsum. Maximo desiderio fratrum se orationibus commendauit, uidensque tranquillitatem, pacem & concordiam eorum, suas depulxit curas & arumnas, quas patiebatur. Miserum se clamitans, quod puritatem interae conuersationis, & contemplationis dulcedinem, propter seculi curas, aut maculare aliquantulum, aut plurimum intermittere cogeretur. Eos autem beatos, terque felices, quibus in silentio monasticae solitudinis usque ad finem uitae salutare Dei expectare conceditur. Postea uero quam apud eos aliquantis diebus quieuisset, data benedictione in sua remeauit: eos quos hic uisitauerat fratres, in multa Spiritus sancti consolatione relinquens aedificatos. Multas iam deinceps inter se miserunt epistolas, Anselmus ex Anglia in Hirsaugiam, & ex Hirsaugia Vuilhelmus ad Angliam. Ex omnibus autem Anselmi epistolis, quas scripsit ad abbatem Vuilhelmum, uel unam huic historiae nostrae ad posteritatis notitiam & dictorum confirmationem, placuit nobis inferere, ut quanti fecerit merita fratrum huius conuentus Hirsaugiensis uir tanta sanctitatis & praeminentiae, nullus ignoret posterorum. Nam post aliquot annos cum comes de Caluae propter adhaesionem regi Henrico, cum caeteris multis a summo pontifice excommunicatus se diuinis ingereret, fratresque huius coenobii pro hoc quod cum summo sentiebant pontifice non modicum perturbaret, abbas Vuilhelmus casum B. Anselmo cum quibusdam alijs quaestionibus per epistolam innotuit, & eius super his consilium requisitum. Cui sanctus Anselmus in hunc modum ex Anglia rescripsit: Domino & patri reuerendo abbati Hirsaugiensium fratrum Vuilhelmo, Anselmus Cantuariensis ecclesiae minister indignus, in hac uita diuturnam prosperitatem, & in futura aeternam felicitatem. Ex eo quo mihi probitas uestra sui dignata est praebere notitiam, tantam eius concepi dilectionem, ut uestri semper dulcis mihi sit memoria: quod sum expertus non immerito fieri, quoniam & uitam uestram amore & reuerentia dignam agnoui existere, & uestram paternitatem non sine affectu dulcedinis erga meam paruitatem esse. Saepe namque fratres uenientes a uobis, me non solum sanctitatis uestrae relatione aedificauerunt, sed & dignationis uestrae salutatione honorauerunt. Qua in re licet quicquid est in me toto, minime possit tantis meritis respondere, meum tamen

*Epistola S. Anselmi ad Vuilhelmum abbatem Hirsaugiensem.*

est.

est quantum amoris & reuerentiæ possum exhibere. Sed hæc Deo in nobis seruanda & augenda committens, ad ea de quibus meam paruitatem consulere dignata est prudentia uestra, non præsumendo, sed obediendo potius respondebo, fortè quod non materiæ sufficiat, sed quod mihi uideatur. Comes quidem uester, qui excommunicatus uobis diuina celebrantibus se immiscet, mihi uidetur humiliter admonendus, ne contemnendo sententiam eorum, à quibus & in quibus Deus se confirmat, audiri cum audiuntur, & sperni cum spernuntur, seque ligare cum ligant, & soluere cum soluunt, aggrauet super se Dei iudicium, à quo fugere nusquam homo potest. Quare illi melius esse, ut per salubrem humilitatem abstineat ab his, à quibus eum sententia Apostolica segregat, quàm per præsumptionis contemptum se ingerat in illa, quæ nusquam nisi per humilitatem quæsitæ profunt, at semper inordinate præsumpta obsunt, nec debere cum nullo suo commodo & grauissimo uestro malo cogere uos, ut cum eum offendere nolitis, Deum & Apostolicam auctoritatem grauiter irritetis, ad quos pacandos illum adiutorem habere non possitis, facilius quoque ac benignius Apostolicum eius rationes suscepturum, si suam illum sententiam cognouerit reueritum. Quod si comes idem hanc admonitionem respuerit, scitis quia Deus plus timendus est quàm homo. Quapropter aut secundum iam prolatam Apostolicam sententiam erga illum agendum, aut ipsum Apostolicum seu aliquem uices eius gerentem de hoc ipso consulendum æstimo. De presbyteris uerò qui se aperte reprobos libidinis commercio Deo reprobabiles exhibent, omnino tenendum est, quod Apostolica prouidentia ecclesiastico, iustoque rigore constituit. Nempe nullatenus conuenit, ut ibi reuerenter astetur, ubi pertinaciter aperta & impudèti libidine foetentes, Dei & sanctorum prohibitionem contemnendo sacris altaribus deseruiunt, imò non deseruiunt, sed quantum ad ipsos pertinet, turpiter commaculant: non quo quis ea quæ tractant contemnenda, sed ipsos potius tractantes execrandos existimet, ut qui Dei & angelorum præsentiam non reuerentur, uel hominum detestatione repulsi sacra contaminare desistant. Nec ullatenus oportet, ut illi sint consortes de altari participantium, qui per immundiciam se faciunt exortes altari deseruientium. De lapsis autem sacros ordines habentibus, ut spontanea humilitate secretè quibus debent confitentibus, nequaquam asserendum est, quod in eisdem ordinibus amplius uti nullatenus possint, si per sacrificium spiritus contribulati cordisque contriti & humiliati Deum placantes, ad uirtutem proficere studiosè contenderint. Nam nec apud Deum reprobatur officium alicuius, propter culpam quam ipse ignoscit: nec apud homines decoloratur sacri ordinis dignitas, propter personam cuius ipsi peccatum non cognoscunt: quibus duabus causis, carnalis lapsus prohibet ad sacros ordines accessum aut reditum. Sed quoniam ferme semper occultum est, quorum remissa sint iniquitates & quorum tecta peccata, quorum uerò minimè, tutius semper est, consciùm sibi criminis atque placitam personam exposcunt per laudabilem humilitatem abstinere, quàm per culpabilem securitatem præsumere. Illud enim semper potest, Deo non improbante: hoc uerò non debet, nisi Deo approbante. Qui autem huic sententiæ, quæ ad sacri ordinis officium, reditum post lapsum concedit, nequaquam aliqua ratione, nisi auctoritate fulciatur scripturarum, uult attribucere consensum, legat epistolam B. Calixti papæ directam uniuersis episcopis per Galliam constitutis, & B. Gregorij ad Secundinum inclusum, ubi ipsi hanc sententiam sic firmis & penè eisdem rationibus & auctoritatibus confirmant, ut nullatenus aliorum probatione indigeat. Sed quoniam idem B.

Grego-

*Plus Deus quam homo timendus.*

*De presbyteris concubinis publicis consiliū Anselmi.*

*Tutius est post lapsum ab ordinis executione abstinere quam non.*

*Calixtus papa. Gregorius papa.*

Gregorius id ipsum in alijs suis quibusdam epistolis studiosè prohibet, ne si-  
bi ipsi contrarius sit: de apertis quidem prohibuisse, de occultis uerò post  
condignam pœnitentiam concessisse intelligitur. Nam crimen quod nec à  
Deo imputatur, nec ab hominibus esse putatur, non reprobatur, nec decolo-  
rat, ut iam dixi: cum tamen in tali re cuiq; tutius sit, coram Deo plus timere  
quàm confidere. Prohiberi autem inuitum debere, qui occultum crimen  
humili confessione sponte & occultè detegit, minimè existimo: ne multis  
obruatur uirtus salubris confessionis, qui potius eligerent penitus usquam  
in mortem occultari, quàm hac occasione in certitudinem uel in suspicio-  
tionem alicuius criminis adduci. Ut enim confiteantur illi, peccatum suum  
statuitur, sed confitentem absq; eius consensu à sui ordinis officio cessare ne  
mo cogit, sed potius magni criminis reus esse uidetur qui cogit: quia sic &  
confitentem pœnitere confessionis & plures nondum confessos, horrere  
& refugere confessionem compellit. Nam satis patet quàm minus malum  
sit, cuilibet peccatori ad altare cum amore confessionis peractæ & spe mi-  
sericordiæ humili mente accedere, quàm se cum odio cōfessionis & despe-  
ratione ueniæ indurato corde, desiderio uel etiam actu sumptuose ingere-  
re. Ille itaq; cui confessio fit nequaquam particeps æstimandus est mino-  
ris culpæ, in qua alium permittit non consentiendo, sed maiorem pruden-  
ter præcauendo. Particeps uerò maioris criminis autorq; esse uidetur, ad  
quod multos impellit: & si non uolendo, tamen inordinatè plus quod mi-  
nus quàm quod maius erat timendo. Sed manifestum est, quia illi qui hu-  
mili contritione superbam uerecundiam conculcando, semetipsoq; iudi-  
cantes indicenti cessionem sponte consentiunt, multò tutius ministrant  
permisisti, seu etiam iussi, quàm illi qui cum uerecundia humana inter Deum  
& se iuste iudicare refugiunt, licet is cui confitentur ualde periculosius pro-  
hibeat istos inuitos, ut supra dictum est, quàm illos spontaneos.

Et cum utrisq; necessarium sit, uel ad tempus abstinere, puto quia illi qui  
non libenter cessant ad quod non bene properant, sunt tantum relaxan-  
di, hi uerò qui sponte abstinent, ad id quod non præsumunt etiam reuocan-  
di. Nam in istis si reuocentur, obedientiæ tegmine præsumptio palliatur, in  
illis uerò humilitas obedientiæ robore adiuuatur. Quæ reuocatio non ina-  
differenter, sed magna prælati confessionem suscipientis discretionem facien-  
da est. Sæpe namq; contingit, ut aliquis non per immissum criminis perpetra-  
ti horrorem, neq; per uim humilitatis humanam uerecundiam superet, sed  
per stultitiæ tenebras & impudentiæ duritiam foeditatem sceleris & pудо-  
rem non sentiat, & per negligentiam officium suum non apperat. Qui au-  
tem huiusmodi est, nunquam ad sacrum officium aut uocandus aut reuo-  
candus est, sed cum pro ipso pœnitente supplicat humilitas, suggerit contri-  
tio, intercedit uitæ mutatio, tunc nimirum si prælatus non tam de meritis ali-  
quibus, quàm de magna misericordia & multitudine miserationum Dei  
illum confortans, ad sui usum officij remittat aut inuitet, non tam temerè  
quàm prudenter egisse uidetur. Est enim sæpe in huiusmodi præuenienda  
pusillanimitas, excludenda contemptus suspicio, ostendenda beneuolentia,  
exhibenda compassio. Hoc enim modo qui tales sunt, quanto benignius  
tanto efficacius ad perfectionem promouentur, & tanto strictius in bono  
proposito ligantur. Potui plura de scriptis primùm his interserere, sed quia  
epistolaris breuitas, quæ nimis se iam extendi reclamatur, non consentit, sim-  
pliciter quid de interrogatis sentirem paternitati uestræ iussus exposui.  
Omnipotens Deus nos & in his & in omnibus, quæ nobis agenda sunt, sic  
in rectitudine ueritatis dirigat, ut pro eis seipsum mercedem retribuatur. Si  
præsens

*Confessore nõ sit  
durus nimum in  
occultis, ne con-  
fessio pereat.*

*Quanta sit in cõ-  
fessore necessaria  
discretio.*



præfens eſſem coram uobis, & ſancta congregatione ueſtra, de qua multa bona uidi, & à multis cōcorditer maiora quotidie audio, ſuppliciter mente totum corpus proſtrernerem, & ut me bonorum quæ Deus operatur in ueſtro ſancto monaſterio in perpetuum participem, in fraterna charitate denuò per amplius concederetis poſtularẽ. Sed quoniam ego nimiũ diſtans hoc non poſſum, præſumo de meis meritis, ſed de ueſtra ſanctitate rogare, ut uos hoc ipſum pro me non humiliato corpore, ſed benigna mente ab iſdem filijs ueſtris mihi petatis & cum illo concedatis.

His beati Anſelmi literis & conſilijs S. Abbas Vuilhelmus in Domino confortatus ac diuini amoris totus incenſus, nec minũs zelo animarũ prouocatus, toto illo tempore quo miſerabile ſchiſma contra Dei eccleſiam durauit impio rege Henrico in uicarium Chriſti ſequentẽ, quofcunq; potuit ſalubri conſilio ad unitatem eccleſiæ ſeruandam tuendamq; totis uiribus animabat. Et quoniam puro ſimpliciq; oculo tam ſancto tamq; neceſſario inſiſtebat negotio, quicquid agebat, religioſorum omnium animis complacebat: quicquid dicebat, cunctorum bonorum corda amoris intimo affectu mulcebat. Cum ſimplicitate columbina ſemper in eo uiguit aſtutia ſerpentina: & quia in omnibus non ſuam, ſed Dei gloriam quæſiuit, dedit illi gratiam ſuam Deus, ut in cunctis proſperè ageret, ita ut ab huius ſeculi prudentibus omnes prudentia uideretur præcedere, & ab his qui diuinã profitebantur ſapientiam ſine inuidia coleretur. Claruit etiam his temporibus in Anglia Giſelbertus abbas monaſterij noſtri, quod appellatur Vueſt, B. Anſelmi diſcipulus, uir tam in diuinis ſcripturis quàm in ſecularibus egregiè doctus, qui inter cætera ingenij ſui monumenta ſcripſit contra Iudæos pulchram altercationem non ineleganti ſermone. His quoq; temporibus claruit Diemo noſtri ordinis abbas in ciuitate Saltzburgenſi, qui propter excommunicationem Regis Henrici quarti de monaſterio ſuo fuit expulſus, quoniam cum ſancta Romana eccleſia ſentiens, excommunicatis communicare noluit. Venit ergo fama S. Vuilhelmi abbatis prouocatus ad monaſterium noſtrum huc in Hirſaugiam, & inter fratres conuerſatus humiliter, cum uitæ eorum laudabilem inſtitutionem uidiffet, decreuit perpetuò cū eis in Domino permanere. Itaq; monachus denuò factus ſub Vuilhelmo religioſe cōuerſabatur, gratias agens Deo, quòd tam ſanctæ congregationi meruerit inſcribi. Deinde poſt annos aliquot in archiepiſcopum Saltzburgenſis eccleſiæ ſublimatus eſt, & de monaſterio noſtro per obedientiam compulſus reſceſit inuitus. Præſuit autem eccleſiæ præfatæ ſtrenuè uerbo & exemplo, multis præbens incitamenta uirtutum. Tandem amore diuino ſuccèſus cum alijs multis ad terram ſanctam ire, dominicūq; inuiſere ſtatuit ſepulchrum, & in itinere captus à paganis, cum cæteris ſuæ peregrinationis plerūq; ſocijs martyrio coronatus eſt, cuius geſta habentur. Circa hæc tempora Rupertus quondã abbas Augienſis per papam Gregoriũ 7. deponitur, mandatum perferente S. Hugone abbate Cluniacenſi, omniſq; illi ordinis eccleſiaſtici executio interdicitur, præter pſalmodiam, quia tertio Romam citatus, ut ſe de obiectis purgaret criminibus, ire contempſit. Poſtea ſummi pontificis prohibitione cōtemptra, monaſterium in Gegenbach à rege Henrico ſuſcepit, ubi dum pro conſuetudine ſua lucris temporalibus immoderatus intenderet, occiſus eſt cum alio haud desperatæ indolis monacho adolescente, qui eum de Bambergenti monaſterio ſecutus fuerat à ſeruitoribus ſupradicti cœnobij, cōtra quos poſſeſſiones monaſterij & ius ſuum progreſſus, ipſe ad uim arcẽdam defendere uoluit. His

*Vuilhelmus conſilio S. Anſelmi eccleſiam ſeruat.*

*Giſelbertus.*

*Diemo.*

*Rupertus.*

temporibus Gregorius papa 7. pro causis ecclesiasticis legatum in Germaniam & Gallias misit, uirum uenerabilem, eruditione scripturarum ac morum sanctitate integerrimum, Bernardum abbatem Malsiliensem ordinis nostri, qui ueniens ad hoc monasterium nostrum Hirsaugiense, quasi ad anni spacium propter difficultatem itineris conficiendi, quod uolebat, hic cum fratribus remansit. Huius uiri consilio S. abbas Vuilhelmus pro pleniori monachorum institutione perdiscēda, duos ex monachis suis ad Cluniacum direxit, ac postea iterum duos, & tertio nihilominus duos, qui diligenti examinatione omnia illius congregationis secreta rimati sunt, & inscriptis constitutiones ad Hirsaugiam retulerunt. Vnde Vuilhelmus reuerendissimus abbas permissione Hugonis Cluniacensis abbatis sanctissimi, statuta & consuetudines sibi transmissas mutatis iuxta considerationem loci, regionis & aëris quibusdam rationabiliter mutandis, in duobus libris ordine pulchro digessit, fratribusq̄ suis & posteris pro conseruatione conuersationis monasticæ obseruandas tradidit.

Anno Vuilhelmi abbatis 10. qui fuit dominicæ natiuitatis 1079. Hidolphus archiepiscopus Colonientis obiit, cui Sigeeuinus successit. Hoc ipso anno rex Henricus fortiter debellat Saxones, ex quibus plures interierunt.

Anno autem Vuilhelmi abbatis 11. iussu Henrici regis apud Brixinam Noricorum ciuitatem iterum Synodus 30. episcoporum & multorum abbatum ac clericorum contra papam Gregorium 7 celebrata est. Eodem anno rursus bellum inter Rudolphum & regem Henricum geritur, & ipse Rudolphus cum alijs multis cecidit, qui Mersburg delatus à suis mortuus & sepultus est. Fertur autem in extremis positus, & abscissam dextram intuitus, cum graui suspitio dixisse ad Episcopos, qui fortè aderant, Ecce hæc est manus qua Domino meo Henrico fidem sacramento firmaui, quam heu uobis urgentibus non seruaui, & ecce uitā miser cum regno deserere compellor. Videte qui me contra Dominum meum solium ascendere fecistis, ut recta uia me uestra monita sequentem duxeritis. Quibus dictis expirauit. In cuius locum Saxones & Alemanix principes Hermannum quendam præpotentem ex Germania nobilem elegerunt, qui breui tam suis quam alienis cœpit despectus haberi, unde post paucos annos deposito nomine regis, ad gratiam Henrici se contulit.

Anno Vuilhelmi abbatis 12. dominicæ uerò natiuitatis 1081. rex Henricus Italiam cum exercitu petit, Romamq̄ ueniens in uigilia Pentecostes, resistente sibi Gregorio papa cum Romanis, ante castellum S. Petri castella posuit, ubi etiam crebris per biennium incursum urbanorum infestatus, parua manu multa uiriliter peregit. Obsedit ergo urbem cōtinuò per biennium, quam tandem cepit anno Domini 1083, indict. 6. 4. nonas Iunij, quæ fuit sexta feria hebdomadæ pentecostes. Gregorius autem papa occulte fugiens Salernam secessit, ibiq̄ usq̄ ad diem mortis suæ permansit. In cuius locum Henricus rex petentibus Romanis Vuigbertum Rauēnatensem episcopum papam constituit, quem Clementem huius nominis tertium appellarunt. Hæc autem institutio Vuigberti antipapæ, facta fuit obsequio urbis durante, in synodo 30 episcoporum (sicut diximus) apud Brixinam contra Gregorium, Henrici iussu habita. In hac synodo S. Pontificem in auditis criminibus falso accusatum, quod per artem magicam, necromanticam, & dæmonum suffragio sedem apostolicam inuasit, & alia complura mentientes, absentem deposuerunt. Quod audiens papa Gregorius congregata pontificum & abbatum synodo, Vuigbertum inuasorem sedis apostolicæ

*Bernardus.**Vuilhelmus.**Synodus.**Rudolphus rex  
in bello cecidit.**Recognouit erro-  
rem suum Rudol-  
phus.**Hermannus rex  
eligitur.**Rex biennio Ro-  
mam obsidendo  
cepit.**Vuigbertus.*

stolicæ cum omnibus qui fuerunt in synodo Brixinensi, Henricum quoque regem cum omnibus fautoribus suis excommunicauit, & satis terribiliter maledixit. Eodem quoque anno Vuilhelmi abbatis, uidelicet 12. Moguntia ciuitas ex maiori parte cum ecclesia principali & tribus monasteriis igne consumpta sunt. Monasterium quoque Bambergense in uigilia sancta paschatis combustum est. Henricus quintus huius nominis rex nascitur. Anno domini 1082 cum numerus monachorum huius cœnobii sub reuerendissimo abbate Vuilhelmo, Domino benedictionem suam largiente multum creuisset, ita ut loci angustia apud S. Aurelium eos difficulter præ multitudine capere posset (Erant enim plus quam centum quinquaginta monachi, præter conuersos, quorum non minus quam 40 fuerunt) cepit uir sanctus habere consilium cum eisdem fratribus suis de monasterio præfato aliquantulum ampliando. Sed cum id propter loci situm angustum & minus congruentem, structurarumque dispositionem fieri conuenienter non posset, accepto consilio nouum monasterium trans fluuium in loco eminentiori aliquantulum, & ob id saniori quoque construere decreuit, fiduciam habens de misericordia Dei magnam: quia qui tot in obsequium sui fratres in unum collegerat, sumptus etiam pro construenda eis mansione necessaria prouideret. Cumque necessaria ad hoc opus preparare cepisset, lignorum enim ibi & lapidum magna copia erat, Domino Deo prouidente cœperunt diuites & nobiles multa pro Dei amore conferre, & sanctum opus propter laudabilem conuersationem monachorum & famam Vuilhelmi abbatis sine intermissione promouere. Fuit eo tempore quidam Marchio potens & diues nomine Hermannus, qui diuino spiritu actus, mundum pro Dei amore cum omnibus rebus & pompis contemnens, occulteque fugiens, nemine præter uxorem sciente, ad monasterium Cluniacense incognitus diuertit, assumptoque à sancto Hugone abbate sanctæ conuersationis habitu, pro summi pastoris amore pastor pecorum monasterii eiusdem factus est. Huius præstantissimi uiri uxor post coniugis præfati discessum, Deum bonorum suorum uolens instituere heredem, sumptus & impensas sancto abbati Vuilhelmo ad construendum nouum monasterium inchoatum præstitit. Quæ tandem nescio qua ex causa usque adeo fuit offensa, ut sanctum opus intermitteret, & retractis manibus relinqueret imperfectum. Ex his tamen quæ antea contulerat, tantum superfuit impensarum, ut reliquum penè totum quod restabat, perficeretur. Cœpit autem reuerendissimus abbas Vuilhelmus monasterium maius construere anno regiminis sui 13. qui fuit dominicæ natiuitatis 1082, indictione 5. & in nouem annis totum ædificium perfecit, ita ut decimo anno ecclesia fuerit consecrata. Huius autem ædificii non alios artifices habuisse credendus est quam monachos suos, quippe cum ferme ducenti essent numero, erant inter eos latomi, fabri lignarii, ferrarii, & architecti in omni arte & scientia architecturæ proculdubio expertissimi, qui totum opus sine adiutorio secularium artificum egregio tabulatu ut hodie cernitur ecclesia, consummarunt. Cætera nanque monasterii ædificia præter ecclesiam, penè omnia successu temporis per diuersos abbates mutata sunt. Anno sequente qui fuit dominicæ natiuitatis 1083. abbas Vuilhelmus cellam sancti Gregorii in Richenbach fundauit, cuius foundationis seriem ipsius uerbis duximus his potius quam alienis inferere. In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis, Ego Vuilhelmus nullis meis meritis, sed sola Dei misericordia cœnobii Hirsaugiensis abbas, notum esse desidero omnibus

Moguntia igne crematur cum ecclesijs.

Monasterium maius cepit fundari in Hirsaugia.

Artifices omnes monachi fuerunt & conuersi.

tam futuris quàm præsentibus, quòd quidã ingenuus senior nomine Bern, prædiolum suum in Nigra sylua situm, in loco qui à Riuo, qui ibi Murgam influit, Richenbach uocatur, sancto Aurelio Hirsaugiæ in præsentia idoneorum testium in æternam hæreditatem tradidit: id untcè postulans, ut ibidem monasterium construi satagerem. Accepto igitur communi concordiaq; seniorum nostrorum consilio, misimus fratres monachos nostros tres, & laicales quinque in idem prædiolum, nemore densissimo hispidum, quatenus sylua eruta, locoq; purgato, construerent monasterium beato Gregorio. Anno itaque incarnationis Dominicæ 1082, indictione 5, circiter idus Maij, cum uenissent iidem fratres in prædictum locum haud paucis diebus pro tugurio fruebantur nuda abiete. Horum autem unus uocabatur Ernestus, uir probus & curialis, qui iam pridem se suaq; omnia nostræ dediderat obedientiæ, quem cum suis omnibus eidem loco in adiutorium concessimus. Exiit ergo idem Ernestus loco & fratribus promissor, & quasi pater secundus, qui ad extirpandam syluam, ad purgandum locum, ad ædificandum monasterium, ad construendas officinas, maxime suas ipse impensas dedit, & undequaq; competenter acquisiuit. Eius ergo parentumq; ipsius, sicut & meam meorumq; memoriam ibidem celebrem haberi dignum iudicauit, libensq; firmauit. Sanè positum est fundamentum ecclesiæ, anno Vuilhelmi supra dicti abbatis decimoquarto, qui erat dominicæ natiuitatis millesimus octuagesimus tertius, indictione sexta, & in triennio consummata est. In præfato siquidem monasterio Richenbach nostri ordinis prioratus est, qui à tempore foundationis suæ usque in hodiernum diem, abbati huius monasterij immediatè, & pleno iure ac dominio est subiectus, ad ipsumq; pertinet ius instituenti ac destituendi priorem ipsius loci toties, quoties opus fuerit, consecrandiq; monachos ibidem, ac cætera faciendi quæ hodie de consuetudine & priuilegio habet in usu. Similem quoque iurisdictionem habet super prioratu in Schonrein in finibus Franconiæ siti, qui subest abbati Hirsaugiensi simpliciter in omnibus immediatè, habetq; ius instituenti destituendiq; priorem, ac singula ordinandi quæ ad maioritatem prioratum huiusmodi pertinere dignoscuntur. Præpositura etiam in Rode Augustiensis diocesis immediatè ad ius monasterij Hirsaugiensis pertinet, cuius præpositus abbati Hirsaugiensi, pleno iure subiectus est. At uerò sanctus abbas Vuilhelmus adhuc plures prioratus ordinis nostri sua sub iurisdictione illo tempore possidebat, qui succedente tempore in abbatias mutati, à iurisdictione monasterij Hirsaugiensis alienati sunt. Floruit hoc tempore ordo monasticus in hoc cœnobio, non solum numero monachorum, sed etiam personarum conditione, & meritorum qualitate uehementer insignis. Nam sicut in præcedentibus diximus, fama sanctissimi uiri Vuilhelmi abbatis longè lateq; per orbem diuulgata, cœperunt ad eum multi confluere uiri, in seculo nobiles & diuites, qui contemptis omnibus rebus pompisq; mundi, suaue iugum Domini sub eius obedientia portandum subierunt. Et licet omnium habere memoriam nostræ non sis facultatis, tamen ne ueterum Hirsaugiensium gloriam nescientibus, fabulam recitasse uideamur, paucorum è pluribus uel sola nomina dignitatibus, quibus prælati sunt coniungentes, exprimamus. Gebhardus filius ducis Alemaniæ, & frater ducis Bertholdi, uir non solum nobilitate sanguinis clarus, sed etiam sapientia, facundia & eruditione Scripturarum insignis, contempto seculo, pro Dei amore, sub sancto patre Vuilhelmo in hoc nostro

Ernestus.

De prioratu in  
Schonrein.

De præpositura  
in Rode.

Multi nobiles in  
eius uicinia facti  
ut monachi.

Gehardus.

nostro cœnobio monachus factus est. Hic postea Constantiensis episcopus ordinatus, multa huic monasterio Hirsaugiensi unâ cum fratre duce Bertholdo bonafecit. Eiusdem nominis alter Gebhardus uir nobilis & doctus, sub eodem patre Vuilhelmo monachus in hoc nostro monasterio factus, ipsi Vuilhelmo in abbacia successit, & demum episcopus Spirenſis ecclesiæ constitutus est, sicut in sequentibus suo loco dicemus. Dietgerus etiam monachus nostri monasterij sub S. patre Vuilhelmo factus est, uir moribus & eruditione præclarus, propter uitæ meritum & scientiæ doctrinam, in ecclesia Metensi episcopus ordinatus est. Multi uerò de monasterio nostro monachi, tam sub S. patre Vuilhelmo quàm sub diuersis eius successoribus, diuersis temporibus ad alia cœnobia dati fuerunt abbates. E quibus nonnulli, temporum successu, in diuersis locis episcopi facti sunt. Horum quidem nomina tenemus omnium, licet quorundam tempora ignoremus: propterea, ne quos in supputatione annorum contingat negligi, statim uniuersalem omnium qui ad nos delati sunt catalogum in hoc loco breuiter ordinare.

Sigefridus monachus nostri cœnobij sub sancto patre Vuilhelmo in monasterio Schaffhusen nostri ordinis, Constantiensis diœcesis, per eundem Vuilhelmum abbas ordinatus est. Quod monasterium uetustate penè collapsum, sanctus pater pulchro tabulatu instaurans, monachis & abbati prædicto donauit. Henricus quoque monachus uir strenuus, & regularis disciplinæ zelator integerrimus, à S. patre Vuilhelmo primus abbas S. Georgij martyris in Nigra sylua, quod à fundamētis ipse construxerat, sicut longè supra diximus, constitutus est. Ad Petershusen eiusdem Constantiensis diœcesis monasterium abbatem dedit, uenerabilem uirum moribus & scientia insignem Diethericum huius cœnobij monachū, qui regularis disciplinæ feruidus cultor & instaurator fuit, & multos uerbo & exemplo ad mundi contemptum perduxit.

Ad monasterium in Hassungen Moguntinensis diœcesis, in partibus Thuringiæ situm, de quo supra diximus, abbatem misit primum ex suis monachis cum toto conuentu, nomine Giselbertum: quem postea per Henricum regem quartum, propter excommunicationem summi Pontificis expulsus, ad Hirsaugiam cum septuaginta monachis reuersus, ad monasterium in Reinhartzborn, in finibus Thuringiæ, eiusdem Moguntinæ diœcesis abbatem constituit, qui etiam monasterium Erfordense gubernandum suscepit.

Ad monasterium quoque in Zuifalten Constantiensis diœcesis abbatem dedit Notgerum monachum, uirum in disciplinis monasticis optimè imbutum, & per omnia idoneum, qui monachos uerbis & exemplis ad normam regularis uitæ posset instituire.

Ad monasterium uerò in Camburg Herbipolensis diœcesis, quod nunc ab ordine translatum est, abbatem dedit Guntherum monachum, uirum prudentia & religione uenerabilem, qui ante conuersionē suam magnam in curialibus causis opinionem experientiæ consequutus fuerat.

Ad cellam S. Petri, quam de Vuilheim superius diximus translata, abbatem constituit Adelberonem, uirum tam in monasticis disciplinis quàm in secularibus experientijs non mediocriter insignem, qui sub eius magisterio totius institutionis uitæ regularis fundamētum edoctus, plures ad pietatem suo conuertit exemplo.

Ad monasterium quoque in Altdorf Argentinensis diœcesis, dedit ab-

- Vuelchio.* batem nomine Vuelchionem, uenerabilem monachum, ab optimo præceptore in omnibus disciplinâ monasticâ cōuersationis optimè institutum.
- Azelmus.* Ad monasterium quod dicitur Buren, in diœcesi Augustēsi Azelmum uenerabilem monachum transmisit abbatem, qui claro genere natus, nobilem profapiam sanctis moribus adornauit, seque pastorem ouibus Christi non inutilem exhibere studuit. Ad eundem quoque locum Otto monachus, non inelegans persona missus est, & post Azelmum in abbatem constitutus. Quod an sub Vuilhelmo factum sit, aut eius successore Gebhardo, non satis cognitum habemus. Idem Otto postmodum etiam cœnobium
- Otto.* Rinauue Constantiensis diœcesis regendum suscepit.
- Rinaue.* Ad monasterium sancti Ioannis Magdeburgensis in Saxonia, cuius foundationem longè superius descripsimus, monachum transmisit in abbatem Hildeboldum uenerabilem ualde uirum, de quo multa laudum præconia feruntur. Ad idem quoque cœnobium postea missus fuit frater Hugo monachus nostri conuentus Hirsaugiensis, & in abbatem ordinatus, uir magnæ prudentiæ, honestatis & religionis.
- Hugo.* Ad monasterium uerò quod in Constantiensi diœcesi situm Isna uocatur, pater sanctus in abbatem ordinauit, multæ religionis & deuotionis monachum sui conuentus, nomine Erckenbaldum, in monasticis institutionibus optimè institutum. Ad eundem locum postea ordinatus est in abbatem Bruno monachus Hirsaugiensis cœnobij, uir pietate & religione uenerabilis & multum insignis, diuinarumque scripturarum non ignarus.
- Erckenbaldus.* Ad monasterium autem Lauense, quod in prouincia Carentinorum pater S. construxit, quemadmodum superius dictum est, abbatem instituit
- Bruno.* Vuetzillonem, uirum strenuum & religiosa seueritate reuerendum, tam monasticis institutionibus quam scripturarum scientia satis imbutum.
- Vuetzillo.* Segeuinus monachus Hirsaugiēsis cœnobij, cū prædicto abbate Vuetzillone missus in Carentiam sine permissiōe abbatis Gebhardi & fratrum Hirsaugiensium, abbatiam Rosati iuxta Aquileiam suscepit. Quod cū fratribus suis displicere cognouisset, ad monasterium Hirsaugiense compunctus rediit, ipsamque abbatiam suam interea dimisit. Quem abbas Gebhardus ad probandam pœnitentiam & compunctionem eius, in ultimo congregationis loco sedere fecit. Quod cū eum humiliter sufferre uideret, cum fratrum consilio proprio eum loco restituit. Alius uerò quidam
- Segeuinus.* ex nostris nomine Gaudentius, qui cum illo iuerat, etiam abbatiam sine fratrum Hirsaugiensium consensu adeptus, ad monasterium pro pœnitentia non rediit, & ideo inter abbates de Hirsaugia missos non computatur.
- Gaudentius.* Manegoldum quoque monachum conuentu Hirsaugiensis, qui sine abbatis & fratrum consensu abbatiam Campidonensem in diœcesi Constantiensi ab Henrico rege quinto interuentu amicorum obtinuit, de fratrum & abbatum suorum unanimi consilio abiecerunt.
- Manegoldus.* Ad monasterium quod dicitur Beinuuile, monachus quidam Hirsaugiensis cœnobij in abbatem datus est, nomine Ezzo, uir moribus & uita maturus & regularis disciplinæ feruidus zelator, sub Gebhardo abbate, qui S. Vuilhelmo successit.
- Ezzo.* Ad monasterium uerò in Odenheim Spirensis diœcesis, inde abbatem dedit Euerardum monachum Hirsaugiensis conuentus ualde notabilem, de cuius fundatione suo tempore post hæc mentionem faciemus. Gerungus quoque monachus Hirsaugiensis & prior S. Aurelij trans pontem, uir certè religiosissimus, factus est abbas monasterij cellæ Paulinæ in Saxonia Mo-

*Euerardus.*  
*Gerungus.*

nia Moguntinensis diœcesis, sub Brunone abbate, de cuius laudabili conuersatione cum ad annum domini 1107 & ipsius Brunonis tempora peruenimus, latius dicemus. Ad eundem locum cellæ Paulinæ post Gerungum in abbatem assumptus est Vdalricus, monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, uir moribus & uita reuerendus, & non minus eruditione scripturarum quàm conuersatione, pastoralis cura dignus atq; idoneus.

Vdalricus

Ad monasterium quoq; in Godisaugia Spirensis diœcesis, abbas directus est uenerabilis huius monasterij monachus nomine Vuolpeto, magnarum uirtutum homo, & tam in spiritalibus quàm temporalibus optime expertus. Ad idem quoq; monasteriũ alio postea tẽpore in abbatem constitutus est Burcardus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, regularis disciplinæ amator præcipuus.

Vuolpeto.

Burcardus

Ad monasteriũ autem Montis monachorũ prope Bambergam in Francia Orientali, Vuolfranus monachus ad instatũ fratrum ibidem Deo famulantũ transmissus est, & in abbatẽ solenniter ordinatus. Euernoldus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, ad monasteriũ Briuernugẽ in abbatem cõstitutus est, uir scientia & conuersatione sanctissimus, qui multis in uita & post mortẽ fertur claruisse miraculis, cuius uita & conuersatio cum miraculis in duobus libellis conscripta latius in præfato cœnobio habetur.

Vuolfranus.

Euernoldus.

Drutuwinus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, ad monasterium Moguntinæ diœcesis in Hafsia nouiter constructum, cum duodecim monachis missus est, & in abbatem ordinatus anno Domini 1119 sub abbate Brunone. Nomen autem monasterij Breitenauu dicitur, de quo postea suo loco & tempore latius dicemus. Egebertus monachus huius cœnobij ad Passauiam missus est circa idem tempus, & in abbatem constitutus, uir non infime doctus, & tam moribus quàm eruditione scripturarum uenerandæ opiniois. Ad eundem quoq; postea locum in abbatem constitutus est uenerabilis huius cœnobij monachus nomine Volpoldus, qui & Hugo dicebatur, magnarum uirtutum homo, qui regularis disciplinæ præcipuus cultor erat. Reginboldus monachus huius cœnobij, ad quoddam monasterium quod Nauu dicitur missus est, & ad instantiam multorum in abbatẽ ordinatus. Adelbertus quoq; huius cœnobij monachus post mortem ipsius Reginboldi, ad eundem locum abbas missus est, uir tanto dignus honore, quippe qui non minus uita quàm scientia uenerabilis fuit.

Drutuwinus.

Egebertus.

Volpoldus.

Reginboldus.

Adelbertus.

Adelbertus alius quoq; huius cœnobij monachus, uir moribus & scientia insignis, ad monasterium in Echlingen Augustensis diœcesis, ad instantiam monachorum eiusdem loci missus est, & in abbatem solenniter ordinatus. Qui quum esset uir multum religiosus & prudens, monasterium sibi commissum in utroque statu non mediocriter ornando ampliauit.

Adelhelmus quoq; monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, uir doctus & religiosus, de quo quidam sic cecinit:

Adelhelmus.

Hic homo per mores cunctorum traxit amores,

Quiq; pios mores non mutarit per honores.

Primũ abbas monasterij quod Ammineberg dicitur, constitutus est: ac deinde post annos aliquot, ad monasterium Mediolacense Treuerẽsis diœcesis translatus, abbatiam eiusdem loci publico assensu, & rogatu omnium monachorũ inibi degentiũ regẽdã suscepit, quam usq; ad finem uite strenuè ac laudabiliter gubernauit. Ad monasterium uerò S. Petri in Erphordia Moguntinensis diœcesis, post mortẽ abbatis Ruperti missus fuit ex hoc monasterio Hirsaugiensi, anno domini 1128, sub Volmaro abbate monachus

*Venericus.* uenerabilis nomine Vernerus, qui in abbatem ibidem constitutus, multa bona eidem cœnobio sua industria acquisiuit. Aquæ ductum in monasterium mirabili ingenio & impensis non modicis inchoauit, & utiliter satis perfecit. Post mortem quoque Drutuini primi abbatis in Breutennauu, de quo supra diximus, Henricus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis in abbatem eiusdem loci constitutus est anno domini 1132. indict. 10. sub Volmaro abbate, de quo latius suo tempore dicendum est. Diethericus uero monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, sub eodem abbate Vuolmaro ad monasterium S. Felicitatis prope ciuitatem Herbipolensem, quod Suartzach dicitur, ad instantiam monachorum eiusdem & preces episcopi Herbipolensis missus, in abbatem ordinatus est. Conradus monachus Hirsaugiensis uir multum uenerabilis, primò in monasterio Schonrein factus est prior, ac deinde in abbatem monasterij Amorbach Herbipolensis diocesis ordinatus, illud structuris & redditibus notabiliter ampliauit, regularisq; disciplinæ feruorem iam penè collapsum suo tēpore in eodem magnificè renouauit. Eiusdem quoque nominis Conradus alter, monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, abbas datus est ad monasterium Suartzach iuxta Rhenum in diocesi Argentinenſi, ad petitiones & instantiam fratrum & episcopi eiusdem loci. Fuit autem uir ualde religiosus, & diuinarum scripturarum non ignarus. Burchardus quoque monachus genere nobilis, uirtute morum & eruditione scripturarum nobilior, procul ad monasteriū quod dicitur Vinea, uulgariter Vuingarten, in diocesi Constantiensi, abbas datus est tempore Manegoldi abbatis. Dithmarus reuerendæ memoriæ uir post mortem Burchardi ad eundem locum missus de monasterio isto Hirsaugiense, in abbatem ordinatus est, qui uita & moribus dignum se ouibus Christi pastorem exhibere uerbo & exemplo curauit. Rupertus etiam huius cœnobij Hirsaugiensis uenerabilis monachus, ad monasterium Gotifau Spirensis diocesis, abbas datus est sub Mangoldo abbate, qui propter improbitatem subditorum suorum tandem abbatia demissa ad Hirsaugiam reuersus est, & post obitum Manegoldi in abbatem huius loci electus, anno domini 1165 indictione 13. de quo suo tempore mentionem faciemus congruè latiore.

*Rudigerus.* Ad monasterium quoque Tharis, quod in Herbipolensi parœchia situm est, quinq; à Bamberga per descensum Mogoni fermè miliaribus distans, in abbatem ex hoc Hirsaugiensi cœnobio datus est, sub Manegoldo uenerabili abbate Rudigerus, monachus moribus & eruditione insignis.

*Lupoldus.* Ad monasterium uero quod Besselbornen dicitur, in diocesi Augustensi, missus est abbas ex hoc Hirsaugiensi cœnobio Lupoldus monachus, uir secundum parentelam carnis non ignobilis, sed uirtute animi & scientia scripturarum multis nobilissimis longè nobilior. *Diepoldus.* Diepoldus monachus huius cœnobij, uir multum studiosus & librorum amator præcipuus, ad monasterium in Schaffhusen, Constantiensi diocesis missus est, & in abbatem solenniter ordinatus.

*Godfridus.* Ad monasterium uero quod Brigantium dicitur, in diocesi Constantiensi, uulgariter Bregentz, Godfridus huius cœnobij monachus insignis missus est, & in abbatem omnium fratrum assensu & instantia ordinatus, qui quàm utiliter præfuerit, monimenta ab eo posita in eodem cœnobio usque in præsentem diem manifestant.

Ad monasterium uero Zuueifalten Constantiensi diocesis, in abbatem ordinatus est alter Godfridus, etiam monachus huius cœnobij Hirsaugienſis



Hirsaugiensis uir dignus honore, qui uerbo & exemplo gregem sibi commissum pascere diligentissimè semper studuit. Porro ad monasterium Laurissense Vuormatiensis diocesis, quod Præmonstratenses hodie inhabitant, datus est abbas ex hoc monasterio Hirsaugiensi Sigehardus monachus, uita & conuersatione præcipuus, qui locum ipsum in utroque statu magnificè reparauit.

Sigehardus.

Ad monasterium quoque sancti Ferrucij in Blidenstad Moguntinensis diocesis, quod ante hoc fermè triennium ab ordine est translatum, Henricus huius cœnobij monachus missus est, & in abbatem legitimum ordinatus.

Henricus.  
Rudolphus.

Rudolphus quoque monachus Hirsaugiensis, ad monasterium Gotifau Spirensis diocesis in abbatem ordinatus, prauos monachorum mores ad litem regularis obseruantia, sua prudentia & obseruatione studiosa sollicitudine reduxit. Megingus huius cœnobij monachus, propter industriam suam & laudabilem conuersationem primùm prior in Richenbach constitutus est, & postea monasterij Vuingarten in diocesi Constantiensi abbas ordinatus gregi sibi commissio non ociosè præfuit.

Ad monasterium in Hornbach Metensis diocesis, in abbatem missus & ordinatus est Conradus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, ad instantiam monachorum ibidem commorantium.

Conradus abbas,  
in Hornbach.

Ad monasterium uerò Gotifau Spirensis diocesis, post mortem Rudolphi abbatis missus est ad petitiones fratrum eiusdem loci Conradus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, in abbatem legitime ordinatus.

Conradus.

Alius quoque eiusdem nominis Conradus, monachus huius monasterij monasterium Alpersbach Constantiensi diocesis in abbatem ordinatus est, uir in agendis negotijs mundialibus ualde industrius & expertus, ac diuinarum institutionum non ignarus, qui eidem cœnobio strenuè præfuit, & tam uerbo quam exemplo pastorem se in omnibus utilem exhibere curauit.

Ad monasterium in Suartzach iuxta Rhenum, in diocesi Argentinensi, datus est abbas Hildebertus huius cœnobij monachus, qui moribus & scientia non infimè decoratus, tali honore dignus habitus est.

Hildebertus.

Marquardus uerò monachus huius cœnobij, & ipse uir multarum uirtutum & diuinarum scripturarum studiosus amator, ad monasterium in Deckingen Augustensis diocesis, ad instantiam monachorum ibidem commorantium missus est, & in abbatem eisdem ritè ordinatus.

Marquardus.

Ad monasterium quoque in Alpersbach missus est pro abbate uenerandæ memoriæ huius cœnobij Hirsaugiensis nomine Bertholdus, qui aliquanto tempore fuit prior cellæ S. Gregorij in Richenbach, uir omni dignus honore.

Bertholdus.

Ad monasterium uerò in Ottenburen Augustensis diocesis abbas directus est Vuilhelmus, primò monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, ac deinde præpositus in Roth, eiusdem Augustensis diocesis, inde per episcopos & monachos præfati monasterij ad abbatiam euocatus.

Vuilhelmus.

Ad monasterium in Schuttera Argentinensis diocesis, de cuius fundatione longè superius mentionem fecimus, abbas datus est huius cœnobij monachus Ioannes cognomento Vuedel, qui primò per annos aliquot prior claustralis in hoc loco extitit, deinde prior in Richenbach factus est, ac postremò sub Blasio abbate anno dominicæ natiuitatis millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, indict. 10, mortuo Iohanne Phul abbate

Ioannes.

*Regressio ad historiam fit.*

abbate in Schuttera, qui reformationem nostram Bursfeldensem uulgariter dictam primus assumpsit, in locum eius ordinatus est abbas, uir ingenio mitis, non tamen remissus, in agendis curis temporalibus satis industrius, zeloque disciplinæ regularis, & uitæ honestate coram omnibus eum cognoscentibus irreprehensibilis, qui cum adhuc præsentem habeatur in uita, honestate admonemur religiosa ab eius laudibus temperare. At uerò non minibus eorum qui ex hoc monasterio ad diuersa cœnobîa à tēpore Vuilhelmi abbatis usque in præsentem dominicę natiuitatis annum 1501. quo ista scripsimus, Maximiliano Romanis imperante, sunt cōstituti abbates per ordinem, quantum ad notitiā nostram peruenerunt ritè signatis, quāquam per negligentiam ueterum, multorum nomina prætermittenda sunt, ad ordinē assumptæ historiæ tandem nobis est reuertendum.

*Henricus rex ab Antipapa Romæ benedicitur. Augusta capitur.*

Anno igitur Vuilhelmi abbatis 15. qui fuit dominicę natiuitatis 1084. annus. Henricus rex quartus nominis huius, cum Bertha uxore sua in die sancto paschatis Romæ benedictionem imperialem ab antipapa Clemēte suscepit. Postea inde digressus, Italiāque transiens, Augustam ciuitatem Rhetiorum ab Alemannis inuasam obsedit & cepit.

*Synodus.*

Anno sequente qui fuit abbatis Vuilhelmi 16. synodus magna episcoporum & abbatum Moguntinæ in monasterio S. martyris Albani, iussu Henrici regis contra S. papam Gregoriū 7. celebratur, cui ipse cum legatis antipapæ Clementis personaliter interfuit, & omnes contra Gregorium in obedientiam ipsius Clementis iurare potentialiter compulit. Huic synodo præfedit Vuetzilo archiepiscopus Moguntinus, successor Sifridi pontificis, de quo plura iam in superioribus nos dixisse meminimus, qui Gregorium papam depositum pronuntiabat. Erat autem iste Vuetzilo uir doctus, tam in diuinis scripturis quàm in literis secularibus, eloquio dulcis & facundissimus, tantusque uerbi Dei prædicator suo tempore habitus est, ut similem habuerit neminem. Ad hanc synodum Vuilhelmus abbas sanctissimus per epistolas regiās uocatus, uenire contempsit, subtili se adinventione tutatus, malens pro defensione uicarij Christi rerum corporisque periculis audacter subijci, quàm prauorum consensu maculari. Eodem anno Gregorius papa 7. apud Salernam moritur, cui per electionem canonicam primū successit Desiderius abbas monasterij Casinensis ordinis nostri, qui Victor tertius appellatus est.

*Gregorius papa moritur.*

Anno Vuilhelmi abbatis 17. qui fuit dominicę natiuitatis 1086. Henricus rex Saxoniam cum exercitu magno & patriam undique omnibus iratus præda & incendio deuastat. Hermānus autem quem Saxones contra Henricum in regem iussu Gregorij papæ constituerant, congregato exercitu quàm maximo iuxta Herbipolim ei in loco occurrit, qui dicitur Bleichfeld, ubi conferto prælio innumerabilis multitudo ex utraque parte occubuit. Hermānus uictoriam obtinuit, & ciuitatem Herbipolensem cepit, quam tamen Henricus rex statim per manum ualidam suorum recuperauit. Hoc ipso anno ordo Carthusiensis in diocesi Gratiapolitano fundari cœpit, quod sic accidit. Sanctus Hugo episcopus, tunc Gratiapolitanus, uidit per somnium in solitudine Carthusiæ Deum suæ dignationi habitaculum construentem, stellas etiam septem ducatum sibi præstantes itineris. Et ecce sanctitatis eius odore attracti, ad ipsum ueniunt septem uiri, qui omnes uno desiderio succensu, locum uitæ eremiticę congruum quærebant, nec dum repererant. Horum primus fuit Bruno, ex Colonia Agrippina oriundus, magister in Theologia Parisiensis, uir autem religione scientiaque

*Bellum inter Henricum & Hermānum.*

*Herbipolis capitur.*

*Ordo Carthusiensis.*

scientiaꝫ literarum famosissimus, alij quatuor literati & duo laici, quos S. Hugo gratanter suscepit, & uoti compotes fecit. Ipso nanque consulente, adiuuante, & comitante, Carthulie solitudinem intrantes, mansiones suo proposito necessarias extruxerunt. Circa idem tempus floruit Stephanus Leuita, uir miraculis, abstinentia, & sanctitate clarissimus, qui ex Auernia oriundus, ad territorium Lemnicense demigrans, uitam eremiticam per annos ferè quinquaginta, cum paucis qui ad ipsum confluxerant, exercuit, à quo coepit ordo Grandimontensis.

Bruno Colonien-  
sis prior Carthu-  
liensis.

Hoc ipso anno Marianus Scotus, monachus Fuldensis, Chronographus insignis, de quo longè superius mentionem fecimus, apud Moguntiam cum pro Christi amore inclusus moritur, & in maiori ecclesia S. Martini cum honore debito sepelitur.

Marianus Sco-  
tus moritur.

Anno autem Vuilhelmi abbatis 18, qui fuit Domini millesimus octuagesimus septimus, Victor papa hausto ueneno in sacro calice moritur: quod multi insidijs Henrici regis, & Vuigberti antipapæ factum tradunt.

Victor.

Post quem in uerum Christi uicarium electus fuit Otto episcopus Hostiensis, dictusq; est Urbanus secundus, & sedit annis 12. mensibus quatuor. Hic primò fuit clericus Remensis ecclesie, postea factus est monachus Cluniacensis nostri ordinis, deinde prior eiusdem cœnobij, ex priore episcopus Hostiensis, & postremò ex episcopo factus est papa. Hermannus falso regis nomine deposito, permissione Imperatoris ad propria reuersus, post paucos dies in obsidione cuiusdam oppidi occisus interiit. Bertha imperatrix obiit, & apud Moguntiam sepulta est, sed postea ab Imperatore Spiram transfertur.

Urbanus.

Hermannus obiit.

Imperatrix obiit.

Anno sequenti, qui erat Vuilhelmi abbatis 19, Domini autem 1088, obiit Vuezilo Moguntinus archiepiscopus, cui successit Ruthardus. Hoc ipso anno Augusta ciuitas insidijs Sueuorum in cœna Domini capitur, & secunda feria post festum paschatis ab eisdem destruitur. Claruit his temporibus in hoc monasterio Hirsaugiensi Adelbertus monachus, qui sub patre S. Vuilhelmo prioris officium annis non paucis strenuè gessit. Erat enim uir omni decore uirtutum ornatus, conuersationis sanctitate à bono magistro nequaquam degenerans, qui licet debilis esset in corpore, mente tamen sursum erectus ad Deum semper in contemplatione diuinorum sanus & firmus perstabat. Eius conuersatio cunctis erat in exemplum, in cuius moribus religio summa, sapientia uera, & charitas perfecta relucebant. Huic sancto uiro in prioratu huius monasterij per ordinationem abbatis Vuilhelmi successit Diethericus monachus, uir omni honore dignus, qui postea factus est abbas monasterij Petershusen in Constantia, quemadmodum supra diximus, ubi gregem sibi à Deo commissum uerbo & exemplo ad fœmitas iustitiæ reuocauit. Post hunc S. pater Vuilhelmus in priorem ordinauit Ottonem monachum uenerabilem senem, moribus & conuersatione maturum, omnibusq; reuerendum, qui per paucos quidem menses prior, per plures uerò annos cellarius monasterij fuit. In disponendis enim negotijs temporalibus, rebusq; domesticis, summa prouidentia uigebat: quo factum est, ut ipso exteriora cuncta sapienter disponente, sanctus pater interius liberius uacando esset intentus. Et quamuis ratione curæ domesticæ cum Martha cogeretur esse sollicitus erga plurima, spirituale tamen Mariæ ocium non neglexit, sed ita semper curabat tēporalia, ut spiritualis conuersationis sancta exercitia non obmitteret. Post hunc S. pater priorē cōstituit Gebhardū uirum nobilē, & in omnibus agēdis singulari prudētia mirādū, qui ei

Augusta capitur

Adelbertus

Diethericus.

Otto, prior cella-  
rius huius loci.

Gebhardus.

qui & in abbatiâ huius monasterij (ut dicemus postea) successit, de cuius moribus & uita suo loco dicemus. Anno Vuilhelmi abbatis 20. qui fuit natiuitatis dominicæ 1089, Sigeuinus archiepiscopus Colonienſis obiit, cui Hermannus tertius, cognomento Diues in ordine successit.

*Hermannus.*

*Eppo.*

*Imperator secundam duxit uxorem*

Post mortem Dietmari Vuormatiensis episcopi, quæ accidit anno Domini 1085, indictione 8. Eppo in episcopum ordinatus his temporibus claruit, de quo multa miranda narratur, & annis non paucis in episcopatu suo præfuit. Imperator nuptias Colonie celebrauit, quædam Vdonis marchionis uiduam nomine Praxedem, Ruscorum regis filiam, ducens uxorem, de qua suscepit filium nomine Henricum, qui post patrem repudiato Conrado regnauit, & filiam nomine Agneten. Inde Aquisgrani digressus Conradum filium suum seniore ungi in regem fecit, quem tamen postea nato Henrico quinto repudiavit.

*Plaga horrenda fœuit in populo.*

Hoc anno pestilentia maxima fuit in occidentali parte Lotharingie, ubi multi sacro igne interiora consummente putrescentes membris exelis, instar carbonum nigrescentibus, aut miserabiliter moriebantur, aut manibus aut pedibus putrefactis truncati, miserabiliore uitæ reseruabantur. Multi uero neruorum contractione distorti miserabili tormentorum genere cruciabantur. Terræmotus magni in diuersis Europe locis fuerunt. Anno ab-

*Imperator Italiâ ingreditur.*

batis Vuilhelmi 21. qui fuit domini 1090. Imperator Italiam rursus ingreditur, ibique ferè per 7. annos moratur, Florentiam obsidione cingit, & multa prælia committit. Anno Vuilhelmi abbatis 22. nondum completo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1091. maius cœnobium Hirsaugienſe, quod pater ipse sanctus ante octennium incepit, impensis marchionissæ, per manus fratrum sub eius obedientia militantium, hoc in loco quo hodie cernitur nouo, à foundationis initio consummatum est anno. Cõpletis autem omnibus

*Monasterij noui consummatio.*

quæ ad structuræ huius rationem pertinebant, sanctus pater Vuilhelmus ipsum templum monasterij per gyrum pauperibus repleuit, à superiori uide licet parte altaris usque ad ualuas uersus occidentalem plagam extremas, & clausis ianuis per seipsum omnibus cum maxima humilitate ad mensam ministravit. Iamque deinceps usque ad diem obitus sui plus solito pauperibus stipendia erogauit. Eodem igitur anno domini nostri Iesu Christi 1091. huius monasterij Hirsaugienſis ecclesia per S. Vuilhelmum abbatem à fundamentis egregio tabulatu nouiter constructa, ad ipsius instantiam est dedicata in præsentia episcoporum, nobilium, abbatum, & multorum notabilium hominum, in honore sanctorum Apostolorum Christi Petri & Pauli, Dedicacione huiusmodi facta sanctus pater miro æstuabat desiderio, ut aliquas de sancto apostolorum principe posset habere reliquias, in cuius honore tam sumptuosum templum construxerat. Communicato igitur con-

*Nota pij patris Vuilhelmi facti.*

*Gebhardus prior Cluniacum mittitur.*

silio seniorum, misit ad Cluniacum priorem suum Gebhardum uirum doctum & ualde prudẽtem, ad Hugonem uenerabilem sanctissimumque abbatem, rogans ut sibi aliquas de S. Petro apostolo reliquias trãsmittere dignaretur. S. autem pater Hugo abbas Cluniacensis, susceptis literis amantissimi sui Vuilhelmi, cognitoque sancto eius desiderio, misit illi cum epistolis per manus ipsius Gebhardi prioris de capillis S. Petri Apostoli preciosissimas & ueras reliquias. Sed priusquam ad Hirsaugiam rediret Gebhardus, famulus Christi Vuilhelmus ad Dominum migrauit, quæadmodum suo ordine dicemus. Nam post dedicationem noui monasterij, nouem duntaxat hebdomadibus superuixit, unde & propter breuitatem temporis congregatio uiuente S. abbate, de cœnobio S. Aurelij non exiuit.

*S. Hugo mittit reliquias S. Vuilhelmo abbati.*

Igitur

Igitur instante natali beatissimorum apostolorum Christi Petri & Pauli, reuerendissimum abbatem Vuilhelmum languor inuasit, qui licet debilis esset corpore, nocturnis tamen uigilijs & diuinis officijs deuotissima presentia interfuit. In die festo ipsorum Apostolorum missam in priuato ad principale monasterij noui altare celebrauit, quæ ei & ultima fuit, sustentatus manibus fratrum ab utroque latere, cum stare per se penitus non posset. Cum maxima igitur deuotione mentis in Deum, quasi profecturus ad eum, cui in hac uita fideliter seruiuit, mercedemque operis sui recepturus, qua potuit altitudine uocis, missam inchoauit, dicens uerbis beatissimi Pauli Apostoli: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem iustus iudex. Quarto dehinc die in capitulum se portari fecit, conuocatisque omnibus exhortabatur eos, ut in melius semper proficerent, in primis monens eos de continuo dei amore habendo, de seruore monasticæ religionis, de obseruantia mutua dilectionis, deque hospitalitate sollicitè custodienda. Et quasi alter Moses in Deuteron. replicauit omnia quæcunque illos à principio docuisset. Tertio demum die in oratorium B. Mariæ semper uirginis, quod ipse ad meridionalem construxerat plagam, se de nouo portari fecit, celebrataque missa coram eo, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi de manu sacerdotis cum ingenti deuotione accepit, Deinde sacro inunctus oleo ad cellam suam reportatus est, ubi ualedicens fratribus die postera feliciter in Domino quieuit 4. nonas Iulij, anno dominicæ natiuitatis 1091. indictione 14. Sub Henrico Imperatore quarto & Urbano papa 11. Anno suscepti regiminis 22. ætatis uero suæ anno 65. Ad eius funeralsia conuenerunt duo episcopi, abbates quinque, & clerici cum populo multi, qui per dies quinque continuos eius celebrarunt exequias: quibus completis, in medio ecclesiæ nouæ quam construxerat, sanctum eius corpus cum honore & reuerentia sepelierunt, cuius sepulchrum competentis structura fabricatum usque in hodiernum diem inuolutatum perseuerat. Eius uitam Haymo prior huius cœnobij post Gebhardum, latiori sermone descripsit, sicut in suo loco inferius dicemus. Mortuo autem Sabbate Vuilhelmo, & absente priore Gebhardo, magna fratres tristitia inuasit: quia manere diu sine pastore, uidebatur eis plenum periculo: & instituere nouum abbatem, priore absente, penitus non audebant. Expectantibus autem illis cum mœrore prioris sui aduentum, ecce post dies paucos desideratus aduenit, afferens secum preciosas principis Apostolorum reliquias, capillos uidelicet de eius capite ueros, quos S. Hugo Cluniacensis abbas reuerendissimo patri Vuilhelmo, in signum mutua dilectionis pro magno munere misit. Verum Gebhardus prudenti usus consilio, ipsas beati Apostoli reliquias non statim ad monasterium intulit, sed eas cuidam fidei prefbytero in uicino commoranti, donec oportuno tempore cum honore congruo ad monasterium introducerentur, seruandas commendauit. Ad diem igitur festum eiusdem apostoli proximum, quem ad uincula Petri appellat, conuocatis abbatibus uicinioribus & alijs religiosis uiris non paucis, ipse sacræ Apostoli reliquiæ ad monasterium Hirsaugiense cum ingenti lætitia fratrum susceptæ sunt. Et primò quidem super sepulchrum sanctissimi abbatis Vuilhelmi repositæ fuerunt, cui specialiter erant transmissæ, ut qui uiuus Apostoli petiuit reliquias, eisdem primus potiretur uel mortuus. Dein de singulis per ordinem sacris imprimentes osculum reliquijs, Dominum in donis suis collaudabant. Postremò cum reuerentia maxima, in scrinio ad hoc decenter aprato, repositæ sunt ad deuotionem posteritatis cõseruan-

Vuilhelmus abbas infirmatus.

Missam celebrat ultimam.

Vitam S. abbatis Vuilhelmi quis conscripserit.

Prior Gebhardus Cluniaco cum alijs reuertitur.

Capilli S. Petri Hirsaugiam portantur.

Vuilhelmus abbas claret miraculis.

da. Et iste quidem finis uiuendi in hoc mundo reuerendissimo patri Vuilhelmo fuit, qui non solum post mortem, sed etiam in uita multis legitur clariuisse miraculis: de cuius moribus, gestis, & institutis, si quis omnem historiam scire perfecte desiderat, uolumen quod omnem uitam eius continet, percurrat. Huius autem uiri sanctissimi fama longè lateq̃ dispersa per orbem, multos etiam quoscūque uiderat, in eius amorē pertraxit. Multi quoque rectores unà cum subditis suis commissis, cōfraternitatem cum ipso & monachis Hirsaugiensibus perpetuam, pactis suffragiorū interpositis laudabilem contraxerunt, diuersis diuersa post mortem subsidia orationū dantes & recipientes. Ex his nos eorum monasteriorum nomina ad posteritatis notitiam peruenire, præsentium tenore cupimus, cum quibus amicitiam inisse confraternitatis abbatem sanctissimum Vuilhelmum, dum adhuc in præsentī uiueret uita, scimus.

Cluniacum.

Inter omnia uerò primum fuit monasterium illud famosissimum Cluniacense, à quo reformationis suæ initium Hirsaugia sumpsit, & ob id confœderationem à Vuilhelmo cum ipso factam, multis postea annis inuiolatam custodiuit. Aliorum ista sunt nomina:

Nomina monasteriorum confraternitatem habentium.

- Monasterium in Schafhusen Constantiensis diœcesis.
- Monasterium Diuionense.
- Monasterium maius Turonense.
- Monasterium Augiense in diœcesi Constantiensi.
- Monasterium Corbeïense in Vuestphalia Padebornensis diœcesis.
- Monasterium S. Mariæ ad eremitas Constantiensis diœcesis.
- Monasterium in Rinaugia eiusdem Constantiensis diœcesis.
- Monasterium Cremelmunster.
- Monasterium Petershusen in Constantia.
- Monasterium Altdorff Argentinenensis diœcesis.
- Monasterium in Comburg Herbipolensis diœcesis.
- Monasterium Ottenburen Augustensis diœcesis.
- Monasterium Zuereiffalten Constantiensis diœcesis.
- Monasterium S. Georgij Constantiensis diœcesis.
- Monasteriū Reinhardisbronna in Thuringia Moguntinensis diœcesis.
- Monasterium S. Petri in Erfordia eiusdem diœcesis Moguntinæ.
- Monasterium in Besselbronna Augustensis diœcesis.
- Monasterium cellæ S. Petri in Brîsgauu.
- Monasterium cellæ S. Pauli apud Carentinos.
- Monasterium S. Ioannis Baptistæ apud Parthenopolim Magdeburgensis diœcesis.
- Monasterium fratrum de Ritenbuch.
- Monasterium in Neresheim Augustensis diœcesis.
- Monasterium fratrum de Mortbach.
- Monasterium fratrum de Franckenthal Vuormatiensis diœcesis.
- Monasterium in Inna Constantiensis diœcesis.
- Monasterium in Suartzach Argentinenensis diœcesis.
- Canonici quoq̃ maioris ecclesiæ Spirensis confraternitatem cum domino Vuilhelmo & fratribus huius cœnobij contraxerunt.
- Monasterium in Schluchtera Herbipolensis diœcesis.
- Monasterium Castellense in diœcesi Eisterensi.
- Monasterium in Hasungen Moguntinensis diœcesis.
- Monasterium S. Eucharij Treuerensis, quod hodie S. Matthiæ dicitur.

Monasterium

Monasterium S. Pantaleonis in Colonia,  
 Monasterium in Breitenau Moguntinensis diocesis.  
 Monasterium in Gegenbach Argentinensis diocesis.  
 Monasterium in Echlingen Augustensis diocesis,  
 Monasterium Ameneberg.  
 Monasterium cellæ S. Mariæ.  
 Monasterium Etenheimmunster Argentinensis diocesis,  
 Monasterium Godisau Spirensis diocesis.  
 Monasterium Osenhusen Constantiensis diocesis.  
 Monasterium Mediolacense Treuerensis diocesis.  
 Monasterium Bagenak.  
 Monasterium Anhusen.  
 Monasterium S. Vdalrici in Augusta.  
 Monasterium Brininga in Bohemia.  
 Monasterium quod dicitur Nuuemunster.  
 Monasterium in Claderub.  
 Monasterium S. Blasij Constantiensis diocesis.  
 Monasterium Murense in eadem diocesi Constant.  
 Monasterium quod appellatur Kodeuicum,  
 Monasterium Neuustadt Herbipolensis diocesis,  
 Monasterium Clingenmunster Spirensis diocesis.  
 Monasterium in Blidenstad Moguntinensis diocesis.  
 Monasterium in Vuiblingen Constantiensis diocesis.  
 Monasterium Mafsiliense.  
 Monasterium S. Leonhardi,  
 Monasterium Sigenbergense, Coloniensis diocesis.  
 Monasterium de Sunshelm Spirensis diocesis.  
 Monasterium in Bruuwiller Coloniensis diocesis.  
 Abbatissa quoque de Homburg similem confraternitatem à S. patre Vuilhelmo & fratribus Hirsaugiensibus cum cæteris obtinuit.  
 Monasterium S. Heimerani Ratisponensis,  
 Monasterium S. Maximini prope Treuerim.  
 Monasterium S. Albani Mogunt.  
 Monasterium Lympurg Spirensis diocesis.  
 Monasterium in Amorbach Herbipolensis diocesis.  
 Monasterium S. Vdalrici prope Constantiam,  
 Monasterium in Eidenheim Eistetensis diocesis.  
 Monasterium Montis monachorum Bambergensis diocesis,  
 Monasterium Suartzach Herbipolensis diocesis.  
 Monasterium S. Burchardi iuxta Herbipolim.  
 Monasterium in Deckingen Augustensis diocesis,  
 Monasterium sanctæ crucis in Vuerdea Augustensis diocesis.  
 Monasterium S. Nazarij in Laurissa Vuormatiensis diocesis.  
 Sed & alia pleraque monasteria sub confraternitatis mutue titulo, in eadem confraternitatem Hirsaugiensium à sancto abbate Vuilhelmo suscepta fuerunt, quorum nomina ad memoriam nostri uenire non permisit temporis nimia uetustas. Canonici quoque secularium ecclesiarum simul & cathedralium in diuersis prouincijs constituti, principes quoque nobiles, pontificesque & potentes multi in seculo, audita conuersatione sanctissima Vuilhelmi abbatis, & monachorum Hirsaugiensium, eorum se orationibus de-

*Alia cœnobiaz ne-  
 glecta sunt anti-  
 quitate temporis.*

*Hirsaugienſium  
fratrū fama ſan-  
ctiſſima.*

uotiſſimè commēdantes orabant inſtantius in eorum ſuſcipi confraternitatem. Tanta enim de illa ſanctiſſima cōgregatione bona, in omni terra tempore Vuilhelmi dicebantur ab omnibus qui Deum amabant, ut beatos ſe crederent quicunq; ad eorum confraternitatem fuiſſent admiſſi. Nec erat inter multos tunc celebris ocioſa iſta memoranda fraternitas, quæ miſſis & orationibus ſanctorum cumulata, defunctorum animabus grata, ſubſidia miniſtrabat. Hoc enim compacta ſonabāt, ut quoties defunctus aliquis de monaſterio ſub confraternitate præfata ſuſceptus, in cœnobio Hirſaugienſi denunciatus fuiſſet, conſtitutæ pro eo mox fierent orationes, uigiliæ, miſſæ, diſciplinæ & elemoſynæ, quas pariformiter & ab alijs pro ſe fieri poſt mortem ſinguli expectabant. Denique ſi quando contigiſſet aliquem monachorum de cœnobio hanc confraternitatem cum Hirſaugienſibus habente, ad Hirſaugiam uenire, cum tanta ſuſcipiebatur charitate, ut non alienus & aduena, ſed domeſticus & incola cœnobij huius eſſe putaretur. Similis exhibitio charitatis impendebatur fratribus huius monaſterij Hirſaugienſis ad ea loca uenientibus, cum quibus fraternitatis conſœderationem habebant. Sed nunc ad ordinem hiſtoriæ reuertamur.

*Vacauit abbatia*

Igitur Vuilhelmo abbate ſanctiſſimo feliciter mortuo, ſeptem & uiginti diebus abbatia uacauit propter abſentiam Gebhardi abbatis futuri, tum quidem prioris, quem miſſum pro reliquijs S. Petri Apoſtoli ad Cluniacum diximus.

DE GEBHARDO HUIVS MONASTERII ABBATE  
XIII. qui præfuit annis XIII. menſibus III. & de geſtis  
eius & illius temporis.

*Gebhardus in ab-  
batem eligeſtur.*

*Vita ipſius Geb-  
hardi.*

*Fit canonicus  
Argentinenſis.*

**R**euereudiſſimo atq; ſanctiſſimo abbate Vuilhelmo uiam uniuerſæ carnis feliciter ingreſſo, poſtea quàm abbatia huius monaſterij uacaret diebus 27. ad electionem noui paſtoris fratres conuenerunt in unum, ipſo die quæ dicitur ad uincula Petri, quādo (ſicut prædiximus) capilli eiſdem Apoſtoli in præſentia multorum abbatum, monachorum atq; fidelium ad monaſterium fuerunt introducti: factaq; inter ſe collatione neceſſaria, ipſum Gebhardum priorem ſuum in abbatem unanimiter elegerunt, uirum ad regimen animarum ſatis idoneum, natione Sueuum, literis & eloquentia ſingulariter imbutum, qui electus, ut præfertur, prima die menſis Auguſti, anno Domini 1091 indiſt. 14. ſub Imperatore Henrico 4. & Urbano papa 2. præfuit monaſterio annis 14. & menſibus 3. quibus euolutis, in epiſcopum Spirẽſis eccleſiæ (quemadmodum ſuo loco dicemus) electus eſt. Fuit autem (ſicut diximus) ex Sueuia oriundus, nobili proſapia genitus, ſtatura corporis nec breuis nimium nec longa proceritate deformis, ſed debita mediocritate proportionatus, nigro capillo, in circuitu capitis ornatus, corpore craffus, & pulchra moderatione diſpoſitus. Cùm adhuc puer eſſet, magiſtris ad dicendum literas à parentibus traditus fuit, in quibus cum tempore uſq; adeo profecit, ut in omni literatura tam ſeculari quàm diuina ſimilem uix haberet. Erat enim uir undecunq; doctiſſimus & ſingulari eloquentia, tam in Romana quàm in lingua Teuthonica præditus. Annis tãdem puerilibus cum ſtudio literarum emenſis, in eccleſia Argentinenſi Canonicus factus eſt, ubi cum diuitijs & honoribus auctus quotidie intumeſceret, nihil minus quàm conuerſionem cogitabat. Raro enim diuitibus, maxime clericaliſ, ſolet ad eſſe compunctio: quia quanto plus intendunt ſecularibus curis, tanto minus de ſua ſunt ſalute ſolliciti. Ita & Gebhardus iſte Canonicus de quo loquimur, cùm nobilitate generis & affluentia diuitiarum inaniter ſu-  
pra ſe



pra se eleuaretur in altū, pauperibus Christi, & monachis maximē, non solum nihil boni exhibuit, sed etiam spernens & contemnens, multas iniurias eis inferre consueuit. Vinum namq̄ quod ex donatione fidelium fratribus Hirsaugiensis cœnobij in Alfatia creuit, per uolentiam rapuit, & in uitis omnibus, in proprios usus conuertit. Quod eo facilius facere potuit, quo sanctum uirum Vuilhelmus cum Romana ecclesia sentientem, nullum ab Henrico rege defensionis auxilium speraturum sciuit. Admonitus tamen per uiros bonos super hoc temerario facto, cum abbate Vuilhelmo compositurus uenit ad Hirsaugiam tumidus, superbus, & elatus, nihil minus habitu & gestibus quàm religionis amorem demonstrans: sed Deus omnipotens, in cuius potestate sunt omnium corda hominum, qui Saulem persecutorem fidei Christianæ Paulum defensorem effecit, etiam huius uiri mentem in aliud propositum subito commutauit. Sagaci namq̄ consideratione, fratrum mores & conuersationes explorare cœpit, disputantemq̄ de contemptu mundi sanctum patrem audiuit, & captus in eius sermone, sancto intus agente spiritu, propositum subito mutauit: & ualedicens pompis & curis seculi, factus est in hoc cœnobio sub monastico habitu famulus Dei. Qui cum sanus & incolumis aliquandiu inter fratres laudabiliter conuersatus fuisset, ut patientia eius coram omnibus probaretur, grauissimum languorem incidit, ita ut membris omnibus penè resolutis manum ad os non ualeret porrigere, nec de uno latere in aliud sine aliorum adminiculo se mouere. Hac infirmitate plus integro anno miserabiliter, sed cum multa patientia ægrotauit, quousq̄ misericors Deus uires ei restituit manducandi, sedendi, legendi, & in scamniolis super terram instar puerorum reptandi. Præter enim linguam hætenus nullum membrorum suorum mouere potuit. Quadam uerò die, uir domini Vuilhelmus cellam ægrotantis ingreditur, & ut usum uel dextræ manus à Domino precibus deuotis peteret, Gebhardum iacentem exhortatur. Renuens ille cum summa detestatione, confirmans se corporis salutem omnino paruipendere, ut bene decocta scorea purgatus pōset ad Deum peruenire. Pius autem pater misericordia motus dexteram illius apprehendens benedixit, orat, deosculaturq̄ eum, & pristinæ sanitati cernentibus cunctis subito restituit. Post paucos uerò dies uxor fratris ipsius Gebhardi, ad eum gratia uisitationis cum familia multa aduenit, ad quam in sella portatus gestatoria, cum interloquendum brachij sui miraculosam sanitatem proferret in medium, apprehendens illa dexteram ipsam sanatam, muliebri eam quasi sanctificatum quippiam deosculatur affectu. Et ecce brachium ipsum miraculose sanatum, mox ad tactum foeminae, quamuis deuotæ, miraculosius ad pristinam rigiditatem reuertitur. At ille dissimulato quod acciderat, Germani salutata uxore, ad cellam suam reportari se fecit. Vuilhelmus autem sanctissimus pater, discens in spiritu sancto quod accidit, mox ad cellam ægrotantis uenit dicens, Hæc est poena temeritatis tuæ frater, qui manum Deo consecratam ipsiusq̄ misericordione sanatam, foeminae gloria tactus inani præbuiisti osculandam. Admonitus deinceps, ne simile feceris esto: iterumq̄ apprehendens ipsum brachium sancta sua benedictione sanauit, quem totum non multo post orationibus suis ad pristini status ualitudinem reduxit. Veruntamen ex eadem infirmitate quoad uixit, semper uno pede claudicauit, quatenus memorem eorum quæ sustinuerat amplius, non peccaret. Nam cum esset uir tam generis nobilitate clarus, quàm acrimonia ingenij sublimis, animiq̄ constantia, sapientia, scientia & eloquentia singulari, prærogatiua insignis &

*Auferit uinum  
Hirsaugiensibus  
monachis.*

*Ad Hirsaugiam  
uenit Gebhardus*

*Gebhardus fit  
monachus.*

*Paralyticatus dis  
solvitur.*

*Miraculum Vuil  
helmi abbas su  
per Gebhardum.*

*Brachium eius ad  
tactum foeminae  
rigescit iterum.*

*Increpatio s. ab  
batis Vuilhelmi.*

Gebhardus in  
priorem ordina-  
tur.

magnæ quoque in seculo reputationis, pia Domini castigatione flagellatus est, ne forte omnibus succedentibus prosperè, mens in elationis orcum laberetur. Restitutus autem sanitati cum in omnibus religiosè cōuersaretur, in priorem huius monasterij, consilio fratrum à S. patre Vuilhelmo constitutus est: in quo quidem officio magnam diligentiam fecit, & fratres in omni humilitate, patientia, charitate & obseruantia regulari semper studiosè præcessit. Postea cum sanctus pater Vuilhelmus in constructione noui monasterij Hirsaugiensis multum esset occupatus, ipsiusque laboris assumpti cerneret appropinquare consummationē, uolensque S. Apostolorum principem Petrum ecclesiæ suæ ordinare patronum, ingenti cupiuit desiderio aliquas de eius sacratissimo corpore habere reliquias, quas in nouam à se fundatam reponeret ecclesiam. Misit ergo uenerabilem uirum Gebhardum priorem suum cum literis & epistolis commēdatiuis, Romam ad summum Pontificem Urbanum 2, qui aliquando in Cluniaco monachus fuerat, petens sibi aliquid de beatissimi principis Apostolorum reliquijs transmitti. Veniens ad papam prior Gebhardus, benignè quidem ab eo susceptus est, petitas tamen reliquias obtinere non potuit. Audiuit autem à summo ipso pontifice Gebhardus de capillis S. Petri ueras in monasterio Cluniacensi reliquias haberi, deditque consilium papa ut Vuilhelmus abbas, tanquam amicus S. Hugonis ex illis aliquid postularet quod & postea factum est. Verum papa ne uacuum remitteret missum, quorundam aliorum sanctorum reliquias Beato Vuilhelmo abbati per manus eiusdem Gebhardi, pro charitatis munere destinauit. Reuersus autem ad Hirsaugiam prior Gebhardus, uerba summi pontificis S. patri retulit, & particulas reliquiarum sibi ab eodem traditas, abbati cum lætitia præsentauit. Audiēs uero S. abbas Vuilhelmus de capillis B. principis apostolorum Petri, apud sibi amantissimum abbatem Hugonem in Cluniaco contineri aliquid, ualde gauisus est: confidens sibi nihil penitus ab eo posse denegari, cui se fore amantissimum iam multis beneficijs fuisset expertus. Igitur post paucos menses, iterum ad se suum uocauit priorem, quem idoneum ad quæque ardua peragenda, præ cæteris omnibus esse sciebat, traditisque literis ad reuerendissimū abbatem Cluniacensem S. Hugonem, cum precibus destinauit ad Cluniacum pro impetrandis capillis præfati Apostoli Petri uel paucissimis. Venerabilis autem Gebhardus legatione suscepta, uirtute sanctę obedientię armatus, se quam humilimè ad iter indictum accinxit: cui abeunti benedictione regulari præmissa, sanctus pater sub ænigmate dixit, Vade quam celerrimè fili, quoniā nisi Petrum præuenias, & Paulum, non mihi, sed tibi laboriosum iter assumpsisti. His dictis Gebhardus abiit, non intelligens uerba S. abbatis, quibus mortem suam imminere ad festum apostolorū prophetico spiritu prædixit. Veniens autem Cluniacum ad S. Hugonem literas abbatis sui Gebhardus prior & sanctum desiderium exposuit, à quo post dies paucos, quibus ab itinere fessus quieuit, tres crines de capillis B. Petri Apostolorum principis in scriniolo argenteo B. Vuilhelmo & fratribus Hirsaugiensibus deferendos, cum ingenti lætitia suscepit. Qui reuertens cum festinatione priusquam Hirsaugiam ingrederetur Vuilhelmum reuerendissimū abbatem ad dominum migrasse cognouit, reliquias in domo cuiusdam sacerdotis usque ad meliorem deliberationem (sicut diximus) non longè à monasterio reposuit, & in locum defuncti patris sanctissimi, unanimi fratrum consensu abbas electus fuit. Electus autem in die prima mensis Augusti (sicut dictum

Papa mittit Vuil-  
helmo diuersas  
reliquias.

Gebhardus prior  
ad Cluniacum  
mittitur.

S. Hugo.

Gebhardus fit  
abbas.

dictum est) consecrationem suam usque ad diem 13 calend. Aprilium distulit, super quo mirantibus fratribus & ægreferentibus respondit: Sine benedictione consueta hucusque manere fratres Idcirco uolui, ut & ego uobis mores ostenderem meos, & uestrum erga me cognoscerem affectum. In uestra igitur nunc uoluntate relinquo de me statuendi quicquid uolueritis, uestrique adhuc sit arbitrii me pro abbate super uos uel recipere uel repudiare: cui cum omnes quasi uno ore respondissent, se de ipso bene esse contentos, & alium præter ipsum non optare pastorem, gratias eorum de se beneuolentiæ agens ordinari ex more consensit. Pergens igitur ad ciuitatem Constantiensem à Gebhardo eiusdem urbis episcopo cum Romano Pontifice bene sentiente, in præsentia multorum abbatum, prælatorum ac nobilium, in pastorem Hirsaugiensis monasterii ritè consecratus est, duodecimo calend. Aprilis, in natali uidelicet Beati patris nostri Benedicti, institutionis suæ mense octauo, anno Domini millesimo nonagesimosecundo, indictione decimaquinta. Porro in locum suum, consilio fratrum, priorem ordinauit uenerabilem monachum nomine Heymonem, uirum moribus & scientia probatum, qui in colligendis rescribendisque libris pro fratrum utilitate magnam diligentiam fecit. Erat sanè uir studiosissimus, & tam in diuinis scripturis quam in secularibus literis egregiè doctus, ingenio subtilis, & satis admodum completus eloquio, qui eruditionis suæ præclara monumenta reliquit. Scripsit inter cætera ingenij sui opuscula uitam & miracula Beati Vuilhelmi supradicti abbatis: quam tamen quidam alius frater postea uolens ampliare, breuiorem reddidit. Scripsit etiam nonnullos sermones & homilias, quæ ut plurimum ex errore alteri cuidam eisdem nominis Heymoni, ex monacho Halberstadiensi episcopo, uiro æquè doctissimo, de quo longè superius mentionem fecimus, adscribuntur. Itaque commixtæ simul amborum Haymonum homiliæ habentur, ut non nisi sagacissimo lectori, ex ipsa phrasi, licet cum difficultate, possibile sit alterius ab alterius dicta secernere. Ordinato autem Gebhardo in abbatem, congregatio fratrum de sancto Aurelio, ad maius monasterium eodem anno cum lætitia transmigravit, cunctis benedicientibus Dominum, quod hunc diu optatum superuivere diem meruissent. Iste Gebhardus uenerabilis abbas claustrum monasterii & cæteras officinas omnes, quas sanctus pater Vuilhelmus morte præuentus uel non incepit uel inceptas non finiuit, impensas sibi copiosè præbente quodam Vuigando, ciue Moguntino, pro fratrum necessaria mansione construenda perfecit. Fuit autem in gubernanda re familiaris multum idoneus, & in omnibus plusquam crederetur astutus, quippe qui ratione utilitatis sæpe aliud simulabat, atque mente repositum gerebat. Auditus perspicacissimi fuit, ita ut ea quæ in loco dicerentur semoto, facilimo auditu perciperet. Nominatissimus fuit propter sapientiam & eloquentiam suam in tota Germania, non solum apud religiosos & spirituales, sed etiam apud seculares, nobiles & principes: quoniam quicumque eum uel consulentem, uel perorantem semel audisset, statim in admirationem ductus, Hirsaugiam prædicabat fœlicem, quæ talem habere pastorem meruisset. Ad publica consilia principum frequenter uocabatur, in quibus cunctis admirabilis semper apparebat, cum & nectarea uis eloquentiæ, qua cunctos uicebat, mirandam in eo commendaret sapientiam: & ipsam facundiam admirabilem, sapientia incredibilis redderet fructuosam. Sub eius regimine res monasterii

*Benedictionem  
eius distulit.*

*Abbas Gebhardus  
ab episcopo  
Constantiensi be-  
nedicitur.*

*Heymo prior or-  
dinatur.*

*Opuscula prioris  
Heymonis.*

temporales mirum in modum ampliatae fuerunt, aucta praedia, possessiones dilatatae, censusque & redditus annui numero & precio sumpturunt incrementa.

Multi enim uiri nobiles atque ditissimi, & se & sua pro regni caelestis amore fratribus Hirsaugiensis coenobii, sub abbatis Gebhardi magisterio tradiderunt. Eodem anno quo in abbatem fuerat electus Gebhardus iste, tribus uidelicet & septuaginta diebus ante obitum S. patris Vuilhelmi, anno Christianae salutis 1091. 10. calend. Maii mortuus est uenerabilis atque sanctissimus ille Bruuilerensis coenobii abbas Vuolfhelmus nomine, uir tam in diuinis scripturis, quam secularibus literis egregie doctus, cuius sanctissima conuersatio multis profuit ad salutem. Magna inter duos istos reuerendissimos uiros Vuilhelmum Hirsaugiensem & Vuolfhelmum Bruuilerensem familiaritas, pari fuit sanctitate comparata, quae usque ad mortem utriusque inuiolata permansit. Scripsit autem idem B. Vuolfhelmus abbas non sperendae lectionis opuscula, sed pauca eorum ad notitiam meam perueniunt. Legi sub nomine eius de Sacramento altaris, plenum eruditione libellum, quem scripsit contra errores M. Berengarii Turonensis. Carmina quoque de sancto Benedicto, aliisque diuersis sanctis & rebus, cum sermonibus multis composuit. Hic primò fuit monachus in coenobio sancti Maximini Treuerensis, deinde apud sanctum Pantaleonem in Colonia postea factus est abbas in Gladebach Coloniensis dioecesis. Indeque translatus ad Bruuiler eiusdem dioecesis, abbas in ordine tertius ibidem constitutus est. Eius uitam plenam uirtutibus & signis, Conradus monachus atque discipulus eiusdem ueraci narratione descripsit ad Euerardum Bruuilerensem & Hermannum sancti Pantaleonis abbates. Qui Conradus cum esset in sacris secularibusque literis non infimè doctus, & à bono doctissimoque praepatore optimè in omni scientia imbutus, composuit & alia quaedam opuscula, quibus ingenij sui acrimoniam ad posteritatis notitiam transmisit. Claruit istis quoque temporibus in hoc monasterio Hirsaugiensi, sub abbate Gebhardo & quibusdam successoribus eius, monachus quidam doctissimus nomine Conradus, qui scientia & eruditione sua admirabili, famam consecutus est immortalem. Fuit enim non solum in diuinis scripturis studiosus & doctus, uerum in secularibus quoque literis eruditissimus, Philosophus, Rhetor, Musicus, & poeta omnium sui temporis in Alemania celeberrimus. Multa ingenij sui praecleara uolumina posteris legenda ornatissimo sermone composuit, in quibus nomen suum ex humilitate, sub Peregrini uocabulo abscondit. In his praecellit opus illud clarissimum, quod de sancta uirginitate, sub nominibus Peregrini presbyteri, & Theodorae sanctimonialis, in dialogi modum per libros octo distinguens, Speculum uirginum appellauit: opus sane tam utile & necessarium Christi uirginibus, ut satis laudari ab homine mortali non ualeat. In Euangelia quoque, quae per anni circulum ad missam leguntur, magnum uolumen pulchra uarietate composuit. De uita, spiritu, & fructu mortis edidit librum unum: & alium quem Matricularium prenotauit: item alium quem praetitulauit Didascalon: de Musica & differentia tonorum librum unum: metricum quoque opusculum de laudibus S. patris nostri Benedicti. Sermones etiam plures & homilias multas elegantissimasque composuit. Sed & carmina plura & epigrammata diuersa, uarij generis ornatu scripsit, quae ueterum negligentia partim in obliuionem deducta sunt. Nemo cum ista legerit, arbitretur declamatorè illum, qui ex eorum ordine quos Mendicantes uocant emergens, sub

Peregrini

Vuolfhelmus abbas Bruuilerensis obiit.

Conradus monachus in Bruuiler doctissimus.

Conradi istius opuscula.

peregrini nomine sermones ad populum cicatricosos instar modernorum humili composuit dictione, aut nostrum fuisse peregrinum, aut ei comparare aliquatenus posse. Ille enim more declamatorum huius temporis, scholastico sermone depressus incedens, creberrimas introducit quorations scripturarum. Iste autem noster peregrinus Tullianam sequutus eloquentiam, ueterum more sine allegationibus superfluis lucidam, sanam & integram orationem continuat. Floruit hisdem quoque temporibus Theodoricus abbas monasterii S. Trudonis nostri ordinis, uir undecimque doctissimus, qui scripsit inter multa ingenii sui monumeta, uitam eiusdem S. Trudonis, uitam quoque S. Bauonis, uitam etiam S. Reinoldi, & uarios sermones ad fratres. Claruit quoque hoc tempore Stephanus, qui & Herradus, ex abbate monasterii Elfenburgensis nostri ordinis episcopus Halberstadensis, uir doctus & sanctus, qui semper Henrici quarti scelera detestatus cum Romana ecclesia optime sensit. Scripsit ex persona comitis Ludouici fidelis ecclesie Romanæ ad Vualramum episcopum Naumburgensem, qui partes Henrici Imperatoris 4. contra obedientiam summi pontificis pertinaciter defendebat, epistolam non minus elegantem quam prolixam: in qua cunctos errores, crimina & scelera ipsius Henrici regis tam aperte describit, ut nulla deinceps potuerint excusatione negari. Inter cætera uero eiusdem epistolæ sic dicit ad Vualranum defensorem regis schismatici & excommunicati: Audi igitur uera, non fucata: audi fortia, non faceta. Omnis qui dignitates spirituales diuendit, hæreticus est. Dominus autem Henricus, quem regem dicunt, episcopatus & abbatias uendit: etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem & plures alias pecunia, Ratisponensem, Augustensem & Strasburgensem pro gladio, abbatiam Fuldensem pro adulterio, Monasteriensem uero episcopatum, quod dicere & audire nefas est pro Sodomitica immundicia uendit. Quæ si impudenter negare uolueris, teste cælo, teste terra, omnes etiam à furno redeuntis scio, concludent hoc: Dominus Henricus hæreticus est. Pro quibus nefandis malis ab apostolica sede excommunicatus, nec regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia catholici sumus, poterit exercere. Hæc uiri constantissimi scripta & authorem suum in Dei fundatum timore confirmant, & quanta fuerit in Romanam ecclesiam regis Henrici temeritas manifestant, qui persequebatur usque ad mortem omnes, qui obedientiam Christi uicario exhibebant. Vnde cum S. Vuilhelmum abbatem & fratres Hirsaugiensis cœnobii constantes in Romani pontificis obedientia, sibi quoque tanquam excommunicato contrarios esse cognouisset. In publico suorum principum confesso præcepit, Hirsaugiam funditus destrui, & fugatis monachis, bona monasterii in stipendium militibus erogari. Ad hoc facinus perpetrandum Vuernerus episcopus constitutus per simoniam ad ecclesiam Argentinensem, homo peruersus, & S. Romanæ ecclesie atrocissimus inimicus, tanquam obsequium præstiturus Imperatori milites cohortatur suos, promittit prædam ingentem de spolijs monachorum. Cumque milites detestari nefas tam immane in famulos Dei cœpissent, insanus pontifex dixit: Ego uos, o milites fortissimi, in hoc obsequium regis nostri iustissimi præcedam, & quicumque uestrum me secutus non fuerit, reus læsæ maiestatis erit. His dictis lorica induit, qua indutus, equum plenus minarum in monachos Hirsaugienses, ascendit, subitoque clamans & ululans, horribiliter cecidit, & morte subitanea præoccupatus cunctis uidentibus expirauit. Ceteri uero tam miserabile pontificis intuentes exitum, ualde timuerunt, nullusque eorum deinceps ausus est contra mo-

Theodoricus abbas S. Trudonis

Stephanus ex abbate episcopus Halberstadensis,

Epistolam scripsit contra Henricum pro ecclesia Romana. Scelera Imperatoris.

Episcopus iniquus morte subitanea cecidit.

*Furor Henrici  
contra catholicos*

*Abbas de Hasun-  
gen expellitur.*

*Imperator man-  
da iterū destrui  
Hirsaugiam.*

*Conradus filius  
Imperatoris pa-  
tri rebellat.*

*Conradus rex or-  
dinatur à papa.*

*Regina euadens  
de custodia ad  
papam Urbanū  
uenit.*

tra monasterium Hirsaugienſe ſiniſtrum aliquid pertentare. Furor tamen Henrici regis quem contra Hirſaugienſes ſemel conceperat, quàm diu ui- xit, non quieuit: nec Hirſaugiam ſolam perſequebatur odio, uerùm omnes qui cum eccleſia Romana bene ſentientes, eius communionem uitabant, perdere laborabat. Archiepiſcopum Moguntinum Vuezilonem nomi- ne, uirum doctiſſimū, primū ſibi conſentiētem, poſtea uerò contrarium, multis iniurijs afflixit. Eius quoq; ſucceſſorem Ruthardum uenerabilem uirum, de ſede Mogūtina expulit, ipſumq; exulare per nouem annos in mi- ſeria maxima apud Thuringiam coëgit. Abbatem Giſelbertum filium hu- ius conuentus, cum ſexaginta monachis, propter obedientiam quam ſum- mo præſtabant pontifici, de monaſterio Haſungen expulit, & poſſeſſiones ipſius monaſterij miſerabiliter diſtraxit. Multos quoq; pontifices de ſuis eccleſijs furioſe fugauit, abbates & eorum monachos de cœnobijs expu- lit, & multa monaſteria cum eccleſijs ſūdītus deſtruxit. Multis uicibus ami- cis & fautoribus ſuis præcepit, ut monaſterium Hirſaugienſe deſtruerent, ſed orationibus ſanctorum, eius conatus ſemper impediti fuerunt, quemad- modum ex uiſione ſancta quædam abbatiffa in Bauariæ partibus edocta, re- ferre ſolebat. Quamdiu autem Henricus Imperator quartus, uiuixit & impe- rauit, frequentibus minis & terroribus fratres ſuper deſtructione monaſte- rij huius, per eum comminata, inter ſe anguſtiati fuerunt. Conſili tamen in adiutorio altiſſimi, pro cuius amore terrenum regem inſenſum habebant, non armis, ſed orationibus cauſam ſuam ſine intermiſſione defendere ſa- tagebant.

Anno Gebhardi abbatis ſecundo, Conradus filius Henrici Imperatoris ex prima uxore Berta natus, patri rebellare incipit, & Romani pontificis perſuaſus literis imperium ad ſe trahere. Sed opere præciū fuerit cauſæ hu- ius rebellionis contexiſſe principia. Henricus rex pater Conradi Praxedem uxore ſuam ante annos 7. Colonia duxerat, quā nimio cœpit odio habere, ita ut maius eſſet odiū, quàm dilectio qua prius eam amauerat. Vnde nimio in eam odio ſuccenſus, poſuit in cuſtodiam: & conſeſit pleriq; ex ſeruito- ribus ſuis, ut uim ei inferrent, ipſo uidente. Ad tantam uerò dementiā per- uenit, ut etiā filium ſuum Conradum ad concubitum illius inuitaret: qui cū thorum patris maculare recuſaret, exhortando eum rex ad uitricæ illi- citos amplexus inter cætera dixit: Quid timide coire cum foemina tardas, quæ tibi uitrica non eſt? Non enim es filius meus, quemadmodum putas, ſed cuiuſdam peregrini de Sueuia principis, cuius & faciem manifeſtè ha- bes impreſſam. His uerbis ultra modū indignatus filius, iram quidem tunc prudenter ſimulauit, & poſt dies paucos cum quibuſdam ſibi conſentien- tibus ſummum Pontificem Urbanum ſecundum adiit, à quo honorificè ſuſceptus, & in regem ſolenniter conſecratus, in Italia & Longobardia contra patrem regnauit. Erat autem uir optimus, omni bonitate & pro- bitate conſpicuus, humilis, modeſtus, & plenus charitate, ac ſumma in cle- rum monachosq; reuerentia ac pietate. Sed paucos annos poſt ſuam co- ronationem ſuperuiuens, immatura morte ſublatus eſt. Regina uerò poſt multas iniurias & mala inaudita ſibi innocenter illata, Deo miſeran- te, de cuſtodia euasit, & ad Mechtildam Longobardorū reginam potentif- ſimam fugiendo peruenit. Quæ ſuſceptam cum honore ad Urbanum ſum- mum Pontificem eam perduxit. Prouoluta igitur ad pedes Antiftitis Im- peratrix, miſera profuſis lachrymis ac intimis ſingultibus, omnē ſuæ quam pertulerat calamitatis miſeriam intimauit. Papa reginæ compatiens, poſt uerba

pertrulerat, calamitatis miseriam intimaui. Papa reginæ compatiens, post uerba necessariae consolationis synodum in urbe Roma congregat, in quo Henricum regem hæreticum, simoniacum, Nicolaitarum hæreseos principem, sanctæq; matri ecclesiæ inobedientem atq; rebellem publicè denunciãns, pro inauditis sceleribus in uxorem propriam commissis iterum excommunicat, ipsumq; schismaticum & hostem Dei & sanctæ catholicæ ecclesiæ esse proclamat. Regina autem post hæc ad patriam suam, regnum uidelicet Ruscorum reuersa, monasterium uirginum Christi ingreditur, in quo religiosissimè conuersata, tandem in abbatissam ordinis nostri ibidem ordinata perhibetur, & usque ad mortem in sancta conuersatione permansit Eodem anno eclipsis solis facta est 9 calend. Octob. hora diei tertia. Et draco in cælo uisus est, & magna pestilentia & mortalitas hominum & iumentorum subsecuta.

Anno Gebhardi abbatis 5, qui fuit dominicæ natiuitatis 1096. prima expeditio Hierosolymitana sub Petro monacho & Godfrido de Bulion, duce Lotharingiæ, ad recuperandum sanctum Domini sepulchrum facta est, cum infinita multitudine ex omnibus Europe nationibus. Huius peregrinationis acta per multos copiosissimè descripra sunt, quæ huic inferere chronica minis esset prolixum & rædiosum Fuit autem Godfridus iste comes in Bulion & Lotharingiæ dux, uir fortis & strenuus, qui amore cœlestis regni arduam hanc peregrinationem subiturus, comitatum suum de Bulion cum omnibus prouentibus artinentiisq; uendit episcopo Leodicensi pro trecentis & mille marcis argenti purissimi, quas in eandem expeditionem hilariter expendit. Vnde usq; in hodiernum diem episcopus Leodicensis se ducem de Bulion, non comitem, ob honorem Godfrido postea regi Hierosolymitanorum facto, scribere consueuit. Prius uerò quàm hæc peregrinatio inciperetur, anno uidelicet Gebhardi abbatis 4, multa signa & prodigia in aère uisa sunt. Nam circa nonas octobris apparuit cometes ad plagam meridionalem stans, suumq; splendorem in obliquum gladii more protendens. Stella etiam alia in oriente, sexto calend. Martij uisa est. que locum suum longo interstitio crebris saltibus mutauit. Nubes quoq; sanguineas tam ab occidente quàm ab oriente surgentes, sibiq; inuicem in cœli medio concurrentes, rursumq; medijs ferè noctibus à septentrione igneos exurgere splendores, plerumq; etiam faculæ per aëra uolitantes, multi scriptorum illius temporis se uidisse restantur.

Non multo ante hos annos quidam uenerabilis uitæ presbyter, nomine Suiggerus, in diocesi Coloniensi, cuiusdam diei hora ferè nona, duos equites conspexit in aère concurrentes, diuq; inter se concertantes, alterum qui & crucem non modicam qua percuteret alterum in manu tenere uidebatur, uictorem tandem existere. Quidam etiam presbyter Gerlacus nomine, hora quadam meridiana cum duobus comitibus in sylua deambulans, gladium miræ longitudinis uenti uertigine, ignotum unde leuaretur in sublime deferri uidit, & quousq; uisum altitudo leuaret tam fragorem auribus quàm metallum oculis discreuit. Referebant nonnulli nocturnis horis ciuitatem se in aère pendentem uidisse, diuersasq; hominum quasi turmas diuersis ad eam paribus tam equestri quàm pedestri intendere ordine pedes. Multi etiam crucis signaculum sibi in frontibus, uestibus, uel in quolibet corporis loco diuinitus impressum ostendebant, ipsosq; se stigmate ad eandem Domini militiam præscriptos credebant.

Mulier quædam duobus annis continuis imprægnata, diruptoque tandem

*Henricus rex de-  
nuo excommuni-  
catur à papa in  
synodo.*

*Imperatrix fit sã  
dimenialis in or-  
dine nostro.*

*Eclipsis solis.*

*Passagium ad terram  
sanctam sub  
Godfrido.*

*Godfridus comi-  
tatum suum de  
Bulion episcopo  
Leodi. ensi uendit.*

*Prodigia multa  
app. uisum in  
cælo hoc anno.*

tandem utero filium loquentē effudit. Item infantulus per omnia bimestris natus est. Alter etiam capite bino, & agnelli plures binis capitibus exorti sunt. Species quoque ignis in modum fulguris ad longitudinem hastæ formatus, sed latior clarissimo die, & in ipso solis fulgure discurrens oculos intuentium improviso terrore cōcussit, neminem tamen læsit. Quadam etiam die, sole declinante in occasum, nullaque in aëre nubecula penitus apparente, ecce globi ignei in diuersis aëris partibus multi, quasi discurrentes apparuerunt, rursusque altius eleuati in cœlum sese recipere uidebantur. Multi uerò non ignē, sed angelicas fuisse potestates opinati sunt. In Saxonia bos humana protulisse uerba dictus est, trinaque ad pastorem dixisse uice, Vade, Hierusalem capiatur à Christianis. Dum ergo ista & alia multa portentosa miracula, quæ causa breuitatis omitto, adhuc haberentur præ oculis, ecce quidam inclusus nomine Petrus, in finibus Hispaniæ constitutus, claustris egressus, orbem penè totum commouit, quandam circūferens chartulam, quæ cœlo lapsam dicebat, in qua continebatur uniuersam Christianitatem armis instructam de cunctis mundi partibus, Hierosolymam ire debere, & eam paganis inde pullis possidere perpetuò cum omnibus finibus suis. His uerbis prouocati non solum rustici & ignobiles, sed etiam reges, duces & principes, episcopi, abbates, monachi, presbyteri & laici nobiles, diuites, pauperes, uiri & mulieres, uirgines & moniales, pueri & senes, multitudine penè innumerabiles: uēditis partim possessionibus suis, aut etiam penitus neglectis, quasi diuino quodam feruore agitati, omnes uno ore unaque sententia Hierosolymam pergere statuunt, sanctumque Domini sepulchrum cum omni circa regione de manibus infidelium eripere, & ad Christianum orbem reuocare. Mirabilis ille spiritus, qui tot hominū millia impulit ad iter tam insolitum, cunctis maximè mulieribus. Exeūtes autem in hanc expeditionem mulieres, uirgines & moniales sine numero, uirili utebantur habitu, & inter uiros armata incedebant. Conuenientes autem in unum propositum iter assumunt: uenientesque usque in Pannoniam, magna pars eorum interfecta est, nec immeritò. Cum mulieribus enim & monialibus incedentes uiri, sacerdotes & monachi luxuriabantur in exercitu, & sese immunda fornicatione mutuò fœdantes, iram contra se iusti iudicis Iesu Christi prouocarunt. Godfridus autem dux cum fratre suo Baldeuino & reliquo exercitu, inceptum iter prosecuti, primò Antiochiam, ac deinde Hierosolymam cum reliquis urbibus, domino nostro Iesu Christo eis auxiliante ceperunt. Ibi per Dei populum Godfridus ipse in regem electus est, quo post aliquot annos mortuo, ac iuxta sepulchrū Domini iumulato, in regno frater Baldeuinus successit, & fines Christianorum in circuitu ualde dilatauit. Eodem anno Domini, uidelicet 1096, fundatum est monasteriū abbatiale ordinis nostri Reinhausen, in Saxonia, Moguntinensis diocesis non longè à Gottingen, & pro sustentatione monachorum competenter dotatum. Primus huius cœnobij abbas Reinhardus dictus, uir doctus atque sanctissimus fuit, qui multis in uita & post mortem miraculis claruit: per cuius meritum usque in præsentem diem omnipotēs Deus morbum quem caducum appellant, in eodem loco ipsum deuotè inuocantibus curare perhibetur. Scripsit autem idem abbas Reinhardus sanctissimus, quædam præclara opuscula, quibus ingenij sui præstantiam & præsentibus & posteris ostendit. E quibus præcipua feruntur commentaria in Ezechielem prophetam, in Esaiam prophetam, in Psalmos, in epistolas Pauli Apostoli, opus quoque metricum in Iob, & quædam alia quæ modò mihi ad memoriam non ueniunt,

*Petrus eremita orbem commouit.*

*Mirabilis omnium concursus ad nouam prophetiam.*

*Multi propter luxuriam in Pannonia perierunt.*

*Hierosolyma capitur à Christianis.*

*Reinhardus abbas.*

*Reinhardi abbatis opuscula.*



niunt. His temporibus uenerabilis abbas Gebhardus compatiens laboribus fratrum, in hauriendo aquam de flumine, habito cum expertissimis architectis consilio, per occultos meatus subterraneos aquę ductum impensis non modicis construendo fecit, & in omnes cœnobij officinas aquę copiam introduxit. Anno Gebhardi abbatis 6. qui fuit dominicę natiuitatis 1097. Henricus imperator 4. in die sancto epiphanię Domini filium suum iuniorem Henricum Aquisgrani regem fecit, Conrado maiore filio quem prius coronari fecerat reprobato. Et nisi ipse Conradus immatura morte præuentus ante patrem obiisset, ad imperium Henricus 5. peruenire non potuisset. Anno sequenti Ruthardus archiepiscopus Moguntinus, qui regi Henrico excommunicato fauere noluit, eius gratiam amisit, & in Thuringiam secedens per annos aliquot ibidem quasi in exilio positus durauit. Circa hæc tempora ordo Cisterciensis cœpit, & primũ eiusdem cœnobium in Cistercio hoc ipso anno fundatum est, qui successu temporis ualde creuit, & tam numero quàm diuitijs mirabiliter auctus fuit, de cuius exordio & profectu multa hincinde scripta inueniuntur. Circa hæc etiam tẽpora non longè à Vuormatia multis diebus & noctibus maxima multitudo armatorũ equitum & peditũ apparuit tanquam ad placiti colloquiũ seu bellũ præcessura, & nunc huc, nunc illuc, quasi per turmas discurrerentes circa nonam horam noctis ad uicinum montem, ex quo prodire consueuerant, reuertebãtur. Tandem nocte quadam monachus quidam Limpurgensis cœnobij non procul à monte distantis, de quo exire solebant, assumptis secum quibusdam alijs, ad locum montis accessit: muniensq; se signaculo sanctę crucis, exeuntes de monte qui essent, per uirtutem sanctę & indiuiduę trinitatis, ut dicerent, fortiter adiurauit. Cui unus ex turma respondit: Nos sumus fantasma, nec militum uiuentia turba, sed animę hominum quondam in hoc mundo principi terrenorum militantium, non ante multos annos in hoc loco intersectorum. Arma, habitus & equi, quę nobis dum uiueremus instrumenta erant peccati, etiam nunc post mortem in nobis sunt quædam indicia tormẽti. Omne quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis, quãquã uos ignem nostrũ minimè uideatis. Cumq; monachus utrũ iuari ab hominibus possent inquireret, spiritus respondit, Ieiunijs & orationibus & maximè oblatione corporis & sanguinis Christi adiuuari possumus & rogamus. His dictis, omnis illa multitudo spirituum quasi una uoce clamabat tria uice: Orate pro nobis, Orate pro nobis. Orate pro nobis. Mox omnes in ignẽ resoluti uidebãtur, sed & mons ipse quasi arderet, ignem & maximũ fragorem arborũ & strepitũ emisit. His etiam temporibus monasterium Bursueldense in Saxonia Moguntinensis diocesis in honorũ sanctorum Thomę apostoli & Nicolai episcopi fundatum & constructum est, per Henricum comitem de Northeim & Gerrudem eius legitimam uxorem, anno Gebhardi abbatis 8, qui fuit dominicę natiuitatis 1099. Mortalitas in germania magna fuit. Eodem anno Conradus Traiectensis episcopus 8. calend. Maij, post missarum celebrationem, in sua domo procumbens in orationibus, à quodam Frisio crudeliter interfectus est. Cuius interfectionis ista fuit occasio. Cũ idem episcopus in quadam parte ciuitatis paludiosa, monasterium canonicorum ædificare decreuisset, & propter lutosum situm ponere fundamentum nequiuisset, adfuit inter alios Frisius quidam latomus peritissimus, nomine Ploberus, qui sub interpositione capitis ecclesiam se quadam arte occulta, ad uoluntatem episcopi construere posse in eodem loco, promisit. Sed cùm immoderatam su-

Henricus.

Ruthardus episcopus.

Ordinis Cisterciensis initium

Limpurg.

Bursueldia fundatur.

per his postulare pecuniam. Episcopus dissimulato proposito, largis muneribus filium ipsius Ploberi circumuenit, & arcanum huius artis discens ab eo, mox inchoatam ecclesiam sine ulteriori magisterio perfecit. Quãobrem idem Frisius magnam aduersus episcopum inuidiam concipiens, quod suo uideretur per eum defraudatus lucro, deinceps occidere eum cogitauit, quod & crudelissimè perfecit. Conrado igitur episcopo interfecto & sepulto, Burchardus in episcopatu Traiectensis uir pius atq; deuotus successit. Eodem quoq; anno obiit Hermannus archiepiscopus Coloniensis, cui Fridericus successit. Iste archiepiscopus Fridericus monasterium sanctimonialium in insula Rheni, quæ dicitur Rolandi, non longè ab oppido Bonnensi de nouo construxit, in quo moniales nostri ordinis posuit, Castrum quoq; uicinum Rolandiseck, & aliud quod in altissimo situm non procul à Bonna Vuolkenberg dictum est, unà cum ciuitate Andernacensi, & præpositura quadam ordinis nostri S. Apollinaris iuxta Reinmagen abbati Segenbergeni immediatè subiecta proprijs ædificauit impensis.

Fridericus.

Andernack.

Vrbanus.

Conradus etiam episcopus Eistetensis hoc ipso anno moritur, pro quo alter eiusdem nominis Conradus ordinatur. Vrbanus quoque papa secundus, monachus quondam ordinis nostri, hoc ipso anno mortuus est. Iste papa Vrbanus 2. anno pontificatus sui 7. ad instantiam uenerabilis abbatis Gebhardi priuilegium Gregorij papæ 7. B. Vuilhelmo abbati & monasterio suo Hirsaugiensi gratiose collatum, cum pleniori gratia roborando confirmauit. Cuius bullæ tenor sequitur, & est talis: Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Gebhardo monasterij Hirsaugiensis abbati, eiusq; successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Cùm uniuersis sanctæ ecclesiæ filijs pro Apostolicæ sedis autoritate ac beneuolentiã debitorum existamus, illis tamen locis atq; personis quæ specialius & familiarius Romanæ adherent ecclesiæ, quæq; ampliori religionis gratia eminent, propensiori nos conuenit charitatis studio imminere. Vnde nos beatæ memoriæ prædecessoris nostri Gregorij formam sequentes, eadem tibi tuisq; legitimis concedimus successoribus, quæ ipse prædecessori suo Vuilhelmo & eidem monasterio precibus Adelberti comitis concessit & confirmauit. Qui æternæ retributionis amore succensus, in prædio suo quod dicitur Hirsaugia monasterium à progenitoribus suis antiquitus constructum, nuper amissa restituens uenustè reparauit, & in usus fratrum inibi Deo seruiuentium pluribus possessionibus & redditibus ampliãuit. Quam suæ libertatis institutionem, ne in posterum ulla peruersorum hominum audaciã minuere aut uiolare præsumat, Apostolicæ autoritatis priuilegio muniri & sanctæ Romanæ ecclesiæ tuitione roborari postulauit. Quãobrem præfatum monasterium sub Apostolicæ sedis tutela ac protectione specialiter amplectentes, per præsentis priuilegij paginam statuimus, ut quæcunq; hodie idem cœnobiũ iustè possidet, siue in futurum concessione pontificum, libertate principũ, uel oblatione fidelium, iustè atq; canonicè poterit adipisci, firma tibi tuisq; successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc nominatim designanda duximus: cellulas S. Gregorij, quæ dicitur Richenbach: & S. Martini, quæ dicitur Vischbachonna: & prædium quod dicitur Gilstein, quod datum est pro cella S. Petri quæ dicitur Vuilheim: constituentes, ne uel tu fili charissime Gebharde, uel quilibet tuorum præfatas cellulas destruere, uel ea quæ illis iam concessa sunt, seu concedentur, temerè & uiolenter præsumatis imminuere. Præterea decernimus, ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobiũ temerè perturbare, uel eius possessio-

Richenbach.  
Vischbachonna.  
Gilstein.

nes con-

nes conferre, minuere, uel temeris uexationibus fatigare, sed omnia integra conferuentur eorum, pro quorum sustentatione ac gubernatione concessa sunt uisibus omnino profutura. Constitutionis quoque immunitatis & libertatis modos, quos præfatus comes illustris Adelbertus scripto suæ traditionis inseruit, & regio sigillo imprimi curauit, ad posteritatis cautelam & arcendos infestantium impetus, diligenter statuimus, uti nec de permisis quidlibet negligatur, nec de uetitis quidlibet præsumatur. Obeunt uerò te nunc eius loci abbate, uel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia uel uolentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, uel fratrum pars consilij sanioris, secundum Deum & B. Benedicti regulam elegerint. Consecrationes altarium siue basilicarum, ordinationes quoque clericorum, oleum sanctum, & cætera ad episcopale officium pertinentia, ab episcopo Spirensi, in cuius estis diocesi, accipietis: si tamen catholicus fuerit, & communionem apostolicæ sedis habuerit, & si ea gratis & sine simoniaca prauitate impendere uoluerit. Alias uerò liceat uobis catholicum quem uolueritis adire episcopum, & ab eo consecrationum sacramenta accipere, qui apostolica fultus autoritate, quæ postulatur indulgeat. Aduocatum uerò siue protectorem uobis Godfridum præfati comitis Adelberti filium instituiimus, si huiusmodi Deo præstante fuerit, ut ecclesiæ & seruis Dei honorem debitum exhibeat, & prædicti monasterij utilis & studiosus defensor fuerit. Sin autem, in uestra sit potestate eligere uestræ ecclesiæ idoneum protectorem, qui sine lucri secularis exactione, id diuinæ seruitutis obsequium strenuè ac reuerenter exhibeat. Vos igitur filij, in Christo charissimi, oportet regularis disciplinæ institutionibus sollicitius ac deuotius insudare, ut quanto estis à tumultibus secularibus liberi, tanto studiosius placere Deo, totius mentis & animæ uirtutibus anheletis. Præcipuè studentes Romanæ ecclesiæ decreta ueneranda seruare, cuius patrocinio ab omni iugo uiuentium annuente, Domino præmuniti. Ad iudicium autem præceptæ huius à Romana ecclesia libertatis, per annos singulos bizantium aureum Lateranensi palatio persoluetis. Sanè si quis in crastinum archiepiscopus aut episcopus, Imperator aut rex, comes aut uicecomes, iudex aut persona quælibet magna uel parua, huius nostri priuilegij paginam sciens contra eam temerè uenire tentauerit, & eorum quæ concessa sunt uel statuta quicquam irritum fecerit, secundo tertioque commonitus, si non satisfactione congrua emendauerit, æterno se innodatum anathemate, & à corpore Christi & ecclesia, autoritate potestatis apostolicæ segregatum cognoscat. Conseruâtibus autem hæc pax à Deo & misericordia præsentibus & futuris sæculis cõseruetur Amen. Datum Placentiæ, per manum Ioannis sanctæ Romanæ ecclesiæ diaconi cardinalis, 8 idus Martij, indictione 3, Anno dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo quinto, pontificatus autem Domini Urbani papæ secundi, anno septimo.

Acta sunt hæc sub abbate uenerabili Gebhardo, anno eius 4, qui facile quod uoluit à summo Pontifice obtinere potuit, cui antea & notus & singulariter dilectus fuit. Nec enim latere papam potuit, quàm bene cum Romana sentirent ecclesia fratres Hirsaugienses, qui usque ad periculum mortis & destructionis ipsius loci, excommunicato regi contradicentes, pro Romanæ libertate ecclesiæ constantissimè semper steterunt. Abbas autem Gebhardus cum adhuc prior esset claustralis, ad papam à sancto Vuilhelmo missus, sicut supra diximus, eius & notitiam & familiaritatem

*Præuilegium regale allegatur.*

*Aureus nummus ad cameram papæ.*

*Abbas Gebhardus notus erat papæ.*

*Bulla papæ.*

fueraſt conſequutus. Dedit autem & aliud priuilegium monaſterio Hirſaugienſi uenerabilis ille papa Vrbanus, maioris exemptionis libertatis & quietis, quod cum ſit ſatis notibile, de uerbo ad uerbum illud huic operi duximus inferendum.

*Copia alterius et magni priuilegij*

Vrbanus epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, omnibus Teuthonicae regionis fidelibus. Hanc chartam & hoc priuilegium in Chriſti nomine donaturus, non eſt abs re, ſi primò innotescimus, quæ ſit cauſa, uel quæ neceſſitas eiſdem priuilegij. Monaſteria, & ſeruorum Chriſti habitacula, quæ pia uoluntate & optimo ſtudio ædificantur, ſi non minus à poſteris quàm à maioribus & eorum fundatoribus amarentur, profectò eorum ſtatus non aded eſſet infirmus. Item qui appellantur epiſcopi, ſi omnes de officio ſuo dignè curarent, & tam prodeſſe quàm præeſſe operam darent, hoc quoque non parum faceret ad ſtabilitatem monaſteriorum. Nunc autem ſecundum quod ſæpius ſumus experti, quòd maiores conſtruunt, hoc ſi eorum poſteri non deſtruunt, magis omittunt pro humana uerecundia, quàm pro

*Negligentia notatur epiſcoporum.*

Deo. De ipſa tamen parentum eleemoſyna tantum ſeruitij ſecularis exigunt, ut nulla digna ſit ſollicitudo de illo ſeruitio quod Deo debetur. Hoc quoque uiſum eſt non ſemel eueniſſe, quod qui Chriſti uidebatur antiſtes, per hanc ſolam occaſionem, qua abbas benedicendus erat ab eo, congregationi fratrum abbatis electionem ex toto præriperet: nec alium ordinaret, quàm quem ipſe præcipuè uoluit, uoluntate fratrum omnino poſt- poſita. Ordinato autem de cætero & ipſe imperauit quali tributario ſuo, & quali ad hoc ſolum conſtituto, ut ſeculariter ſeruiret. Nam & illa peſtis ma-

*Monaſteria ſeruitijs grauantur ualde.*

ligniffima, ſcilicet hæreſis ſimoniaca, cum authore ſuo diabolo ita circuit terram & per ambulat eam, ut nulla ſit eccleſia quæ ſecura eſſe queat de eius uiolentia & inuaſione. Propter quæ, ſingula quum dominica diſpenſatio de mediocritate noſtra ita ordinauerit, ut ſerui ſeruorum Dei eſſe debeamus: non eſt dignum, nos omittere uel negligere, ſi quid ſolatij & ſuffragij contra tot hoſtiles incurſiones miſericordia Chriſti dederit, ut eiſdem dominis noſtris conferre ualeamus. Eſt quoddam monaſterium in pago Spirenſi, & in ſylua quæ uocatur Nigra, ipſiusq; monaſterij uocabulum eſt in lingua Teuthonica Hirſauue, quod cum deueniſſet iure hæreditario in poteſtatem & poſſeſſionem nobiliſſimi comitis Adelberti & coniugis Vuiltrudis: non eis uidebatur conſtare ſatis ad ſalutem ani-

*Quomodo epiſcopi fratribus electionem præripiunt.*

marum eorum, ſi ita in ipſorum manu retinerent, ut eis relictum erat à parentibus ſuis. Fuit ergo primitiuus bonæ uoluntatis eorum labor & fructus, quod pro canonicis ibidem prius degentibus, introducta eſt & ordinata uita monachorum. Quo præmiſſo, noluerunt quoque, ut de reliquo alius eſſet hæres eiſdem monaſterij, quàm beatus Petrus & eccleſia Romana. Beato Petro delegatum eſt, & in proprium confirmatum, eorum deuotione & oblatione, filijs quoque ſuis annuentibus & laudantibus. Et ita ut annuatim unum aureum ad ſedem Apoſtolicam tribuat pro cenſu, nulliq; alijs mortalium cuiuſcunq; rei terrenæ ſit obnoxium. Et nunc quid ſuper eſt, ut à nobis addatur & finiatur? Maxime de conſtituendo abbate, & de aduocato uel defenſore loci. Quotieſcunq; igitur contigerit, ut abbas ſit ordinandus: ad eius electionem nolumus, & omnino interdici-mus, ullam perſonam intereſſe, præter monachos, & eos ſolum, qui ad titulum monaſterij obedientiam ſunt profeſſi. Quem ipſi elegerint, accipiat uirgam paſtoralem ab aliquo de prioribus fratrum,

*Simoniaca peſtis ualida.**Hirſaugia.**Quid comes Adelbertus monaſterium hoc liber tauit.**Hirſaugia Romane eccleſiæ eſt ſubiecta.**Negatur conſtitutio epiſcopi.*

nec

nec ulla potestas ad hoc ecclesiastica uel secularis exspectatur. Postquam habuerit inuestituram officij, mittatur ex parte congregationis ad quemcunque potissimum uideatur episcoporum, ut pro charitate ueniat, & ut moris est abbatem benedicat. De cæteris fratribus ordinandis ad quemlibet ordinem huius generis, ut est presbyterium, uel diaconatus, fiat quod magis fuerit oportunum, ut uel in ipso monasterio ordinentur, uel ad episcopum absentem & ordines alibi facientem dirigantur. Propter quod confratres nostros & coepiscopos, maxime quotquot sunt in Germania, omnes pariter appellamus, & enixius omnes obsecramus, ut huic nostro decreto fauere & annuere non dedignentur. Et si eis non erat indignum in ipso textu ordinationis suæ Apostolicæ sedis & ecclesiæ Romanæ obedientiam profiteri, monemus, rogamus, aut (si hoc magis uolent) ex autoritate sedis Apostolicæ præcipimus, ut quidquid statuerimus ad hoc, quantum in ipsis est, aliquo modo inobedientes esse non præsumant. Si quis eorum rogatus fuerit, ut ad benedictionem abbatis ueniat, uenire non obmittat, si præ uoletudine possit, uel qualibet alia huiusmodi necessitate non impediente. Item si rogatus fuerit pro alijs ordinibus ecclesiasticis faciendis, in hoc quoque pro uoto fratrum morem gerere non omittat. Non curet, si quis ausus fuerit, præceptum nostrum calumniari & contradicere quasi nouum sit, & illicitum quenquam locorum, ita esse absolutum ab episcopali subiectione. Nam id ipsum de quantis locis factum est ab antecessoribus nostris, & in promptu est, si expediret, & non longum esset pleraque huiusmodi nominare. Recolat quid responderit ille pater inclytus sanctus Epiphanius Cyprium episcopus Constantinopolitano episcopo Ioanni, qui quum calumniatus esset, quod in parochia, absque sua licentia ordines fecisset, fatebatur se non in parochia, sed in monasterio fecisse. Quo uerbo innuerat, aliud ius esse parochiarum, aliud monasteriorum, aliud ius eorum qui nubent & nubentur, aliud qui seipsos propter regnum Dei castrauerunt. De quibus adhuc manifestius testatur Apostolus, Nequaquam esse sub lege eos, qui spiritu ducuntur. Quæ sententia, si de omnibus est uniuersalis, quanto magis de illis, quibus quadam speciali deuotionis prærogatiua Deo seruire conuenit. Nam quos in præfato loco specialis gratia contraxit, ut mereantur ueri filij esse promissionis, & ad promissionis terram uerè pertinere: decreuerunt etiam modò, pro antiqua patrum disciplina Christo militare, ita ut nullum patiantur habere commilitonem ætatis infirmioris, quàm ut olim & ipse quidem, qui est uerbum, cum patribus loquebatur à uicesimo anno & supra. Si qui sunt iuniores, hi nimirum ut in collegio suo uideantur admixti, pro nulla personarum acceptione, pro nulla æris æstimatione acquiescunt. Et hoc quantum faciat, quantumque ualeat ad integritatem & stabilitatem religionis animaduertere possumus, & ex contrario maximo colligere, cum manifestè sit habitudo huiusmodi illorum monasteriorum, in quibus non alij Deo seruiunt, quàm soli à pueris nutriti. Est adhuc & alia gratia, quæ locum iam sæpe dictum commendat, quod illuc nonnulli pro amore Christi conuenerunt, huius feruoris, huiusque humilitatis, ut eis non tam libeat haberi pro monachis, quàm pro seruis monachorum, & ultrò se obtulerint, & ad monasterium coquinæ, pistrini, & aliarum humanarum necessitatum. Quod planè tanto maioris est meritum, quanto

*Exemptio cenobij minuitur.*

*int*

*Papa mandat episcopis rogandæ ordinationes iacere abbatum.*

*Epiphanius uerbum*

*Apostoli sententia.*

*Nullus infra annū ui. si nū olim Hirsaugiēnsis monachus fiebat.*

*Hæc statutam pa commendat.*

expressius illum imitantur, qui quum sit cœlestium uirtutum Imperator, tamen homo factus, in hunc mundum uenit non tam ministrari, quàm ministrare. Hæc singula considerantes, non dignum duximus, ut qui quandam uitæ nouitatem pro Christi dilectione sunt adorsî, eis etiam pro ipsius honore plus aliquantulum quàm alijs Ecclesijs deferatur.

*Interdictio papæ, ne quis ante uiginti annum hic suscipiatur.*

Ergo primùm constituimus, ut per omnia tempora succedentia, nullus sit mortalium, qui mutare audeat illud bonum studium, & exemplum bonum militaris disciplinæ: ut sicut in præsentiarum, de cætero quorū uirorum Christi cuneus, tam ætate infirmiore, quàm infirmiore sexu nunquam interrumpatur, nec in militiam spiritualem ante præscriptum terminum, id est, ante uiginti annos, quisquam recenseatur.

*Nullus episcopus tenet contrarium*

Eoq̄ modo æterno Regi militantes, ut nullus Episcoporum ulla huius generis quæstione aliquo modo inquietet, ex parte Dei omnipotentis, ex parte Dei genitricis & intemeratæ Virginis Mariæ, ex parte Apostolorum Principis sancti Petri, & ex nostra, interdiciamus, contradiciamus, & anathematizamus.

*Archiepiscopus Moguntinus uices gerit apostoli ei super Hirsau-giam.*

Quibus etiam si tale quid contigerit, quia pro tanta uiarum intercapedine non est facilè ut ad præsentiam nostram & audientiam recurrant, Moguntino Archiepiscopo Ecclesiæ, cui decessores nostri uicem suam in partibus Germaniæ commendauerunt: nos etiam super istum locum & habitatores eius commendamus, ut de omni querela quæ eis acciderit, ad eum se reclamare possint.

Et quia, ut beatus Apostolus ait, plures sunt sacerdotes, eo quod morte prohibentur permanere: quoties Archiepiscopus post decessum prioris est ordinandus, ad ordinationem suademus patri monasterij, ut non supersedeat interesse. Ostendat ei exemplar decreti nostri & commendationis, ut probet qualem fiduciam de eius suffragio in futurum possit habere.

*Abbas Hirsauziensis sit legatus archiepiscopi Moguntini.*

Et quia Archiepiscopus ad sedem Apostolicam maximè pro pallio est missurus, si rogauerit Abbatem, ut sit pro huiusmodi legatarius eius, & dederit omnia quæ ad uitam sunt necessaria, laudamus ut ire non recuset. Ad rem nanque facit, si hoc officio in eius amicitiam familiariter fœderatur: quum & à nobis, non iniuria, magis obtineat filius & domesticus, quàm qui non fuerit ita priuilegiatus.

Item quoties ordinandus est Spiren̄s Episcopus, expedit, si & ibi non neglexerit adesse, & prius quàm ordinetur, commoneat Archiepiscopum, ut eius quoquè huic decreto nostro quærat assensum.

Aut si aliud quid uoluerit, uideat Archiepiscopus quid faciat pro commendatis suis: & si opus erit, ad notitiam nostram, uel successoris nostri, res usque perueniat.

*Psalmus 19 pro episcopo legatur in conuentu.*

At si Deus eidem Episcopo hunc spiritum donauerit, ut non inuitus faueat humilibus Christi: tunc & illum, ne hic sine honore dissimulasse uideamur: præcipimus, ut in conuentu fratrum, in quolibet die priuato, dicatur pro eo Psalmus nonagesimus nonus, in omni uita sua. Post uitam uerò, & pro ipso & pro suis, ab hac die & deinceps antecessoribus, quotquot præsentî præcepto non sunt aduersati, agatur in omni feria secunda, priuata Missa defunctorum. Quod scire potest,

*Missæ omni agatur feria 2. pro episcopis Spiren̄sibus.*

scire potest, ad compendium animæ suæ magis expedire, quàm si posset in monasterio per omnia pro uoto suo dominari.

Aduocatum autem Imperatorem Romanorum, qui & noster aduocatus est, præficimus.

*Imperator aduocatus est monasterij Hirsaugiensis.*

Propter multiplices tamen eius curas & dispositiones regni, liceat Abbati & fratribus de familia de Caluue eligere, si idoneus inuentus fuerit: qui non lucri causa, uel pro necessitate sua, sed pro remedio animæ suæ & parentum suorum, locum sæpe dictum uelit defendere.

Sin autem aliàs, undecunque libet, liceat alium eligere, qui etiam uocatus in præsentiam Abbatis & fratrum, iuret in sacramento cum familiaribus suis, quòd contra priuilegia Ecclesiæ non ueniat. Sic adductus in præsentiam domini Imperatoris, simili modo confirmet.

*De subaduocato, eiusq; officio.*

*Iurabit abbatibus imperatori.*

Non solùm autem super cellam maiorem licet Abbati subaduocatum constituere, sed per singula prædia & cellulas suas: ubi nihil etiam sibi iuris à Prioribus illic constitutis, in beneficijs prouidendis, uel etiam ecclesijs inuestiendis subtrahitur.

Aduocato autem sic constituto, non liceat contra uoluntatem Abbatis subaduocatum uel causidicum per prædia monasterij disponere, sed omnia illibata secundum priuilegia custodire.

*Non possit alium substituere.*

Si autem non ut defensor, sed potius ut calumniator & peruasor rerum sibi commissarum extiterit, nostro banno excommunicatum omnino, habeat Abbas potestatem hunc reprobare, & alium sibi utiliorem undecunque placuerit, auxilio etiam Imperatoris (si necesse fuerit) eidem monasterio prouidere.

*Si calumniator fuerit cœnobij.*

Hoc priuilegium uenerabilis Abbas Gebhardus, consilio fratrum inductus, ab ipso summo Pontifice Urbano secundo, propria eum in persona accedens, fauorabiliter acquisiuit: & Ruthardo Archiepiscopo Moguntino, in suam personam, quantum ad ipsum pertinebat consentiente, ad usum & practicam perduxit.

Porrò hoc statutum, cuius in bulla fit mentio, ut in monasterij membrum nullus ante uigesimum annum completum susciperetur, Sanctus pater Vuilhelmus incœperat cum consilio fratrum: sciens profectò regularis disciplinæ obseruantiam, non pueris, sed uiris fortibus esse tolerabilem. Nam sicuti hodie uidemus in omnibus locis, ubi pueri ad religionem admittuntur, aut parua, aut nulla uiget monasticæ integritatis obseruantia. Metuentes ergo uiri huius cœnobij præstantissimi fratres, ne successu temporis hæc sancta institutio qualibet occasione periret, prudenti consilio usi, sedis Apostolicæ approbatione confirmandam obtulerunt.

*Statutum de ætate suscipiendorum ad ordinem.*

Fuerunt enim temporibus istis, in monasterio isto, sub Gebhardo uenerabili Abbate, & numero & sapientia magni uiri, qui ordinem nostrum, sicut astra cœli clarissima illustrabant: quorum plerique ante ingressum religionis, magni & nominis & honoris in seculo extiterunt. Summa inter eos charitas eo tempore uigebat, tantaq; obseruantia regularis disciplinæ in Hirsaugia cumulata cernebatur, ut omnium sententiâ hominum confirmaret, maiorem puritatem monasticæ institutionis nunquam in Germania uel uisam uel auditam. Magni

*Laudabilis uita monachorū Hirsaugiensium.*

siquidem nominis, laudis & honoris Hirsaugia in ore omnium fuit, & monachi huius cœnobij uerè Dei serui in uniuersa terra laudabantur.

*Doctissimi & nobilissimi facti sunt benignissimi.*

Multi inter eos in omni scientia scripturarum fuere doctissimi, multi quoque nobilitate generis præcipui, complures extiterant ante conuersionem in Cathedralibus alijsq; diuersis ecclesijs, magni nominis prælati: qui tamen postquam ad ordinem sunt conuersi, tanta se in medio pauperum humilitate pro Christi amore deiecerunt, ac si cunctis uitæ suæ diebus idiotæ, rusticorum famuli, seu mendicij, in mundo miserabiles existissent.

*Plures uitam solitariam assumpserunt.*

Ex his nonnulli post ordinis disciplinam, ad unguem (ut uulgò dicitur) imbibitam, ob mentis tranquillitatem, in summa diuinorum contemplatione conseruandam, cum licentiâ & benedictione uenerandi pastoris ad uicinæ solitudinis eremum secedentes, ueterum anachoritarum propositum imitantes, omnia istius mundi solatia pro regni cœlestis amore contempserunt. Hoc arduæ conuersationis institutum, non passim quibuslibet subire licebat, sed illis duntaxat quos uitæ transactæ simul & belandi contra diabolum experientia commendasset. Legimus, horum nonnullos post mortem quoque non caruisse miraculis, quibus uisio etiam angelica contulit authoritatem. Enimuero tam sancta fuit his temporibus uita monachorum Hirsaugiensium, ut nullos in sui consortium nisi sanctos admitterent: uel certè susceptos, durius probantes ad regulam sanctificarent. Nullus inter eos, nisi bonus, & Deum in ueritate quærens, subsistere potuit: ubi tot improbitatis suæ durissimos necessariò sustinuisset censores, quot in cœnobio monachos inuenisset. Omnium nanque hoc summum desiderium & maximum fuit, Deum in ueritate quære- re, & eum contemptis transitorijs super omnia amare. Ergo quum omnes unius atque eiusdem essent propositi, alterius inter se uoluntatis hominem nulla poterant ratione sustinere. Sed nunc tandem oportunè ad aliquantulum intermissam historiam calamum reuocemus.

*Nonnulli miraculis claruerunt.*

Vrbano igitur Pontifice mortuo (sicut prædiximus) anno Gebhardi octauo, Domini autem millesimo nonagesimo nono, in pontificatu electione primùm successit Reinherus abbas ordinis nostri, qui dictus est Paschalis secundus, Italus natus, uir deuotus & constans, qui que ecclesiam Romanam sapientiâ & industriâ constanter de prauorum tyrannide liberauit. Sedit annis octodecim, mensibus quinque, & diebus septem. Erat autem ex nobilibus Romanis oriundus, sanctæ conuersationis & boni testimonijs, qui ex abbate & Cardinale sancti Clementis tam designatione Urbani papæ iam in extremis constituti, quam sanctorum reuelationibus unanimi consensu omnium electus fuit.

*Paschalis papa nostri ordinis fuit.*

*Vuigbertus anti-papa obiit.*

Anno autem Gehbardi abbatis nono, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus centesimus, Vuigbertus Rauennatis Apostolicæ sedis inuasor, mortuus est, uir utique ingenio, facundia, nobilitate, personæq; reuerentiâ clarus, nec Roma tunc, nec Rauenna bene usus: & qui super unum papam uiuentem (quamuis coactus est, ut aiunt) ascendit, ipse sibimet tres alternatim succedentes superuixit, extorris utraque sede, Romanæ uidelicet, & Rauennæ.

Quidam ex fautoribus eius ad sepulchrum diuina micuisse lumina- ria in populo testabantur. Quapropter summus Pontifex Paschalis iam dictus, zelo Dei inflammatus, iussit ut effoderetur, & in Tyberim iactaretur:



careretur: quod & factum est. Eodem anno obiit Godfridus rex Hieru-  
 salem, cui frater suus Baldeuinus, electione populi in regno succedere  
 coactus est. Obiit etiam episcopus Otto Argentinensis. Anno sequen-  
 te obiit Hartuicus archiepiscopus Magdeburgensis, qui alio nomine  
 Vdo dictus est, morte subitanea: de quo circumfertur illa terribilis senten-  
 tia districti iudicis Iesu Christi, qui in ecclesia præfata Magdeburgensi  
 Græcè Parthenopolis dicta, idest ciuitas uirginis, ante summum altare cum  
 multitudine Sanctorum adsedisse, per quendam deuotum canonicum ui-  
 sus est nocte illa, in qua & mortuus mane inueniebatur episcopus, sen-  
 tentiamq; in eum decollationis protulisse. Hæc historia, quia satis no-  
 ta est, latioribus uerbis à nobis non uenit inferenda. Eodem anno mo-  
 ritur in Italia Conradus rex, filius Henrici Imperatoris, de quo supe-  
 rius mentionem fecimus, & in Florentia sepelitur. Obiit etiam Ruper-  
 tus episcopus Bambergensis, pro quo constitutus est Otto monachus cœ-  
 nobij Montis monachorum, extra muros eiusdem urbis, ordinis nostri uir  
 sanctissimæ conuersationis, qui multis in uita & post mortem signis &  
 miraculis claruit. Fuit autem in ordine episcoporum eiusdem parochiæ  
 octauus, & ecclesiam sibi diuinitus commissam uerbo & exemplo stre-  
 nuè gubernauit. Eius uita sanctissima, luculento sermone conscripta ha-  
 betur, cuius festum pridie calendas Octobris peragitur. Sepultus ante sum-  
 mum altare præfati monasterij sancti Michaëlis, in quo monachus ex-  
 titit. Iste beatissimus præsul, inter cætera pietatis suæ studia cōstruxit de  
 patrimonio suo, quia filius comitis erat potentissimi, monasterium quod-  
 dam ordinis nostri in diocesi Herbipolensi, quod Vraugia dicitur, in ho-  
 norem Sancti Laurentij martyris, quod prædijs & possessionibus ad su-  
 stentationem monachorum magnificè dotauit. Primus abbas huius cœ-  
 nobij Vraugiensis, à sancto Ottone constituti, fuit Eckhardus, uenera-  
 bilis monachus sæpe dicti monasterij Montis monachorum, uir tam in  
 diuinis scripturis quam in secularibus literis doctissimus, Rhetor & Poë-  
 ta insignis, nec minus conuersatione quam scientia clarus. Qui inter cæte-  
 ra ingenij sui opuscula, scripsit ad imitationem Boëthij & præcessoris illius  
 Martiani Capellæ, pro monachorum consolatione gemino stylo pulcher-  
 rimum uolumen, quinque distinctum libellis, quod Laternam monacho-  
 rum prænotauit. Breuem quoque historiam rerum gestarum sui tem-  
 poris comportauit, quam in præfato monasterio aliquando uidimus. Se-  
 pultus est in eiusdem monasterij ecclesiæ medio, non sine opinione san-  
 ctitatis. Eodem anno moritur Egilbertus, archiepiscopus Treuironum se-  
 ptuagesimus nonus, ecclesiæ suæ reparator magnificus, & in pauperes  
 largissimus. Cui in archiepiscopatu successit Bruno, natus ex Franconia,  
 quæ antiquitus dicebatur Franconia Orientalis, Arnoldi comitis & Adel-  
 heidis comitissæ filius: & in Moguntia, idibus Ianuarij consecratus est. Iste  
 Bruno archiepiscopus monasterium sancti Eucharij iuxta Treuerim nostri  
 ordinis, quod modò sancti Mathiæ dicitur, nimia uetustate penè colla-  
 psum, mirifico tabulatu lapideo reparauit ex fundamentis nouum. In qua re-  
 paratione corpus sancti Mathiæ Apostoli repertū fuit, & extunc eiusdem  
 Apostoli nomen, eidem cœnobio usque in presentem diem remansit. Nam  
 antea ad sanctum Eucharium uocatum fuit. Idem quoque Archiepiscopus  
 aliud monasterium ordinis nostri de nouo construxit, in diocesi Spirensi,  
 in pago qui dicitur Creichgauu, in comitatu Bredheim, iuxta uillam quæ  
 Odenheim

*Godfridus rex  
 obiit, Baldeuinus  
 successit.*

*Vdonis episcopi  
 Magdeburgensis  
 mors horrenda.*

*Otto ex mona-  
 chis episcopus  
 Bambergensis.*

*Monasterium V-  
 rauri cōstruitur.*

*Eckhardus pri-  
 mus abbas in V-  
 rauri, uir doctis-  
 simus.*

*Monasterium S.  
 Mathiæ repara-  
 tur.*

*Monasterium in  
Odenheim con-  
struitur.*

*Synodus Romæ  
celebratur.*

Odenheim appellatur, anno pontificatus sui 21. Sicut ex litera fundationis eiusdem cœnobij per Henricum imperatorem quartum huius nominis, anno Domini millesimo centesimo uigesimalosecundo, indictione 15, tertio nonas Martij, apud Nuhusen data plenius continetur. Quam fundationem Paschalis papa secundus confirmauit sub priuilegio annui census aurei bizantijs. Construxit autem hoc monasterium in hæreditate paterna, fratre suo Poppone comite consentiente & adiuuante, & sancto Petro Apostolorum principi & sacrosanctæ ecclesiæ Romæ, in perpetuum tradidit possidendum. Multas etiam alias ecclesias & monasteria reparauit. Anno Gebhardi abbatis 11. qui fuit dominicæ natiuitatis 1102, papa Paschalis multorum episcoporum & abbatum concilium Romæ congregat, circa medium quadragesimæ, ubi præter antiqua patrum statuta reuenter solito more confirmata, etiam illius temporis schisma inter præcipuas hæreses computatur, perpetuò cum suis authoribus & sequacibus anathemate condemnatur. His temporibus abbas Gebhardus cœpit paulatim modicè remissius agere, maximè in exhibenda pauperibus eleemosyna constituta. Fuit enim à sancto patre Vuilhelmo communi fratrum consilio statutum, ut aliqui ex fratribus laicis ad conuersionem uenientes, in domo pauperum sub habitu seculari pauperibus deseruirent, uictum suum & amictum, non de annona pauperum, sed de communi fratrum cellario uestiarioq; recipientes. Hoc statutum Gebhardus abbas immutauit, iubens ut seruitores pauperum, uitæ suæ necessaria non aliunde quàm de eleemosyna ipsa reciperent. Ex qua occasione, prouisione pauperum diminuta res dolenda contigit, ut peregrinis egenisq; solita detraheretur misericordia, in tantum quod per gelidas noctes hyemis hospitio exclusi præ fame & frigore miserabili clamore perstreperent & fratres in dormitorio iacentes sæpius inquietarent. Super hæc & his similia abbas sæpius à senioribus admonitus nihil penitus emendaret, senior quidam sanctæ conuersationis monachus, uidit se quadam nocte dominicæ ascensionis per uisum gloriæ interesse sanctorum, ubi inter cæteros sanctum abbatem Vuilhelmum quondam sibi familiarissimum, niueo aspectu habituq; fulgentem recognouit, stantem inter duos splendidissimos pontifices, quorum alter erat sanctus Conradus episcopus Constantiensis, & sanctus Vdalricus Augustensis alter. Et post multos sermones inuicem habitos, sanctus Vuilhelmus ad monachum ista uidentem dixit: Ex parte summæ maiestatis Dei præcipio tibi, ut dicas abbati, priori, cæterisq; fratribus Hirsaugiæ, quatenus secundum quod à nobis acceperunt, egenis & hospitibus cum omni charitatis affectu seruiant, mores & uitam suam secundum regulam sancti Benedicti corrigant. Ante omnia, iram, odium, indignationem & detractionem, quibus assidue Deum offendunt cum omni malitia abijcientes synceram & continuam dilectionem ad inuicem custodiant: quòd nisi obseruent, diuinam proculdubio ultionem se experturos sciant. His dictis relicto eo cum quo loquebatur abbas Vuilhelmus cum cæteris, altiora quædam cœli secreta petiuit. Ille uerò senior, cui hæc reuelata fuerant, cum per se non auderet, per alium quendam seniorem abbati cuncta intimaui. Qui pristinam quidem abbatis Vuilhelmi constitutionem de eleemosyna pauperum seruari iussit. Cætera cum quibus monasterium perturbauerat, incorrecta dimisit. Quapropter secundum prædictam comminationem sancti patris Vuilhelmi, ferè ei nihil deinceps prosperum successit. Nam post annos paucos monasterij regimine exutus & pontificali infula apud Spiram

*Visio cuiusdam  
senioris in mona-  
sterio.*

Spīram indutus, omnium aduersum se odia ineptis moribus concitauit, & non longē postea miserabili infirmitate consumptus est mortuus, sicuti postea dicemus. His temporibus iuuenis quaedam nobilis, possessiones monasterij in Villa Almendingen ē quodam Vuinthero conuerso, quondam sub abbate Vuilhelmo in hoc cœnobio legitima donatione traditas, post mortem utriusque tanquam proximior hæres inuadens, cū die quadam duas inde carratas uini & alia quaedam abduceret, sub eiusdem hæreditatis prætextu temerario ausu, subito unius boum qui prædam trahebat, fractus est pes. Ipse quoque raptor, de equo cui insidebat, repente cecidit, & amissa loquela & uiribus totis amentiam incurrit. Inde manibus sublatus alienis, cū post aliquot dies ad mentem reuersus, flagellum Dei metueret, ad monasterium Hirsaugiense deferri se fecit, ibiq; mutato cum mente habitu seculari, Deo fideliter se mancipauit, & post paucos annos in sancta requie fideliter obdormiuit. Eodem anno obiit Henricus comes de Northeim, fundator monasterij Burfeldensis ordinis nostri, de quo supra dictum est, & in eodem cœnobio sepelitur. Eodem anno, Burcardus monachus Hirsaugiensis, factus est abbas in Erfordia 6. idus Februarij, qui statim in ipso anno fundare cœpit nouam ecclesiam sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in eodem mōte. Anno Gebhardi abbatis duodecimo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1103, Henricus Imperator quartus, natiuitatem Domini Moguntia celebrauit, & filio suo Henrico 5. rerum suarum summam committens, se Hierosolymam iturum promisit, sed non fecit. Henricus autem iunior à papa Paschali Romę imperator consecratus est.

Anno autem Gebhardi abbatis 13. qui erat dominicæ natiuitatis 1104, Henricus imperator natale Domini Ratisponę celebrauit. Hoc eodē anno, in episcopo Spirenſi sanguis ē panibus fluxisse uisus est, nec non in lenticularum edulio prodigiose repertus. Ciuile imò intestinum bellum pertere, secundum antiquam Romanę historię similitudinem conſciebatur. Hoc anno circa solstitium æstiuale, commutato in tempestatem aëre, in pago Herbipolensi decidisse fertur inter grandinum lapides tantæ magnitudinis glacies, ut in quatuor diuisa partes, totidem hominibus im-portabilis uideretur.

Anno Gebhardi decimoquarto, dominicæ uerò natiuitatis 1105, Henricus filius Henrici Imperatoris quartus, in uaso regno cœpit regnare adhuc patre uiuente. Voluit autem Henricus Saxoniam hostili manu inuadere, propterea quod omnes Saxones ut ueri catholici cum ecclesiæ Romanę pontificibus bene sentirent: sed non potuit, quia filius eum detestabatur, quemadmodum & cuncti fideles: quoniam excommunicatus denunciabatur à tribus Apostolicæ sedis præsulibus, Gregorio scilicet 7. Urbano secundo, & Paschali æque secundo. In ipsa uerò expeditione qua Saxoniam moliebatur intrare, filius quadam nocte de exercitu patris cum paucis auſugit, quod cū pater intellexisset, contristatus est, & expeditionem intermisit. Filius autem Sueuam petens, à Gebhardo Constantiense episcopo, sedis apostolicæ legato, à sententiâ excommunicationis absolutus est. Qui deinde consilio & auxilio Diepoldi marchionis Berengeri, comitis Ottonis potentissimi ducis omniumq; principum, episcoporum & abbatum Saxonię, Sueuię, Bauarię, Franconię, ac cæterorum uicinarum adiutus, regnū prudentissimè ordinare cepit, & omnibus populis mirum in modum cōplacuit. In primis Ruthardum archiepiscopū Moguntinū nono anno post quā à patre in Thuringiã fugatus est, proprię sedis restituit.

Burfeld.

Burcardus.

Henricus Imperator.

Ruthardus.

Alios

Ruthardus.  
Concilium agitur  
Northusen.

Alios etiam plures ecclesiarum pontifices à patre propter obedientiam se-  
dis apostolicæ fugatos restituit, & eos qui per uolentiam patris subindu-  
cti fuerant, deposuit. Concilium quoque episcoporum & abbatum generale  
in uilla regia Northusen, 4. calend. Iunij, ubi super ecclesiasticæ iam nimium  
deprauatæ institutionis disciplina tractaretur, indixit. In quo concilio super  
sententijs instantibus patrum decretis primò relectis quæq; poterant, lau-  
dabiliter corrigebantur ad præsens, quædam quæ grauiora uidebantur ad  
apostolicam obedientiam reseruata sunt.

Mersburg.

Vuertzburg.

Tandem peracta synodo Henricus 5. pentecosten celebraturus, Mer-  
sburg accessit, ibiq; Henricum Magdeburgensem archiepiscopum dudum  
designatum, sed ab imperatoribus fidelibus impiè repulsum consecrari fe-  
cit. Deinde Moguntiam obsidione conclusit patre intus existente, ac postea  
ueniens ad Herbipolim Erolongum quendam, quem Einhardo defuncto  
præsulem Imperator designauerat, expulit, & Rupertum eiusdem ecclesiæ  
præpositum, tam prius, quam tunc à clero & populo electum, per Ruthar-  
dum archiepiscopum Moguntinum inthronisauit. Post hæc Bauariam in-  
gressus, castrum Nurenberg partibus Imperatoris contra ecclesiam fauen-  
tium obsedit, & post menses fermè tres prosperè cepit. Inde soluens exer-  
citus Ratisponam se contulit, ubi & conuentum principum celebrauit.  
Huic regali colloquio uocatus Gebhardus abbas Hirsaugiensium inter-  
fuit, qui sapientia & eloquentia sua cunctos in admirationem sui pariter &  
amorem traxit. Contigit uerò ut Ioannes episcopus Spirensis hsdem tem-  
poribus moreretur, quod Henricus rex iunior cognoscens, de consilio Rut-  
hardi archiepiscopi Moguntinensis, Ruperti Herbipolensis, Vdonis Hil-  
deshemensis, Henrici Padelbornensis, Friderici Halberstadenlis, Gebhar-  
di Constantiensis, Epponis Vuormatiensis, aliorumq; episcoporum & prin-  
cipum tunc præsentium, Gebhardum uenerabilem huius cœnobij abba-  
tem tunc præsentem uiduatae Spirensi ecclesiæ designauit episcopum, con-  
ferens ei quoque Laurissensem nostri ordinis abbatiam in Vuormatiensi parœ-  
chia sitam. Deinde per insidias Ratisponensium, fugatus à patre, rex uenit ad  
Spiram, quam cum thesauris patris ibidem repositis cōsecutus, ipsum Geb-  
hardum cum magna solēnitate in episcopum consecratum per archiepis-  
copum Moguntinum Ruthardum sepe dictum inthronisauit in die omnium  
sanctorum, uidelicet in die calendarum Nouembrium, anno domini 1105.  
indict. 13. Romanæ ecclesiam Paschali 2. regente, anno eius 6. Hērici 4. Im-  
peratoris anno 48. Ipse Gebhardi in abbatia Hirsaugiensi anno 14. & men-  
sibus 4. hebdomade una, post electionem in Ratispona factam, de sua per-  
sona hebdomadibus quinque. Ordinatus autem episcopus præfuit ecclesiæ  
Spirensi anno uno & mensibus 4. maiori semper tempore infirmus. Ante  
uerò episcopatum quam diu fuit abbas huius monasterij Hirsaugiensis, ma-  
gni semper nominis & famæ apud omnes pontifices Romanos, Cardina-  
les, episcopos, abbates, reges, duces, comites, principes, nobiles, ciues, & ru-  
sticos celeberrimæ fuit, atq; apud uniuersos homines abbas Hirsaugiensis  
uir bonus, religiosus, eruditus, sapiens & eloquentissimus habebatur, prædi-  
cebatur & laudabatur cum magni gloriæ honoris. Vbi cunq; enim nomen  
eius inter colloquētes producebatur in medium, semper admiratio uirtu-  
tum eius sapientiæ, prudentiæ & integritatis uitæ, auditores in amorem &  
laudes tanti uiri præuocabat. Sed posteaquam relicto monasterio Hirsau-  
giensi, quod eo tempore Spirensi ecclesia, diuitijs, redditibus, fama, & ho-  
nore non multum uidebatur infirmius, episcopatum assumpsit, mox cele-

Rex uenit ad  
Spiram.

britatem

britatem nominis famæq; præstantiam cum abbatiâ pariter amisit. Omnes eum nobiles & ignobiles, amici & inimici, domestici & extranei, contemnere, despîcere & irridere cœperunt, tanquam superbum, uanè gloriosum & auarum insipientemq;, quippe qui monasterium insigne, locumq; fama celeberrima gloriosum, & filios obedientes ad omnia deuotos & sanctos pro episcopatu reliquisset. In maiori enim reuerentia & ueneratione habitus fuit abbas quàm episcopus. Nam etsi genere nobilis, moribus compositus, eloquio circûspectus, dulcis, sapiens & facundus fuit abbas, ramen mox, ut episcopatum assumpsit, uniuersa hæc simul nescio qua ratione diuinæ permissionis ita penitus amisit, ut in moribus rusticus, sermone imperitus & in conuersatione omnibus inceperit esse onerosus. Timendū uerò quòd hæc omnia cum cæteris aduersis non paucis, illi propterea contigerint ordinacione diuina, quod à S. patre Vuilhelmo per uisionem senioris, de qua diximus mandata, sibi emendare neglexit, quemadmodum & cõminatum illi fuit per eundem. Nam in canticum uulgò iam factus episcopus mirabili mutatione uersus est, & qui reueiebantur abbatē, pontificem irriserunt. Præterea die quadam ciues cum mulieribus & pueris eo præsentē & per fenestras uidente & audiente in quodam loco ubi manebat choros ducebāt, & cantilenas de ipso irrisoriè compositas in eius contumeliâ cantarunt. Sed non celsit illis in bonum. Milites enim & amici his contumelijs auditis in episcopum suum concurrentes, fatigatos illos subito disperferunt.

Cum primùm in monasterio fratribus innotuisset, quòd pater eorū spiritalis, alioquin satis dilectus, omnibus in episcopum esset electus, quædam inter eos contentio suboriri cœpit. Quibusdam enim uidebatur utilitati & paci monasterij multum posse cõducere, si eundem abbatem essent habituri, quem & episcopum qui eis non solum nullas præcedentium more pontificum inferret molestias, sed etiam authoritate sua inferre uolentibus resisteret. Cæteri autem saniori consideratione affirmabant contrarium, dicentes episcopum habere abbatem, non esse defensionis remedium, sed potius destructionis monasterij, rerumq; & possessionis eiusdem principium, præsertim quòd episcopus multitudine circumseptus militum, ad monasterium gratia uisitationis multoties ne cessariò uenturus, uel certè in prædijs & possessionibus ipsius cœnobij mansiones aliquoties habiturus, breui tempore penitus consumeret quæcunque magna sollicitudine & labore fratrum reposita inueniret. Hoc quoque non mediocriter esse timendum, ne prædiâ monasterij suis amicis & stipendiarijs per potentiam ablata conferret in beneficium, quemadmodum plerisque in circuitu cœnobijs iam penè desolatis cernerent accidisse. Interea Gebhardus animos fratrum per aduocatum Gotfridum, & alios quos idoneos æstimabat ad hoc, occultè fecit occultari & rogari, imò & contestari, ut memores beneficiorum essent quæ ab ipso recepissent, quorum intuitu obnixè precabatur, ne alium in locum suum ordinari abbatem consentirent, sed ipsum simul episcopum super se paterentur & abbatem, se multa bona monasterio singulisq; eorum facturum promittens. Hæc & his similia, non quidem omnibus, sed his duntaxat, quos sibi consensuros sperabat per literas, per nuncios & per interpositas personas fecit intimari. Sed quia prudentissimi tunc inter monachos huius cœnobij uiri complures erant, qui ubi occultas Gebhardi machinationes deprehenderunt, ommunicato consilio, ut eius astutiam astutia præuenirent, iuxta tenorem indulti Apostolici, electionem abbatis accelerarunt.

*Mente, moribus  
& uita mutatus  
in deterius, à cuius  
suis irridetur.*

*Causa huius in  
eum defectus.*

*Cantilenas in eum  
faciebant.*

*Sanioris partis  
consilium ut abbatem  
tem eligerent.*

*Episcopus sollicitus  
tutus ut eum pro abbate  
retineant.*

*Conatus Gebhardi  
episcopi super  
abbatiâ irriti facti  
sunt.*

DE BRVNONE HVIVS MONASTERII ABBA=  
te decimoquarto, qui præsuit annis quatuordecim,  
mensibus tribus, diebus uigintiduo=  
bus, & gestis eius.

*Dies electionis  
abbatis statuitur.*

*Bruno.*

**I**gitur abbate Gebhardo ad Pontificatum Spirensis ecclesiæ (sicut dixi=  
mus) assumpto, atq; ut huius monasterij abbatiam unà cum episcopatu  
retinere posset multum laborante, seniores conuentus sapientes & deuotissi=  
mi uiri, qui eius norunt astutiam, ne ab illo qualibet præuenirentur ma=  
chinatione, diem electionis inter se iuxta priuilegium Urbani papæ 2. eis  
indultum statuerunt, ultimum uidelicet diem mensis Nouembris, qui fuit  
dies sancti Andreæ Apostoli. Conuenientes itaq; in unum fratres & scru=  
tinio inter se iuxta consuetudinem facto, de singulorum uotis maior pars  
eorum Brunonem monachum uenerabilem senem, eodem die in abbatem  
elegit. Erant autem nonnulli inter eos uota sua aliorum dirigentes, qui=  
bus electio Brunonis propterea quod senio grauatus, minus ad tantos la=  
bores perferendos idoneus esset, non placere uidebantur, qui tamen sine  
pertinacia multitudinem sequentes, numero pauciores in eum sine mora  
consenserunt. Vnanimi ergo consensu omnium, Bruno senior in abba=  
tem huius monasterij electus, pridie calendas Decembris, hoc est in die san=  
cti Andreæ Apostoli.

*Abbas Bruno ele  
ctus est.*

*Brunonis uita.*

J  
T

*Fit canonicus  
Spirensis.*

*Corporis disposi  
tio.*

*Animi dispositio.*

*Frater abbatis  
Brunonis uir po=  
tentissimus.*

Anno Domini millesimo centesimo quinto, indictione decimatertia, & à  
Richardo episcopo Hostiensis apostolicæ sedis legato, hic in monasterio, 7.  
calendas Ianuarij, hoc est in die sancti Stephani protomartyris, ordinatus  
in præsentia cõplurium abbatum, monachorum & aliorum fidelium, præ=  
fuit annis quatuordecim, mensibus tribus, diebus uigintiduo. Hic Bru=  
no fuit natione Sueuus, nobilibus & potētissimis ortus natalibus, qui post  
prima rudimenta literarum cùm ætatem attigisset uirilem, canonicus & ma=  
tricularius maioris ecclesiæ Spirensis factus est. Vbi cùm per abrupta uicio=  
rum ire multos in perditionem cerneret, quibus diuitiæ, honores & deliciae  
carnis occasionem præbuerunt, exactis annis in eo statu aliquibus, & tan=  
dem Dei miseratione compunctionem assecutus, mundum cum omnibus  
uanitatibus suis contemnens, ad monasterium Hirsauigiense se contulit, &  
sub Vuilhelmo abbate sanctissimo conuersus ad Deum in tota mente, ha=  
bitum cum proposito monastico assumpsit, in quo pluribus annis religiosi=  
simè conuersatus, tandem hoc anno abbas ordinatus fuit. Erat autem quan=  
tum ad corporis compositionem pertinebat, statura magnus & uirili for=  
ma decenter proportionatus, recaluafter, & caput ueneranda quadam  
canicie respersus. Et quamuis corpore magnus decenter appareret, non  
tamen fortis & laboriosus, sed imbecillitate quadam nimis gracilis erat  
& laborum omnino patiens. Propterea quæcunque in monasterij rebus  
ordinanda uel disponenda uidebantur, non per suam, sed per subdito=  
rum industriã agebantur. Ipse autem homo quietus, pusillanimis, mitis &  
mansuetus, onera secularium negotiorum ferre non sufficiens, se ad inte=  
riora contulit, orationi, lectioni meditationi que & contemplationi spi=  
ritualium exercitiorum suum studium impendit. Electus uerò propter  
metum Gebhardi episcopi præfati Spirensis, qui abbatiam istam sibi retinere  
moliebatur, fuit: ut si quippiam iniuriarū aut uolētiae contra monasterium  
& monachos eius inchoare tentasset, per autoritatem fratris germani ip=  
sius abbatis Brunonis, qui erat inter omnes Sueuos potētissimus, cõprimere  
tur. Erant

tur. Erant ei & alij complures uiri diuitijs, potentia, & nobilitate insignes, sanguine & amicitia coniuncti, qui conatus episcopi omnes sua potentia facile impediissent. Sed cum uidisset episcopus quod fratres alium sibi ordinasset abbatem, ægre quidem tulit, non tamen contra eos quicquam mali tentauit. Ecclesiæ enim Spirensis curis & negotijs usq; adeo inuolutus & occupatus fuit, ut parum de rebus alienis permitteretur cogitare. Bruno itaq; in abbatiam confirmatus, negotia secularia fratribus idoneis disponenda, commisit: & ipse cum cæteris interiora curans, uitam suam bonorum operum exemplar subditis ostendit. Qui licet nobilis fuerit & naturæ imbecillis, nunquam tamen uel in habitu uel in uictu preciosus aut singularis fuit. Anno eius adhuc primo currente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1106, Henricus rex iunior filius Henrici Imperatoris 4. colloquiū principum apud Moguntiam ad natale Domini indixit: ubi tantus episcoporum, abbatū & principum cōuentus fuit, quantus per multa curricula annorum nunquam uisus fuit. Ibi superuenerunt apostolicæ sedis legati, Albanensis & Constantiensis episcopi, sententiā anathematis in Henricum seniore Imperatorem à tot summis pontificibus & alijs episcopis fulminatam testificantes, ipsumq; à cōmunionem omnium fidelium abscissum à multis annis fuisse & esse protestati sunt. Quae de causa Imperator e consilio principum apud uillam regiam quæ Ingelheim dicitur, legatis papæ occurrens & cæteris episcopis, tandem reatum suum compulsus necessitate recognouit, ueniamq; postulās à legatis ad examen sedis apostolicæ remissus est. Vnde ad horam cōpunctus filio imperium cum insignijs, cruce uidelicet & lancea, sceptro, pomo, & corona corā principibus & legatis resignauit, suæq; consulturum animæ in antea promisit. Hoc ordine Henricus huius nominis 5. primum à patre, dein ab uniuersis Germaniæ principibus, in regem iam secundò electus est: ab Apostolicis quoq; legatis, per manus impositionem catholicè confirmatus, acceptis tam ab episcopis quàm à laicis iuxta morem temporis sacramentis regnare cœpit, anno sicut dictum est natiuitatis dominicæ 1106, imperauitq; ab hinc annis 20. Eodem anno Henricus senior Imperator 4. Henrici 5. pater apud Leodum moritur, anno regni sui quinquagesimo, imperij uero 23. & primò in quadam ecclesia deserta sepelitur, quousq; interuentu filij à sedis apostolicæ pontifice impetrata absolutio, ad Spiram delatus tumulatur. Verum ut breui compendio malam istius uiri complectamur historiam, ea quæ ueteres de illo scripserunt, inseramus. Henricum istum hominē peruersum, & iusto iudicio ab ecclesia eiectum, omnibus reuera suo tempore constabat manifestum. Vendidit enim spiritualia omnia, inobediens fuit Apostolicæ sedi: in ipsamq; sedem fugato Christi uicario Gregorio papa 7. idolum posuit Vuigbertum Rauenatensem. In uxorem legitimam honestissimam matronam inaudita scelera commisit, ipsamq; inuitam Nicolaitarum hæresin renouans, multis ui opprimendam prostituit. Pro his & alijs multis criminibus, à multis Romanis & alijs Pontificibus excōmunicatus, Apostolicæ sedis maledictionem paruipendit, spreuit & contempsit. Hinc maxima in ecclesia Dei persecutio subsequuta est. per inuidiam & discordiam, dum alter alterum persequetur usque ad mortem: eratq; schisma perniciosum in ecclesia Dei, quibusdam papæ, Imperatori alijs adhærentibus: Apostolica censura pro nihilo habebatur, ipsamq; sententiā excommunicationis nemo curabat. Et quamuis in omnibus his Imperator esset pertinacissimus, ita sedis Apostolicæ autoritatem nulla ratione uellet recognoscere, multum tamen

Abbas Bruno interiora curat.

Colloquium principum in Moguntia.

Legati Apostolici.

Ingelheim.

Imperator ueniam petit reatus à legatis.

Henricus quintus regnare cœpit.

Henricus quartus moritur.

Errores Henrici Imperatoris 4.

Simoniacus. Schismaticus.

Nicolaita.

Hæreticus.

Censura Apostolicæ cōtempus.

*Clementia Henrici Imperatoris.*

in offendentes suos alioquin clemens & misericors erat. Dum enim aliquando federet ad requisita naturę, quidam uolentes eum perforare, sicarij capti sunt, & in eius conspectum adducti, quos tamen conuictos & confessos, illęsos abire permisit. Multi etiam principes, qui multa in eum mala commiserunt, magnumque ingessere contemptum, mox ut se coram eo prosternentes ueniam postulassent, omnia clementer indulgit. In pauperes ualde misericors fuit & multam eis eleemosynam impendit, omnibusque afflictis plusquam dici potest compaties. Sed omnia hæc bona obfuscauit pertinacia, propter quam a Gregorio papa 7. excommunicatus, & ab imperio synodali episcoporum decreto fuit depositus, quamuis non curaret. Ipse autem primus est inter omnes imperatores per papam depositus. Scholastici certant, & adhuc sub iudice lis est, utrum papa Imperatorē possit deponere: quam questionē cum ad nos non pertineat, indiscussam relinquamus. Hoc ipso quoque anno Magnus dux Saxonie moritur, & ducatus comiti Lothario de Supelingenburg, qui postea Imperator factus est, simul cum marchia commendatur.

*Primus Imperator a papa depositus.*

*Lotharius dux.*

*S. Paulina mortua.*

Anno Domini 1107. qui fuit adhuc primus annus Brunonis abbatis, obiit uenerabilis & sancta foemina Paulina, pridie idus Martij, quę multis annis uitam duxit quasi eremiticam, pro Christi amore inclusa apud Thuringorum fines, in diocesi Moguntina, ubi & in uita & post mortem infinitis choruscauit miraculis. Aderant huic matronę ægrotanti Vuernerus filius eius, monachus huius cœnobij, Gerungus abbas primus cellę S. Paulinę, etiam monachus quoddam huius cœnobij, cum cæteris fratribus multis, qui celebratis missarum solennijs in loco ubi ægrotabat, eius transitum Domino commendarunt. Qua tandem feliciter mortua, sanctum corpus uasculo inclusum ad cellam ab ipsa prius fundatam reportarunt, celebratisque cum debito honore exequijs, ante altare S. crucis reuerenter sepelierunt. Et quia Gorungi abbatis mentio incidit, qui cum monachus monasterij nostri Hirsaug fuerit, dignum uidetur ut eius merita alius aliquantulum repetamus. Fuit autem Gorungus natione Sueuus, ex familia Buchaugiensium progenitus, qui posteaquam in Augustensi ciuitate mores & literas aliquandiu didicisset, iuuenis bonę indolis euadens, sub abbate Vuilhelmo in cœnobio Hirsaugiensi monachus factus est. Qui usque adeo in discenda & custodienda disciplina monastica studiosus fuit, ut uel primus uel cum primis in obseruantia regulari semper promptissimus inueniretur. Cantoris dehinc officium aliquanto tempore gloriose satis impleuit, in quo & artem uox & ars uocem conuenientia singulari cõmendabat. Regularis quoque disciplinę tenacissimus æmulator extitit, & ob id a S. patre Vuilhelmo bis Cluniacum missus est, ad discendum ordinem monasticę conuersationis. Fuit enim maturę grauitatis, in censura monastici rigoris admodum seuerus, his maxime qui sapius proclamati super transgressione aliqua emẽdare neglexissent. Virtute tamen discretionis non caruit, quippe qui morbos animorum curaturus, austeritatem rigoris quadam lenitate commiscuit: & prudenter perpendens singula, nequaquam in delinquentes remissus fuit. Statura quidem corporis pulchra extitit, proportione dispositus, ut nec breuis nimium fuerit, nec immaniter procerus. In moribus se cunctis præbere nouit exẽplarem, ita ut singulis conuersantibus tam secularibus quam religiosis, sine reatu se nouerit coaptare. Propterea fratribus suis charus erat, mitis, dulcis, affabilis, & mansuetus, quos uerbo & exemplo in conuersatione sancta sine inuidia præcessit. In scientia uero scriptura-

*In monasterio quo di ipsa fundauit, sepelitur.*

*Gorungi uita.*

*Fuit cantor.*

*Bis Cluniacum missus.*

*Statura corporis*

*Morum qualitas*

scriptura-



Scripturarū nec doctus multū extitit, nec penitus ignarus, sed pro suo statu sufficiēter eruditus. In scribendis tamen & comportandis ad bibliothecam libris studiosissimus fuit, & multos manu propria rescripsit. Erat enim scriptor optimus. Nouo autem monasterio per S. Vuilhelmum consummato cum illo mortuo congregatio de sancto Aurelio ad ipsum cœnobiū maius sub Gebhardo abbate transisset, Gerungus prior fratrum, qui apud S. Aurelium remanserant, ab eo constitutus est. Tandem electione & consilio fratrum suorum ad præfatum monasterium, quod cella Paulinæ usq; in hodiernum diem appellatur, primus abbas ordinatus, & cum alijs monachis huius cœnobiij nostri decem ad institutionē ordinis secundum desiderium S. Paulinæ missus est. Ipsa enim S. Paulina, in eo loco hæreditatis suæ paternæ, ubi Christi militiam assumpsit, & annis multis in conuersatione sanctissima usq; ad mortem continuauit, suis impensis monasterium fundauit ordinis nostri, temporibus Henrici 4. imperatoris, quod monachis Hirsaugiensibus tradidit, & Gerungum prædictum reuerendissimum uirum in primum abbatem cum fratribus accepit. Fuit autem Gerungus, sicut diximus, homo sanctæ conuersationis, & cum ecclesia Romana & Christi uicario benè sensit, multas persecutiones & iniurias à seruis & amicis Henrici Imperatoris 5. patrem suum imitantis & excōmunicati tolerauit. Quicunq; autem huius uiri merita plenius scire desiderat, uitam & gesta S. Paulinæ sapius dictæ legat. Anno prædicto magna inter Henricū regem & Apostolicum Paschalem controuersia de inuestitura prælatorum exoritur, quæ multorum in ecclesia malorum seminarium fuit. Vnde papa in concilio Trecensi banno suo cōfirmauit, ut nemo inuestituram aut dignitatem ecclesiasticam de manu laicali fusciperet, donec quæstio hæc inter eum & regem synodali discussione fuerit terminata. Circa festum natiuitatis sanctæ Marię, summo mane, in Goslariensi aula dormiente, repente tonitruus ueniens parietem qui erat ad caput lecti eius concussit, inde uel fulminis aliquot clauos de clypeo regis excussit, gladiumq; quem ad latus suum rex collocauerat, in acuminē ambussit, unde nimio terrore stupefactus, rex foras exiliuit.

Anno Brunonis abbatis 11. qui fuit natiuitatis dominicæ 1108. fundatum de nouo fuit monasteriū nostri ordinis in diocesi Augustensi, quod Lorch appellatur: & pro sustentatione monachorum, magnificè dotatum per Fridericum ducem Sueuorum patrem Friderici Imperatoris primi. Eodem anno Brunonis abbatis 11. ac domini 1108. cum Episcopus Spirensis olim huius cœnobiij abbas Gebhardus continuis infirmitatum uexaretur doloribus, ita ut ad disponenda negotia ecclesiæ suæ penitus uideretur inutilis, consilio amicorum familiarium usus, statuit episcopatum cum curis omnino deserere, & ad monasterium Hirsaugiense unde abierat redire, ut cum quibus abbas manere uiuus noluit, mortuus saltem perpetuò manere posset. Cumq; iam ordinatis omnibus ad iter necessarijs, uiam de monte S. Michaëlis Ebernsberg dicto, ubi manebat, sedens in uehiculo conficere inciperet, rumor inter Spirenses spargitur, quod eorum pontifex fugam inire eos que deserere maturasset. Concurrentes ergo in multitudine copiosa, priusquam iter medium perfecisset Episcopus, eum comprehenderunt, orantes, ne se omnino elongaret ab eis, ulterius ne procederet fortiter restiterunt. Econtra rogare multum episcopus, ne propositum eius impedirent cœpit, neque seipsos cum diutina infirmitate eius grauare uoluit. Quumque post multos ad inuicem collatos sermones eum

*Scriptor fuit & amator librorum*

*Prior ad S. Aurelium factus est.*

*Gerungus fit abbas. Monasterij Cellæ Paulinæ fundatio.*

*Inter papam & regem oritur discussio.*

*Fulminis ictus regem terruit.*

*Monasterij Lorch fundatio.*

*Gebhardus episcopus Spirensis infirmatur grauiter.*

*Relire Hirsaugiam uoluit.*

abire nullatenus uellent permittere, surgens unus ē medio coram omnibus dixit: Nec iustum mihi uidetur nec honestū uiri Spirenses, episcopum nostrum, quem legitimè suscepimus, propter infirmitatē à nobis dimittere, & Hirsaugiensis cœnobij monachos cum eius ægritudine contra fraternę charitatis ordinem grauare, Eligamus ergo potius in nostra parœchia locum, eius infirmitati congruum, adhibitisq; ministris paucis & idoneis, uitæ illius necessaria quàm diu uixerit ministremus. Vnius uiri consiliū placuit omnibus, & data episcopo fide iuramenti, quòd mortuū cū Deo placuerit, ad Hirsaugiam ducerent, quem uiuum ire prohibuissent, eorum uoluntati dedit & ipse consensum. Mansio itaq; infirmitati eius conueniens & satis amœna inter Rheni paludes eligitur, quæ usq; in præsentem diem Bruchsal nuncupatur. Ibi ministris idoneis & fidelibus adhibitis episcopum fecerunt consistere, cui omnia quæ necessaria fuerant per eosdem ministrabāt. Dehinc eodē in loco persistens tribus duntaxat mensibus, infirmitate nimium ingrauescente mortuus est calend. Martij, anno Domini 1108, indictione 1. cuius corpus ad Hirsaugiense hoc monasterium à Spirensibus, iuxta promissionem uiuenti ab eis factam reducitur, & in maiori monasterio ante sanctorum Petri & Pauli principale altare cum ingenti honore sepelitur. Et hic finis Gebhardi pontificis fuit, qui post S. Vuilhelmum abbatem huic monasterio annis 14. & tribus mēibus præfuit, ac deinde Spirensis ecclesiæ præful ordinatus uno duntaxat anno & quatuor mensibus præfedit, cui Bruno qui & Einhardus successit. Hoc ipso anno Ruthardus archiepiscopus Moguntinus desolationem monasterij S. Disiboldi præfuit, in comitatu Spanheimensi, per antecessores suos ante præsentis temporis plures annos miserabiliter spoliati & destructi ægrè ferens, clericos sanctæ mansionis iniustos possessores expulit, & nimia uetustate collapsum monasterium in montem transferens denuò fundauit. Erat eo tempore apud Moguntinos in precio Burchardus abbas monasterij S. Iacobi extra muros, uir prudentissimus & regularis disciplinæ præcipuus amator. Huic Ruthardus præfatus archiepiscopus monasterium S. Disiboldi cum omnibus attinentijs suis commisit, & abbatem illius primū simul & S. Iacobi ipsum constituit. Qui Burchardus iussu præfati archiepiscopi & impensis pridie calend. Iulij, hoc anno, primū fundamenti lapidem in præscripto monte pro nouo monasterio posuit, acceptisq; de monte S. Iacobi monachis conuentum iuxta regulam sanctissimi patris nostri Benedicti instituit. Iste quoq; Ruthardus archiepiscopus præposituram unam in Rinckaugia ordinis nostri cōstruxit, non longè à Vinicella, in monte qui Bischoffsbergk antiquitè dicebatur, in honorem S. Baptistæ Ioannis, quam abbati monasterij S. Albani martyris Moguntinensis uoluit esse subiectam. Ad hanc præposituram Rudolphus comes Rinckaugiensis & Dancinodis uxor, Ludouico filio eorum consentiente, prædia & redditus non paucos pro animarum suarum remedio tradiderunt. Filius quoq; ipsorum prænominatus Ludouicus contemptis rebus seculi, propter amorem regni cœlorū in eodem loco monachus factus est: & secundum regulam diui patris nostri Benedicti religiosissimè uiuens, usq; ad uitæ præsentis terminum, in sancta conuersatione perdurauit. In eiusdem monasterij ambitu, iuxta ecclesiam uidelicet, cœnobiolum pro sanctimonialibus præfatus pontifex cōstruxit, in quo Virgines Christo in sancta uirginitate deuotissimè seruientes collocauit: quæ unà cum monachis sub unius præpositi, cura constitutæ, semper manebant inclusæ, mundum cum omnibus pompis suis supernorum intuitu contem-

*In Bruchsal mansionem suam accepit.*

*Gebhardus episcopus moritur.*

*Monasterij S. Disiboldi fundatio.*

*Burchardus abbas monasteriorum duorum.*

*Præposituræ S. Ioannis in Rinckau fundatio.*

*Comes Rbeni.*

*Ludouicus comes fit monachus in monasterio S. 10. annis.*

*Moniales cū monachis erant.*

contēnentes. In hoc ipso cœnobio, supradicti comes & comitissa Rinckauia Richolfus & Danckmodis, etiam filiam suam Vuerdtrudem omnipotenti Deo seruituram in perpetuum cum parte hæreditatis suæ obtulerunt. Tandem successor huius Ruthardi archiepiscopi dictam præposituram, sicut dicemus suo loco, in abbatiam sublimauit, anno Domini 1130. indictione decimatertia.

Vuerdtrudis maritalis.

Anno Brunonis abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis 1109. indictione secunda, undecimo calend. Maij obiit S. Anselmus archiepiscopus Cantuariensis, Hirsaugiensium fratrum maximus fautor & amator, de quo longè superius cum B. Vuilhelmo fecimus mentionem. Eodem anno S. etiam Hugo abbas Cluniacensis obiit, 3. calendas Maij, pater & ipse amatorq; Hirsaugiensium integerrimus, cuius uita multis uirtutibus & signis claruit. Eodem quoque anno Ruthardus archiepiscopus Moguntinus obiit, cui Adelbertus cancellarius regis in ordine successit.

S. Anselmus obiit.

S. Hugo obiit.

Adelbertus fit episcopus Moguntinus.

Anno Brunonis abbatis quarto, magna synodus episcoporum & abbatum Romæ celebratur, domino papa præsidente, ubi multa utiliter constituta sunt. Rex uerò Henricus apud Leodium desponsatam sibi Henrici regis Anglorum filiam, nomine Machildem, duxit uxorem, de qua liberos non suscepit. Anno sequenti Romam ueniens, ab Apostolico honorificè quidem susceptus est: sed ubi confedissent, de negocijs ecclesiasticis regalibusq; tractaturi, subito Romanorum factione tumultus excitatur: & in tantum rex, eorum improbitate angustiatum est, ut penè iam fugam iniret, nisi Coloniensis archiepiscopus Fridericus cum ualida manu succurrisset, & Romanos magna cæde confectos fugere compulisset. Poptus igitur uictoria papam abduxit. Postremò tamen in concordiam reuersi, Romam iterum redeunt: pacatisq; Romanis papa regem in Imperatorem consecrauit: cui inter communicandum, cum osculo pacis confirmandæ tradidit priuilegium, quod ipse post discessum Imperatoris detestando Prauilegium appellauit, & omnes cum Imperatore sentientes Romæ in synodo centum uiginti quinque episcoporum habita, contra eum excommunicauit: & innouata sunt mala in Ecclesia. Habebat autem in exercitu suo, quum Italiam intraret Henricus Imperator, triginta millia armatorum hominum, præter seruos & alios multos exercitum sine ordine sequentes.

Rex uenit Romam

Rex in imperatorē benedicitur.

Exercitus.

Anno Brunonis abbatis sexto, qui fuit Dominicæ natiuitatis millesimus centesimus duodecimus, contentio inter principes Saxonie & Imperatorē fuit exorta, in qua dux Vuibertus & Siphridus Palatinus comes, gratiam Imperatoris perdidit. Et Vuibertus quidem capitur, & Regi offertur. Siphridus autem uulneratus non longè post moritur. Hoc anno comes apparuit. In eadem coniuratione cum Saxonibus contra Imperatorem fuerunt isti principes, Lotharius dux Saxonie, Rudolphus marchio, Vuibertus dux, prædictus Siphridus, comes Palatinus, quem diximus, & Adelbertus archiepiscopus Moguntinus, qui captus propterea ab Imperatore, hoc ipso anno per triennium fermè custodiæ mancipatus fuit.

Coniuratio Saxonum contra Imperatorem.

Adelbertus archiepiscopus Moguntinus.

Eodem anno coniuratio pro libertate, in Colonia facta est.

Anno Brunonis abbatis 7. dominicæ natiuitatis 1113. Gertrudis marchionissa, relicta Henrici comitis de Northeim, cognomento Crassi corporis, S. Authoris ab archiepiscopo Treuirorū Brunone sacras impetrauit reliquias, & cum magno honore in Saxoniam illas transferens, extra muros Brunswicensis in eo loco reposuit, in quo hodie monasterium S. Aegidij confessoris intra muros urbis situm est. Nam quum præfata marchionissa corpus

S. Author à Treueri in Saxoniam transfertur. Monasterium S. Aegidij in Brunswik fundatur.

sancti Authoris in eum locum ferendo portasset, repente stetit immobiliter. Vnde consilio prudentium uirorum accepto nostri ordinis, in eodem loco magnificum construxit, in quo corpus eiusdem sancti reposuit. Hoc monasterium ad instantiam Lotharij ducis Saxoniae postea Imperatoris, qui filiam praefatae marchionissae habuit uxorem, anno Domini 1115 post gloriosam contra Imperatorem habitam uictoriam, per Theodoricum sedis apostolicae legatum, & Reinhardum episcopum Halberstadensem, in honorem S. Aegidij confessoris consecratum est, & ab eo magnifice dotatum. Hoc ipso anno Brunonis 7. obiit Burchardus abbas S. Iacobi Moguntinensis, anno 6 posteaquam abbatiam montis S. Disiboldi confessoris ex imperio Ruthardi archiepiscopi Moguntini regendam suscepit, 3. nonas Martij, cui in monasterio S. Disiboldi successit Adelhunus, uir in omni opere strenuus, & morum honestate praecellens, & praefuit annis 15. Hoc eodem anno S. Bernardus annos natus circiter 22. Cistercium ingressus est cum socijs amplius quam 30. sub Stephano abbate, qui successerat Alberico.

Burchardus abbas  
S. Iacobi obiit.

S. Bernardus  
Cistercium ingre-  
ditur.

Huius uiri sanctissimi Bernardi praecordia laudum, uniuersa fidelium solennisat ecclesia: cuius uita, miracula & gesta celeberrima, in quinque libellis per Vuilhelmum abbatem S. Theodoricus satis luculento sermone conscripta habentur: qui postea Clareuallis primus ordinatus abbas, totum mundum sanctitate & doctrina illuminauit: qui praeter 140 monasteria sui ordinis a se constructa, impensis quidem alienis, maiori tamen ex parte sua industria, directione & sollicitudine, etiam praedicatione sua, innumerabiles ad Christum animas conuertit. Scripsit praeterea multa & praecellens ingenij sui praestantissimi opuscula, quorum titulos in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, magna ex parte signauimus.

S. Bernardus  
140 monasteria  
suauit.

Anno Brunonis abbatis 8. qui fuit natiuitatis dominicae 1114. Henricus Imperator exercitum grandem mouit contra Colonenses. His ferme temporibus monasterium Laccense nostri ordinis, in finibus Treuerensis diocesis, in honorem B. Mariae semper Virginis & Dei genitricis, ac S. Nicolai episcopi fundatum est, non longe ab Andernach. Henricus enim comes Palatinus Rheni & dominus de Lacu, Adelheide uxore sua consentiente, fundationem ipsius monasterij in praefato loco paternae hereditatis suae incepit anno domini 1093. indictione prima. Quam morte praeventus, priuigno suo Siphrido eiusdem comitatus Palatini omniumque bonorum suorum haeredi perficiendam commisit. Quod cum aliquandiu neglexisset, utpote iuuenis, tandem poenitentia ductus perfecit, anno uidelicet Domini 1112 indict. 5. praedictisque & redditibus pro sustentatione abbatis & monachorum magnifice dotauit.

Monasterij Lac-  
censis fundatio.

Anno Brunonis abbatis 9. Imperator ad iniuriam Lotharij ducis Saxonum Brunswich occupat & Halberstad deuastat. Contra quem idem dux cum Saxonibus, adiuncto sibi Friderico archiepiscopo & Colonensibus, Friderico quoque Vuestphaliae comite, cum Henrico fratre eius, Hermãno quoque de Caluelage, & Henrico duce de Lympurg, cum Reinhardo episcopo Halberstadeni ad certamen properat, in loco qui dicitur Vuulphesholtz, altera die Scholasticae uirginis: quo die bis certamine commisso, imperator cum suis terga uertit, & Saxones gloriose triumpharunt, in quo praelio, ex parte Imperatoris comes de Mansfeld cum multitudinem hominum maxima cecidit, & ipse imperator uix euasit. Inde Moguntiam digressus ibidem pascha celebrauit, & Adelbertum eiusdem loci archiepiscopum iam triennio captum, coactus per principes ciuibus liberum reddidit.

Imperator a Sa-  
xonibus supera-  
tur in bello.

Anno

Anno Brunonis abbatis decimo, dominicæ natiuitatis millesimo centesimo decimosexto, in natiuitate Domini, multi pontifices, abbates, & principes, Colonie conueniunt, consilio & autoritate Theodorici cardinalis & apostolicæ sedis legati, cuius fama iam per regnum celebris habebatur, de rebus Ecclesiæ tractaturi. Sed idem cardinalis in itinere moritur, cuius corpus ad Coloniam sepeliendam transfertur,

Adelbertus episcopus de captiuitate liberatur. Conuentus principum Colonia.

Hoc anno magna inæqualitas aëris fuit.

Anno Brunonis abbatis undecimo, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus centesimus decimusseptimus, monasterium in Breidenauu ordinis nostri Moguntinensis diocesis, in Hassia fundari cœpit à Vuernero comite, uiro præstantissimo: quod posteaquàm perfecit, anno dehinc tertio magnificè dotauit: abbatemq; & fratres, sicut dicemus, ex hoc Hirfaugienfi monasterio impetrauit.

Monasterij Breidenauu fundatio.

Eodem anno, in octaua sancti Ioannis Euangelistæ, terræmotus bis inter diem & noctem, per totum penè orbem terrarum, tam horrendus & terribilis fuit, ut multa ædificia corruerent, & homines sine numero perirent, maximè in Italia: ubi tam periculosus & horribilis fuit, ut diuersas ciuitates, castella & uillas cum hominibus ibi commorantibus subito terræhiatu interirent. Nam & montes scissi sunt, & flumina deglutiente terra penitus exiccata, ita ut qui uellent, pedibus siccis transire potuissent. Padus etiam, unus de quatuor Europæ maioribus fluuijs, de suo loco in altum se erigens, ita in modum fornicis à terra stabat eleuatus, ut inter terram & aquam uia patesceret transeuntibus. Quumq; sic diutius aqua penderet in aëre, tandem in semetipsam collisa cum tanto strepitu ab alto dimittitur, ut sonitus illius per multa miliaria audiretur. His horrendis signis per uniuersam Europam diuulgatis, nihil aliud ab omnibus, quàm extremus instare dies credebatur. Ieiunjs autem & orationibus triduanis, per totam Italiam ab omni populo peractis, sententiam Domini mitigare studuerunt,

Terræmotus ædificia subuertit et homines.

Montes scissi sunt.

Mirabilis aquarum eleuatio.

Interea dum hæc indicta ieiunia cum magno timore agerentur, apud Cremonam infantulus in cunis iacens, pannis obsitus, in primam loquendi uocem contra naturam os suum aperuit, & maiori fratri panem postulanti fletibus, matricq; suæ escam illi parenti compescendo ambos, dixit: Cessate mortales escas parare, ò mox perituri: ecce sancta Dei genitrix uirgo Maria, ante Christi tribunal, precibusq; instantissimis supplicat pro iudicio tremendæ sententiæ, quod mundo propter peccata hominum iudex ipse iustissimus intenderat. Et licet hæc signa terruerint omnes qui uiderunt & audierunt, paucos tamen emendarunt. Multa enim eodem anno mala perpetrata ab hominibus, maximè in Gallia & Germania fuerunt, iniustæ coniurationes, incendia, homicidia, concremationes ecclesiarum, & abstractiones honorum inibi Deo seruentium. Consurgunt ciues contra ciues, se mutuò spoliunt, bona diripiunt, ciuitates, castella, uillas & domos destrunt & incendunt: homines non humano, sed pecudum more dilaniant & interimunt. Eclipsis lunæ bis fuit eodem anno, scilicet decimosexto calendis Iulij, & quarto iduum Decembris. Mirabile quoq; signum decimosextimo calendis Ianuarij, uarijs permixtum coloribus, apparuit in cælo.

Infans contra naturam loquitur.

Verba infantis.

Homines territi non emendati, peccatis peccata accumulunt.

Signum in cælo apparuit.

Anno Brunonis abbatis duodecimo, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus centesimus decimusoctauus, Buggo Vuormatiensis ecclesiæ reuerendissimus antistes, qui Epponi successerat, ipsam ecclesiam suam Vuormatiensem pulchro tabulatu lapideo renouatam consecrauit, idibus Iulij, præsentibus ibidem multis episcopis, Brunone Treuerensi, Euerhardo Eistetensi,

Ecclesia Vuormatiensis dedicatur à Bruno episcopo.

stetensi,

stetensi, Albuino Mersburgensi, Hartuuicho Misnensi. Eodem anno 15. cal. Februa. obiit Paschalis papa 2. qui fuerat antea ordinis nostri. Cui successit Ioannes, ex monacho Casinensis cœnobij ordinis nostri, diaconus cardinalis & archicancellarius, uir eruditione literarum morumq̃ integritate clarissimus, & Gelasius papa 2. appellatus, præfuit ecclesiæ uno duntaxat anno. Hic primo sub abbate Odrisio monachus fuit cœnobij Casinensis, deinde ab Urbano 2. propter admirabilem scientiam eius & uitæ probitatem, in ecclesia Romana secretarij officium accepit. Postea per Paschalem diaconus cardinalis & cancellarius factus, ad extremum (sicut diximus) papa ordinatus est. Cuno sedis apostolicæ legatus, episcopus Prænestinus, ad regnum Teuthonicorum à Paschali missus à latere, & à Gelasio per episcopum Vinariensem corroboratus Coloniam uenit, & synodum episcoporum & abbatum gloriosam ibidem celebrauit. Sub isto uenerabili abbate Brunone, substantia monasterij in temporalibus tam per oblationes fidelium, quam per prouidam gubernationem, satis admodum creuit. Multi enim uiri nobiles, diuites & potentes in seculo, pro animarum suarum remedio multa prædia & bona huic monasterio tẽpore illius contulerunt. E quibus Hemma comitissa de Tubingen cum filijs suis Henrico & Hugone, pro se maritoq̃ suo comite Hugone, non parue estimatis prædium in Eichenuuiler S. Petro & Paulo Hirsaugiensium patronis, in perpetuam tradidit possessionem. Geba quoq̃ comitissa ex Francia Orientali, quæ tãdem pro regni cœlestis amore contẽptis rebus mundi ad sanctæ religionis habitum se cõuertit, multa prædia, ornamenta, crucem, calicemq̃ & pecunias in summa, notabili huic monasterio sub Brunone abbate contulit, quorum omnium ualor seu precium ad 200. marcas argenti ferme ascendit. Luitgardis etiam soror ipsius Brunonis in auro & argento non parum pro remedio animæ suæ huic cœnobio cõtradidit. Sed & comes Bertholdus de Eberstein, unã cum uxore sua Adelheide, cum filiorum suorum Bertholdi, Euerhardi & Hugonis consensu, quartã partem uillæ Eltingen cum omni iure suo huic monasterio tradiderunt, in præsentia Gotfridi comitis de Caluue, Euerhardi comitis de Helffenstein, Hugonis comitis de Tubingen & Viderici de Lustenau, Reginbodonis de Tallacker, Maselini de Rupburg, & aliorum complurium sub eodem Brunone uenerabili abbate. Diemarus quoq̃ miles inter principes Orientalis Franciæ nobilis, diues, potens, & famosissimus, in diœcesi Herbipolensi, in comitatu Mergintheim, in Rutingen iuxta fluuium Tubera mansionem suam habens frequentiore, diuina inspiratione actus, omnia quæ sui iuris erant, tam in eodem loco Rutingen quam in alijs, pro remedio animæ suæ parentumq̃ suorum solenni donatione huic monasterio nostro Hirsaugiensi tradidit. Et postremò semetipsum offerens Deo & sanctis Apostolice eius Petro & Paulo, in perpetuum mancipium sub Gebhardo abbate habitum monasticum in præsentia cœnobio suscepit, & in sancta conuersatione usq̃ ad mortem perseuerauit. Facta est autem hæc solennis Diemari militis donatio tempore Gebhardi abbatis, anno Domini 1103. indict. 11. sub Henrico Imperatore 4. in die S. Priscę uirginis & martyris, in præsentia Ebonis comitis de Mergentheim & aliorum multorum testium. Alius quoq̃ non obscuri generis miles de uilla Merlenheim, nomine Cõradus, in hoc monasterio Hirsaugiensi, sub abbate uenerabili Brunone monachus factus est: qui priusquam sanctæ conuersationis habitum susciperet, omnia bona sua quæ hæreditario iure possederat, huic monasterio super altare S. Petri & Pauli Apostolorum facta donatione solenni con-

*Gelasius papa  
secundus fuit  
ordinis nostri.*

*Synodus celebra-  
tur Colonia.*

*Substantia mona-  
sterij sub abbate  
Brunone satis au-  
cta.*

*Geba comitissa.*

*Luitgardis.*

*Bertholdus comes  
de Eberstein.*

*Diemarus miles  
fit monachus &  
sua dat omnia.*

*Donatio Diema-  
ri.*

*Conradus miles  
fit hic monachus  
& sua dat.*

tradidit,

tradidit, præsente ipso Brunone abbate, totaq; congregatione cum alijs multis. Huius donationis confirmatio facta est in præsentia Brunonis episcopi Spirensis, Egeberti comitis Spirensis, Stephani fratris ipsius Conradi, & aliorum multorum.

Anno Domini 1109 regnante Imperatore Henrico 5. Hermannus comes de Liningen cum Adela uxore sua, & Diemo comes de Brackfelden, Centum tubas in Rotha & circumiacentibus uillulis in episcopatu Augustensi, pro se & omni cognatione sua Deo & beato Petro tradiderunt in ius perpetuum monasterij Hirsaugiensis: ea uidelicet conditione, ut prouidentia eiusdem monasterij abbate, seruitium Dei secundum regulam S. Benedicti ibidem instituat: quod & factum est. Nam in eodem loco monasterium opera & impensis abbatis Hirsaugiensis cum auxilio, in circuitu fidelium constructum est, in quo fratres ex isto cœnobio missi uitam instituerunt regularem, habentes super se prapositum cum ipsis egredientem & ingrediẽtem, abbatiq; Hirsaugiensi cum fratribus suis in omnibus sine medio subiectum. Institutio enim & destitutio prapositi in Rode, ad ius abbatis Hirsaugiensis semper pertinuit usq; in hodiernum diem.

Tempore eiusdem Brunonis abbatis erat quidam ciuis Spirẽsis nomine Bebo, uir diues ualde, & fratrum Hirsaugiensium maximus amator, qui pro remedio animæ suæ parentumq; suorum multa huic monasterio bona fecit. Contulit enim diuersis uicibus uel pro fratrum necessitatibus subleuandis, uel pro prædijs comparandis, tam in uita quàm in ultimo decessu huic monasterio, plus in ualore argenti puri, quàm 450. marcas, sicut in libro donationum clarius inueniri potest. Vuilhelmus quoq; de Hirsickeim quædam eiusdem uillæ prædia non paruæ utilitatis, ad altare S. Petri Apostoli in hoc monasterio contulit, in præsentia Brunonis & totius congregationis. Quam donationẽ, ad perpetuam stabilitatem postea in Ingersheim in placito secularium publico, coram abbate Brunone comiteq; Adelberto & alijs multis denuò confirmauit. Comes etiam Fridericus, frater S. Ottonis Bambergensis episcopi, quædam huic monasterio Hirsaugiensi prædia tempore Brunonis abbatis donatione solenni contulit in perpetuum. Ipse quoq; Bruno abbas tẽpore sui regiminis multa bona, prædia, census & redditus per manus fratrum suorũ, quibus rerum summa post ipsum erat commissa, pro huius utilitate cœnobij comparauit. Multi etiam comites, nobiles, ciues & uillani, tẽpore eius multa bona huic monasterio contulerunt, quorum nomina in libro donationum cœnobij descripta, causa breuitatis duximus omittenda. Ex his etiam complures & se & sua propter amorem regni cœlestis Hirsaugiensi monasterio contradentes, sanctæq; conuersationis habitum assumentes & monachi facti, usq; ad mortem in obseruantia regulari permanserunt.

Anno Brunonis abbatis 13. qui fuit dominicæ natiuitatis 1119. indictione 12, Drutuwinus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis ordinatus est primus abbas ad Breitenauu, Moguntinensis diœcesis in Halsa, de cuius fundatione supra dictum est. Venitq; missus ab abbate Brunone ad preces comitis Vuernerii fundatoris cum 12 monachis ad prædictum cœnobium Breitenauu, 15. calend. Decemb. & præfuit annis 14. uir moribus & scientia reuerendus, regularisq; disciplinæ institutor, propagator & conferuator præcipuus, qui multos uerbo & exemplo ad Christi amorem conuertit. Eodem anno Gelasius papa synodũ in Francia celebraturus apud Cluniacum moritur, ibiq; sepultus, cui Otto Viennensis archiepiscopus succedens

Hermannus comes de Liningen & Diemo comes.

Præpositura in Rode fundatio.

Bebo ciuis Spirensis.

Vuilhelmus fraterq; S. Ottonis episcopi & Fridericus dederunt multa prædia.

Abbas Bruno multa comparauit.

Multi se & sua monasterio tradiderunt.

Drutuwinus abbas cum 2. monachis ad Breitenauu mittitur.

Gelasius papa obiit Cluniaci.

*Calixtus papa.* succedens, & Calixtus secundus nūcupatus, sedit annis sex. Ipse in ciuitate Remensi ad festum S. Lucae Euangelistae synodum celebrans cum episcopis & abbatibus Imperatorem excommunicauit. Adelgos archiepiscopus Magdeburgensis obiit, cui Rutgerus successit. Imperator excommunicatus absente archiepiscopo à Colonienſibus honorificè suscipitur. Vnde diuina eis officia per ipsum episcopum interdicta sunt. Conuentus Imperatoris & principum apud Moguntiam in festiuitate S. Petri & Pauli habitus est. Eodem anno obiit Osbertus episcopus Leodicensis, cui Fridericus successit anno uno & aliquot mensibus.

*Ordinis Præmonstratenſis institū.*

Anno Brunonis abbatis 14. qui fuit dominicæ natiuitatis 1120. ordo Præmonstratenſis cœpit in diœcesi Laudinensi, sub Bartholomeo episcopo, rege Francorum Ludouico, regnante patre Ruperto, uenerandæ sanctitatis uiro, ipsum cum regula S. Augustini cum 13. socijs instituente circa festum Paschatis, quem Calixtus papa confirmauit. Qui ordo in breui tempore postea mirabiliter crescens, ampliatus est. Eodem anno Henricus Imperator Italiam ingressus pacem cum Romano Pontifice Calixto reformauit, & ab excommunicationis sententiâ absolutus fuit. Huius autem inter ecclesiam & imperium concordiae factae literas tam papæ quàm Imperatoris huic nostro operi ad notitiam posteritatis placuit ut inseramus. Sic itaq; papa Imperatori scripsit:

*Concordia fit inter papam et Imperatorem.*

*Literæ papæ de concordia factæ.*

Ego Calixtus episcopus, seruus seruatorū Dei, tibi dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum Imperatorum Augusto, concedo electiones episcoporum & abbatum Teuthonici regni, qui ad regnum pertinent in præsentia tua fieri, absq; simonia & aliqua uolentiâ. Vt si qua inter partes discordia emerſerit, Metropolitanis & prouincialium consilio uel iudicio saniori parti assensum uel auxilium præbeas. Electus autem regalia per sceptrum à te percipiat, & quæ ex his iure tibi debet, faciat. Ex alijs uero partibus imperij consecratus infra sex menses regalia per sceptrum à te percipiat, & quæ ex his iure tibi debet, faciat, exceptis omnibus quæ ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. De quibus uero mihi querimoniam feceris & auxilium postulaueris, secundum officij mei debitum, auxilium tibi præstabo. Do tibi ueram pacem & omnibus qui in parte tua sunt uel fuerunt, tempore huius discordiæ. His à papaliteris Imperator susceptis eiusdem tenoris eidem dedit: In nomine sanctæ & indiuiduæ trinitatis, Ego Henricus

*Imperator papæ resignat inuestituram non regalia.*

*Literæ Imperatoris quas dedit papæ.*

Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore Dei & sanctæ Romanæ ecclesiæ & domini papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, dimitto Deo & sanctis Dei Apostolis Petro & Paulo sanctę ecclesię catholice, omnem inuestituram per annulum & baculum: & concedo in omnibus ecclesijs, quæ in regno uel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem & liberam consecrationem. Possessiones & regalia B. Petri, quæ à principio huius discordiæ usq; ad hodiernam diem, siue tempore patris mei, siue etiam meo ablata sunt, quæ habeo eidem Romanę ecclesiæ restituo: quæ autem non habeo, ut restituantur fideliter iuuabo. Possessiones etiam omnium aliarum ecclesiarum & principum & aliorum tam clericorum quàm laicorum, quæ in guerra ista amissa sunt, consilio principum uel iusticia, quæ habeo reddam, quæ non habeo ut fideliter reddantur iuuabo. Et do ueram pacem domino papæ Calixto sanctę Romanæ ecclesiæ & omnibus qui in parte eius sunt uel fuerunt. Et in quibus sancta Romana ecclesia auxilium postulauerit à me, fideliter iuuabo: & de quibus fecerit mihi querimoniam, debitam sibi faciam iusticiam. Hæc omnia acta sunt consensu & consilio



Consilio principum, quorum nomina subscripta sunt, Adelbertus archiepiscopus Moguntinus, Fridericus archiepiscopus Coloniensis, H. Ratiponensis episcopus, Otto Bambergensis episcopus, Bruno Spirensis episcopus, H. Augustensis episcopus, Godebaldus Traiectensis episcopus, Vdalricus Constantiensis episcopus, H. Fuldensis abbas, Henricus dux, Fridericus dux, Bruno dux, Dieboldus marchio, Godfridus Palatinus comes, Otto Palatinus comes, Engelbertus marchio, Berengarius comes, Theodoricus comes, & alij complures. Hæc autem concordia post reditum Imperatoris de Italia & constitutiones Burdini Antipapæ, in Germania facta est. Nam papa Calixtus Romam de Apulia reuersus, post discessum Imperatoris Henrici, tres ad eum in Alemaniam cardinales mittit legatos pro pace firmanda inter ipsum & ecclesiam. Qui eum adeuntes ordinante Deo, pacem (sicut præfati sumus) in publico principum conuentu apud Moguntiam reformauerunt. Iste papa Calixtus inter cætera ingenij sui opuscula scripsit non contemnendæ lectionis libellum de miraculis sancti Iacobi Apostoli, quæ sparsim legerat, uel à fidelibus audierat, cum adhuc esset scholaris, sicut in eodem fatetur. Multa etiam in papatu utiliter constituit, quorum in Decreto Gratiani multa habentur. Eodem anno obiit Diegerus Metensis episcopus. Obiit etiam Fridericus comes Palatinus. Claruit his temporibus Sigebertus monachus Gemblacensis cœnobij ordinis nostri, uir in diuinis scripturis eruditissimus, & in secularibus literis ualde eruditus, cuius eruditio & sapientia magnæ opinionis & famæ in tota Gallia Germaniaq; fuit. Scripsit multa uolumina, quibus se & tunc præsentibus & longè postea futuris utilem fecit. Ex his reperi Historiarum transacti temporis insigne uolumen. De illustribus quoque uiris ordinis nostri librum unum. Vitam sancti Theodorici Metensis episcopi heroico carmine descripsit. Vitam quoque Sigeberti regis, Vitam & passionem sanctæ Lucie uirginis, elegiaco uersu composuit. De translatione eiusdem corporis ad ciuitatem Metensem contexit historiam. Scripsit etiam heroico carmine passionem Thebeorum martyrum. Vitam quoque sancti Guniberti monachi, fundatoris Gemblacensis. Chronicon etiam sui monasterij. Ad Henricum Imperatorem quartum, scripsit libellum contra eos qui calumniabantur missas sacerdotum concubinas habentium. Eiusdem rogatu respondit Treuerensibus de ieiunijs quatuor temporum. Item de scriptoribus famosis libellum breuem quidem, sed non inutilem edidit. In Ecclesiasten quoque heroico uersu triplicem expositionem composuit. Epistolas etiam plures ad diuersos. Sermones, homilias, antiphonas, responsoria, & de diuersis sanctis uaria scripsit. Iste Sigebertus, de suo monasterio ad cœnobium sancti Vincentij Metensis nostri ordinis, propter eruditionem suam euocatus, ibidem publicè monachorum scholæ præfuit aliquandiu. Postea in suum reuocatus cœnobium, omne tempus uitæ suæ in studio literarum discendo, scribendo & docendo consummauit. Rudolphus etiam ordinis nostri, abbas monasterij sancti Trudonis, in diocesi Leodiensi, uir tam in diuinis scripturis, quàm in secularibus literis egregiè doctus, carmine & prosa exercitatus, his temporibus inter alia ingenij sui monumenta scripsit contra Simoniacos insigne uolumen, quod in septem libros distinxit. Chronicon etiam breue rerum gestarum transacti temporis compilauit. Sed & alia complura scripsisse dicitur, quæ necdum uide-

*Nomina principum qui tunc compositioni interfuerunt.*

*Concordia papæ & Imperatoris Moguntia facta.*

*Calixtus.*

*Sigebertus.*

*Sensit contra seipsum Gregorij.*

*Scholæ monachorum Sigebertus præfuit.*

*Rudolphus S. Trudonis.*

*Vuernerus funda-  
tor Breitenauu  
obiit.*

*Monasterij re in  
Oesborch funda-  
tio.*

*Cœnobij monia-  
lium ibidem.*

*Bruno abbas mo-  
riur.*

*Laudes eius.*

*Humilitatis et  
simplicitatis ama-  
tor.  
Nunquam uisus  
ociosus.*

*In scientia spiri-  
tuali sapientissi-  
mus fuit.*

Anno Brunonis decimoquinto currente, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus centesimus uigesimus primus, Vuernerus comes, primus fundator & dotator monasterij in Breitenauu obiit, uir per omnia Deo deuotus. Obiit etiam Fridericus Leodiensis episcopus, pro quo Adelbero frater Godfridi ducis constituitur. Eodem quoque anno Gedealdus Traiectensis episcopus, monasterium ordinis nostri non longè à ciuitate ipsa Traiectensi in palustri solitudine fundauit, in honore sancti Laurentij martyris, quod usque in præsentem diem in Oesborch dicitur, in quo abbatem & monachos constituit, quibus necessaria copiosè prouidit. Fertur quòd maxima in eo loco congregatio monachorum fuerit, qui in tanta districtione monasticæ conuersationis uixerunt, ut ipse locus multo postea tempore ab incolis terræ, Carcer religionis diceretur, & esset. Qui enim in alijs cœnobijs emendari non poterant, illuc ad agendam pœnitentiam mittebantur. Monasterium quoque monachorum siue monialium, cœnobio præfato uirorum coniunxit, in quo multas Christo seruientes uirgines collocauit, quibus etiam de necessarijs prouidit.

Eodem anno dominicæ natiuitatis prædicto, millesimo centesimo uigesimo primo, indictione decimaquarta, Bruno huius cœnobij uenerabilis abbas, post multos in sancta religione labores habitos, senioque grauatus infirmari cœpit, qui toto Christum desiderio concupiscens, tandem ex hac miseria feliciter migravit.

Isto anno decimo, calendas Aprilis, assumpti regiminis decimoquarto anno completo, cum mensibus tribus & diebus uigintiduobus, sepultus in ecclesia sancti Petri & Pauli, ante altare sancti Laurentij martyris, uir certè memoria dignus, & perpetua laude apud posteritatem celebrandus: quippe totius uirtutis, religionis & sanctitatis exemplar fuit, & norma recti, qui ex eo die, quo sanctæ conuersationis habitum in præsentem cœnobio semel assumpsit, semper in anteriora proficiens retrò non aspexit. In oratione fuit continuus, in oblatione corporis & sanguinis Domini ci quotidianus. Ex eo nanque tempore, quo canonicatum suum in ecclesia Spirense cum alijs honoribus & multis diuitijs pro Dei amore contempsit, & monachus esse cœpit, ita se totum ad interiora contulit, ita mundi curas & negotia uniuersa contempsit, in tantæque humilitate & simplicitate seipsum propter Dominum nostrum Iesum Christum depressit, ut à nescientibus ipsum omnium simplicissimus esse uideretur. Nemo deinceps ociosum illum uidit unquam, sed mentali exercitio spiritus semper occupatus, aut in oratione feruebat cum lachrymis, aut in lectione diuinarum scripturarum erat intentus, aut meditatione, aut contemplatione sursum ad Deum eleuatus. Et quia uiri sapientis, beati uidelicet Prosperi episcopi consilium operibus impleuit, diucentis, Tranquillam & uacuum curis sapientia mentem imbuit, & placidi pectoris hospes erit. Idcirco requieuit super eum spiritus sapientia salutaris, quo animum eius mirabiliter illustrante, inter doctissimos etiam doctior apparuit: & in his maximè quæ ad rationem salutis, ad discretionem uirtutum & institutionem monasticæ conuersationis pertinebant, tam propriè, tam concinnè, tamque ornate loqui & persuadere, non solum fratribus & subditis suis, sed etiam alienis, tam religiosis, quam secularibus, ita ut quicumque audiissent, in sermone eius uehementer obstupe-

obstupescerent. Vnde per dulcissimas admonitiones eius, multi uiri nobiles & diuites milites, canonici, & in seculo multum honorati, ad contemptum mundi perducti sunt, qui habitum sanctę conuersationis sub eius magisterio in presenti cœnobio susceperunt. Totus siquidem erat internus, ardens in amore diuino, plenus charitate, deuotione & pietate: unde quoties in eum irruente spiritu Domini ad proferendum uerbum, exhortationis auditoribus suis os aperuit, non humana, sed diuina uerba loqui uidebatur. Sepultus ergo ante altare beati Laurentij (sicut diximus) per annos trecentos triginta nouem, sub terra iacuit, & tandem exhumatus cœcum illuminauit.

*Efficax in persuadendo fuit.*

Anno namq; dominicę natiuitatis millesimo quadringentesimo sexagesimo, indictione 8. 3. calendas Septembris, cum mortuo abbate Vuolframo dicto Meiser, sepultura ei in eo pareretur loco, ubi corpus D. Brunonis abbatis præfati, cum inscriptione nominis (ut consuetudo habet) in lapide superposito iacebat humatum, & monumentum eius propter loci angustiam casu tangentes à latere pro parte aperiri cœpisset, tanta mox suauissimi odoris fragrantia erupit, ut omnes qui circumstabant pauore simul & admiratione percussi, penè extra se rapti putarentur. Vix autem sibi persuadentes audendum, ut tamen causam huius miraculi perciperent, tumulum ipsam D. Brunonis altius fodientes aperiunt, & unde processerat tam suauissimus odor iam cernentes, uirum sanctum quasi integrum iacentem in sarcophago cognoscunt. Quidam uerò de circumstantibus monachis experiri uolens incorruptionem quę apparebat, sacrum corpus leniter cum baculo tetigit, & mox aère subintrante usq; ad ossa, resolutum in cineres fuit. Dum hæc agerentur, interea casu contigit hominem quendam pauperem, cæcum & claudum adesse in ecclesia, qui suauitate odoris prouocatus cœpit interrogare, unde tanta fragrantia procederet, quid uel significaret. Responsum est illi à circumstantibus illis monachis, hunc odorẽ suauissimum ex tumulo cuiusdam abbatis ibi ante multos annos sepulti, iamq; exhumati procedere, & sanctitatis eius merita significare. Audiens autem nomen sanctitatis rogauit, se duci ad tumulum, ubi flexis genibus orans D. Brunonis auxilium cum ingenti deuotione inuocauit, & mox cernentibus & stupentibus cunctis qui aderant, uisum & gressum simul perfectissimè recepit. Glorificantes ergo Deum in sanctis suis mirabilem, omnium campanarum sonitus increpuit, factumq; est miraculum hoc in omni circa regione percelebre, & diui Brunonis merita in ore omnium, laudibus ad astra ferebantur.

*Odor suauissimus de sepulchro eius erupit.*

*Corpus ad tactũ resoluuitur.*

DE VOLMARO HUIVS MONASTERII AB-  
bate decimoquinto, qui præfuit annis trigintaquinque, mensibus decem, & de gestis eius, illiusq; temporis.

Mortuo igitur uenerabili abbate Brunone, sicut dictum est, atque sepulto, mœror non paruus inter fratres de amissione boni pastoris exortus est, quippe qui eos in omni religione & sanctitate, uerbo & exemplo præcedens, se cunctis fecerat amabilem. Sed ne diu oues sine pastore plorantes, contingeret morsibus patere luporum, tertio post obitum Brunonis die, fratres ad instituendum nouum super se pastorem conuenientes in unum, inuocatoq; (ut moris est) spiritus sancti auxilio, Volmarum, unum ex suis uenerabilem & sapientissimum mona-

*Volmarus.*

chum, unanimiter in abbatem elegerunt, anno Domini millesimo centesimo uigesimo primo, indictione decimaquarta, septimo calend. Aprilis, qui ex humilitate mentis suæ diu reluctatus est, clamans se indignum & penitus insufficientem ad tale gerendum officium, in quo plus periculi metuendum semper assumentî, quàm honoris. Acquiescens tandem precibus fratrum, iniunctum sibi onus cum omni humilitate assumpsit, moxq; decimo dehinc die, hoc est, pridie nonas Aprilis, in festiuitate sancti Ambrosij, Moguntia in monasterio sancti Albani, ab Adelberto archiepiscopo Moguntino munus consecrationis in conspectu multorum abbatum & clericorum sollemniter accepit. Ordinatus autem in abbatem, diuina proculdubio prouidentia & ordinatione præfuit huic monasterio strenuè annis 35. & mensibus decem. Fuit autem in Sueuia liberiori genere natus, qui ab ineunte ætate sua, studio literarum operam dedit, & satis tam in secularibus literis quàm in diuinis scripturis doctus euasit. Natura enim consequutus ingenium bonum & docile, ad quælibet discenda idoneus uidebatur. Factus deinde monachus, in conspectu fratrum suorum sine reprehensione incessit, regulæ sanctissimi patris nostri Benedicti ac paternarum traditionum amator studiosus & cultor. Proceræ staturæ fuit, & quantum ad rationem dispositionemq; corporis exteriorem pertinet, quandam maiestatem animi in interioribus latitantem, exterior quoq; habitus corporis præ se ferre uidebatur. In omnibus dictis & factis suis maturus existens, quandam seueritatem animi præferbat, ita ut non solum religiosis, uerùm etiam secularibus quibusq; reuerendus & metuendus appareret. Omnem leuitatem & dissolutionem tam mentis quàm corporis detestabatur, semper firmus, stabilis, & in sua conuersatione æqualis, nulloq; unquam tempore mutatus ad laxiora uisus est. In moribus enim suis ita compositus, ita maturus, ita religiosus semper esse consueuit, ut in eius præsentia homines etiam dissoluti & alioquin leuissimi, quasi quodam numine intus uiolenter prohibente, non nisi honestatem & maturitatem potuerint exhibere. Iocundus interdum, dissolutus nunquam esse solebat: ipsamq; hilaritatem solita grauitate moderari consueuit, ut ridenti cum sancto Iob, risum nemo crederet. Magna quoq; sapientia præditus fuit, & non tantum in his quæ ad rationem monastici status pertinebant, sed in omnibus quoq; negotijs mundanis adeò circumspectus & intelligens fuit, ut omnium sapientum iudicio prudentissimus iudicaretur. Natura etiam simul & arte facundus erat, & tam Latino quàm patrio sermone peritissimus: tantaq; in utroque eloquentia clarus, ut similem suo tẽpore inter Sueuos non habuerit. Quicquid dicere uoluisset, tam propriè, tam ornatè, tamq; concinnè dicebat, ut persuadens ad omnia, animos auditorum habere in sua potestate uideretur. Mox autem ut ordinatus in abbatem fuit, omni se studio fratribus pastorem utilem exhibere curauit, & non solum uerbis in exhortando quod egregiè poterat, sed etiam moribus præcedendo, quod pauci faciunt, oues sibi commissas ad uitæ pascua sedulo perduxit. Viciorum hostis acerrimus fuit, delinquentesq; subditos mox sine acceptione personarum secundum tenorem sanctæ regulæ correxit. Vnde summo studio circa disciplinam monasticam tam ad se quàm ad subditos omni tempore fuit sollicitus, quos per bonum exemplum præcessit continuè: & ut sequerentur, pastoralis auctoritate indefinenter urgebat.

Videntes autem fratres, quibus inerat amor disciplinæ regularis, zelum, studium,

*Moguntia conseruatur ab archiepiscopo Adelberto.*

*Vita Volmari.*

*Corporis dispositio.*

*Maturus fuit.*

*Morum qualitas*

*Sapientia præditus.*

*Eloquentissimus suo tempore fuit.*

*Vtilem se pastorem exhibuit.*

*Hostis uiciorum.*

*Amabatur à fratribus propter religionem.*

studium, diligentiam & irreprehensibilem conuersationem abbatis Volmari, magno illum amore colebant, cooperatores se illi in omnibus cum hilaritate maxima exhibentes. Cum ergo per sollicitudinem abbatis & fratrum regularis disciplinae feruor, in praesenti monasterio per gratiam Dei notabiliter augeretur, benedixit eis omnipotens Deus, & per oblationes fidelium temporalis substantia multipliciter augmentata est. Multi enim principes, nobiles & diuites tempore huius Volmari abbatis, multa huic coenobio propter sanctam conuersationem fratrum donaria contulerunt. E quibus ut paucos recenseamus, Vda soror Godfridi comitis Palatini non parua utilitatis praedia S. Petro & Paulo in Hirsaugiensi monasterio contulit, quae tamen ipse Godfridus uiolenter ad se trahens & fructum eorum quam diu uixit percipiens, quum iam moriturus esset, in manus Vuolframii de Vuinsberg restituenda monasterio Hirsaugiensi coram multis resignauit. Deinde paruo transacto tempore Vuelpho genero ipsius Godfridi comitis non solum ablata restituit, sed etiam de suis multo maiora coniunxit, quae omnia nominatim in libro donationum expressa continentur. Hildebrandus etiam de Burbultingen quaedam huic monasterio praedia contulit pro remedio animae suae, spem gerens non modicam in orationibus fratrum Hirsaugiensium. Alius item clericus quidam nomine Euerhardus, nobili prosapia ortus, multa praedia & bona huic monasterio tempore Volmari abbatis contulit, seque in orationes fratrum humiliter commendauit. Sed & Henricus Decanus ecclesiae Vuormatensis uir diues & deuotus, magno fratres Hirsaugienses prosequens amore, multa huic monasterio bona tam in ornamentis quam in pecunijs contulit, seque in orationibus fratrum commendauit. Alij quoque multi, multa S. Apostolis Petro & Paulo fratribusque Hirsaugiensibus sub Volmaro pro Dei honore contulerunt, quorum nimis taediosum & legibus historiae penitus contrarium foret, nomina per singulos recensere. Nec solum de uicino, & in Sueuia finibus comorantes homines beneficia sua impenderunt Hirsaugiensibus, sed etiam ex locis ab Hirsaugia remotissimis, neglectis monasterijs sibi uicinis, dona, munera & praedia in uarijs locis tam sub abbate Vuolmaro, quam sub diuersis alijs, monasterio huic mirabili deuotione successi tradiderunt. Nam & mulier quaedam in ciuitate Colonensi fama sanctitatis monachorum Hirsaugiensium incitata, nomine Liberadis, domum quam habebat in Colonia magni precij & aestimationis, coram ciuibus & consularibus Hirsaugiensibus pro remedio animae suae tradidit in perpetuum possidendam. Ipse quoque Volmarus abbas cum esset uir prudens & tam in secularibus negotijs quam in spiritualibus actionibus expertissimus, multa praedia, bona, census, & redditus per suam industriam comparando ad utilitatem fratrum conquisiuit. Vnde res monasterij sub eius regimine, largiente Domino satis ampliatae sunt, & fratres famulantes Christo merito & numero creuerunt. Magna enim industria utebatur, & tam diligenter omnia curabat, ut si studium eius ad spiritualia exercitia uidisses, nullam ei curam temporalium rerum omnino credidisses. Rursus si laborem & curam illius quam in procurandis disponendisque rebus temporalibus pro fratrum quiete impendebat, attendisses, omnino putasses impossibile aliquam illum sollicitudine exercitiorum spiritualium habere potuisse. Ita enim sicut de Aioth prouerbiu dicit, Ambidexter erat, ut alteri sine alterius detrimento rationaliter posset intendere. Anno eius primo completo qui fuit dominicae natiuitatis millesimus ceterimus uigesimus secundus, papa Calixtus 2 Laepertu

*Amabatur a fratribus propter religionem.*

*Multi multa huic monasterio contulerunt. Vda soror comitis palatini.*

*Vuelpho dux.*

*Hildebrandus.*

*Euerhardus clericus nobilis.*

*Ex longinquo donationes sunt Hirsaugiensibus.*

*Coloniae domus datur Hirsaugi.*

*In utroque statu industrius fuit.*

*Hugo, ex abbate  
episcopus Altiſſo-  
dorensis.*

*Odenheim cæno-  
bij fundatio.*

*Bruno obiit.*

*Norbertus Colo-  
niæ reliquias in-  
uenit plures.*

*Corpus S. Ge-  
reonis reperitur.*

*Monasterij in  
Spanheim funda-  
tio.*

episcopum Hostiensem legatum misit in Germaniam, qui absoluit omnes ab excommunicatione generali. Cuno episcopus Argentinenſis eodem anno deponitur, cui alius nomine Bruno successit. Gebhardus episcopus Herbipolensis constituitur. Eodem anno Fridericus archiepiscopus Coloniensis castellum Imperatoris, nomine Carpena, Coloniensibus auxilium ferentibus, obsedit, cepit & destruxit. Claruit his temporibus Hugo, ex abbate S. Germani ordinis nostri episcopus Altiſſodorensis, nepos S. Hugonis abbatis Cluniacensis, uir scientia & moribus insignis, & æterna memoria apud posteritatem celebrandus, qui ordinem Cisterciensem eo tempore nouum ualde dilexit, & pro sua facultate multa bona eidem fecit in sua diocesi, necessariaque ministravit. Anno Volmari abbatis 2, qui fuit dominicæ natiuitatis 1123. monasterij ordinis nostri in Odenheim Spirensis diocesis fundatio, per Brunonem archiepiscopum Treuerensem & fratrem eius Popponem comitem de Bretheim (sicut supra diximus) consummata est, ubi facta solenni dotatione & confirmatione ab Imperatore Henrico quinto, monachi introducti sunt, numero duodecim, missi ex hoc monasterio Hirsaugiensi, ad instantiam archiepiscopi & comitis præfatorum, quibus primus abbas prælatus est Euerhardus huius cœnobij Hirsaugiensis monachus, uir uita & conuersatione præclarus, qui tam in spiritualibus quam in temporalibus satis expertus & utilis fuit. Hoc monasterium ante hoc ferme triennium, ab ordine, monachis cum abbate apostatantibus in ecclesiam secularem deformatum est: quod quomodo acciderit, suo tempore dicemus. Hoc ipso anno Bruno episcopus Spirensis moritur, & in monasterio Limpurgensi ante gradus presbyterij sepelitur, de quo Rupertus abbas Limpurgensis mirabiles uisiones conscribit, dicens eum fuisse excommunicatum, se grauem sententiam apud internum iudicem incidisse, propterea quod eum in ecclesiam sepeliri permisit, uixque per intercessiones sanctorum mortis periculum euasisse. Eodem anno seruo Dei Norberto ad quærendas sanctorum reliquias Coloniã ueniente, & suis indicto ieiunio & orationi instantibus, una de numero undecim milium uirginum ei apparens, nomen & locum ubi iacebat, insinuat, quæ in crastino solenniter leuata, cum alijs sanctorum reliquijs ad monasterium Præmonstratense translata est. Sequente uero die apud S. Geronem Coloniæ pernoctans, mane facta, in medio ecclesiæ, ubi nullum signum sepulturæ apparuit, effodi iussit, & corpus eiusdem S. Gereonis integrum præter partem capitis inuenit, quod cum ingenti populi lætitiã de terra leuatum est, & pars uiro Dei inde donata.

Anno Volmari abbatis 3, qui fuit Dominicæ natiuitatis 1124. indictione 2. Meginhardus cum uxore sua Mechtilde, & Rudolphus cum uxore sua Richarde, comites de Spanheim, ecclesiam suam in monasterium consecrarunt in honore sancti Martini episcopi, per ministerium Adelberti archiepiscopi Moguntini, factaque donatione ac dotatione solenni, in præsentia ipsius archiepiscopi, Buggonis quoque archiepiscopi Vuormatiensis, Volberti abbatis sancti Albani, Vuerenboldi abbatis sancti Iacobi, Adalhum abbatis sancti Disiboldi, & aliorum complurium prælatorum, comitum atque nobilium, monachi ordinis sancti Benedicti ibidem inthronizati sunt, 12 numero de monasterio S. Iacobi Moguntinensis & S. Albani assumpti. Primus abbas nomine Bernhelmus de præfato cœnobio S. Albani Mogunt. uenit & annis 27. monasterio præsedit, uir scientia literarum & uitæ merito præclarus. Acta sunt hæc anno præscripto sub Henrico 5. Imperatore

Imperatore autem 4. Calixto papa 2 præfulante. 7. iduum Iunij. Eodem die Bernhelmus abbas est constitutus ad istam abbatiam meam in Spanheim, & 8. dehinc calend. Iulij, quæ fuit natiuitas B. Ioannis Baptistæ, ab eodem archiepiscopo Moguntia in monasterio S. Albani, in præsentia quatuor abbatũ, uidelicet S. Albani, S. Iacobi, S. Disiboldi & Blidenstadenſis ac multorum prælatorum nobiliumq; munus consecrationis accepit. Eodem anno moritur Bruno Treuironum archiepiscopus, fundator monasterij Odenheimensis, in maiori ecclesia Treuerensi sepultus. Cui Gotfridus decanus eiusdem ecclesiæ successit. Magnæ molis grando hoc eodem anno cecidit 9. calend. Augusti. Eclipsis solis facta est 3. idus Augusti. Magna fames, & hyems asperissima fuit. His etiam temporibus monasterium ordinis nostri in Saxonia in diocesi Halberstadenſi nomine Ballenſtetten fundatum est, post mortem uidelicet comitis eiusdem loci, & monachi cum abbate ibidẽ inthronizati sunt, dotatione sufficite prouisi. Circa hæc tempora claruit Rupertus monachus Tuiciẽſis nostri ordinis, in opposito Colonię Agrippinę, abbas scientia & sanctitate clarissimus. Qui cum adhuc monachus esset in cœnobio S. Laurentij in Oesbrog prope Traiectum, ætate iuuenis maximum scripturis diuinis studium impendens, propter ingenij tarditatem parum discendo profecit. Vnde per orationes instantissimas à matre gratiæ uirgine Maria scientiam scripturarum quam ingenium negauerat, postulauit, qua manifestè sibi in quadam nocte in uisione Dei apparente ac gratiam promittente, tantam in omni scriptura scientiam consecutus est, ut similem suo tempore non habuerit. Nam propter incomparabilem scientiæ maiestatem & uitæ sanctitatem Fridericus archiepiscopus Coloniensis eum de præfato monasterio extractum, in abbatem Tuiciensis cœnobij, licet renitentem, ordinauit. Scripsit autem multa præclara opuscula, quibus ingenium suum exercitans, nomen suum immortale posteris commendauit. Horum quæ ad notitiam nostram peruenerunt, in libro de Scriptoribus ecclesiasticis nomina titulosq; iam dudum posuimus. Multis denique in uita miraculis claruit, de quibus alibi scripsimus. Rupertus quoq; abbas monasterij Limpurgensis nostri ordinis in diocesi Spirenſi, de quo supra diximus, uir tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis egregiè doctus, qui philosophiæ multo tempore apud Gallos Parisienses operam dedit, & satis eruditus euasit. Reuersus tandem ad patriam suam, hoc est, ciuitatem Vuormatiensem, secularem philosophiam commutauit in diuinam, factusq; monachus in præfato cœnobio Limpurgensi ac deinde abbas, tanta districtione, ieiunio & abstinentia conuersationem tam sibi quàm monachis suis præter morem eatenus in eodem monasterio obseruari consuetum his temporibus indixit, ut aliqui ex monachis licet numero pauciores de cœnobio fugerent, & Arnoldum episcopum Spirensem, qui Brunoni successerat accedentes, grauem illi persequutionem suscitarent. Introduxit enim eum uiuendi modum abbas, ut non solum à carnibus omnino secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicte abstinerent, uerum etiam à piscibus, ouis, lacticinijisq; & omnibus generaliter, quæ uel uixerunt unquam aut uiuere potuissent solis leguminibus, pisces & fabis, ex emplo ueterum sanctorũ patrum, tam in eremo, quàm in cœnobijis quondã uictitantium contenti. Vinum extra infirmitatem, sicut de S. Martino & monachis eius legimus, non bibebant. Hunc uiuendi modum Arnoldus episcopus Spirenſis coadiuuato secularium hominum consilio, ad delationem fugitiuorum monachorum iudicans superstitosum Rupertum abba

Bernhelmus consecratur in abbatem.

Bruno archiepiscopus Treuirenſis obiit.

Monasterij Ballenſtetten fundatio.

Rupertus abbas Tuiciensis uir doctissimus.

Miraculum.

Multa conscripta uolumina. Miraculis clarus Rupertus abbas Limpurgensis.

Singularem obseruantie modũ Limpurgensis suis instituit.

A carnibus, piscibus, ouis, lacticinijis & uino abstinebant.

tem ad sui præsentiam citauit. Quo cõparente unà cum potioribus de conuentu monachis in ciuitate Spiren i coram Arnolde episcopo, alijsq̃ prælati multo, & clericis diuersi ordinis uiris, episcopus cunctis audientibus dixit ad abbatem: Cuius autoritate uel licentia communitus es abbas, ut sine nostro consensu in parocchia nostra, cui authore Deo præsidemus, uitam cœnobiticam à sanctis patribus discreta moderatione institutã, & tam ab ipsis quàm eorum successoribus sine alicuius reprehensione legitima usque ad nos laudabiliter obseruatam, noua quadam superstitione audeas immutare, interdicens hominibus usum earum rerum, quas nullus sanctorum unquam legitur prohibuisse? Neq̃ enim te maiorem existimare debebis sancto legislatore tuo Benedicto, qui in regula quam & tu professus es, interdicto carniū edulio monachis, pisces, oua, lacticia, & uinum non uetuit. Tu ergo qua temeritate monachis illa præsumis interdicare, quæ S. uirum legimus permisisse? Ad hæc uir Domini Rupertus cum humilitate intrepidus respondit: Autoritate & licentia omnipotentis Dei & totius curiæ cœlestis crapulam, delicias & ciborũ uoluptatem & uini usum, mihi & monachis meis, qui propositum meum sua sponte pro Dei amore sequuntur interdixi, sciens abstinentiam Deo placere, & monasticam præcipue ornare institutionem. Et tu domine episcope, qui me hoc quadam noua superstitione præsumpsisse existimas, & mihi & sanctis Dei patribus nostris, qui quondam in eremo simul & in cœnobijs, pro amore cœlestis regni maiori se, quàm nos abstinentia macerantes, etiam à leguminibus, quæ nos permittimus, abstinerunt, pane cum aqua & modico sale contenti: quantam iniuriam irroges, omnes etiam mediocriter sapientes intelligunt. Si episcopus es, si bonus pastor animarum, si Dei amator, quod omnino esse debbis, non prohibere subditorum suorum parsimoniam, uoluntariè pro Dei amore susceptam, sed eam potius condignis fauoribus prosequi, & oues tibi commissas non ad laxiora, sed ad ardua magis cohortari. Cur in nobis reprehendis, in quo tu nos ut pastor cures præcedere omni tempore debuisti? Abstinentiã nostro diuino imperio pro nostris peccatis uoluntariè assumptam, tu magis temerè quàm sapienter supersticiosam & nouam appellasti, quæ & diuinis scripturis est consona, sanctorumq̃ patrum longè ante nos autoritate confirmata. Ut ergo more scholasticorum rem omnem breuiter concludam: iste uiuendi modus cum abstinentia, quem Deo iubente assumpsimus, ego & fratres mei pro amore regni cœlestis, aut bonus est aut malus. Alterum duorum necessariò est uerum. Si bonus est, nullatenus est prohibendus, præsertim cum uolentibus nobis eius obseruantia nec impossibilis fit, nec onerosa, uideaturq̃ multis in locis sacris scripturis non parum commendata. Si uerò malus est, quare tunc in Daniele commendatur cum socijs suis, qui cibarijs regalibus spretis, leguminibus amore paternæ traditionis uescebantur. Si inquam malus & reprehensibilis est iste modus abstinenti, quare etiam sancta mater ecclesia catholica eum in sanctis patribus Antonio, Paulo, Macario, Arsenio, Mose, Bambone, Onuffrio, cæterisq̃ multis tantopere commendat? An uitam sancti Martini Turonensis episcopi, sanctorumq̃ monachorum in cœnobio cum ipso istam conuersationem & abstinentiã quam tu reprehendis nobis peccatoribus, multo strictius, quàm nos, suo tempore obseruantium, quam omnis ecclesia Christiana laudibus concelebrat, tu solus supersticiosam nouamq̃ & regulæ monasticæ contrariam dicere & reprehendere præsumis? Memento precor episcopum te esse, animarumq̃ Christi sanguine redemptarum ordinatum

*Accusatio episcopi contra abbatem*

*Responsio abbatis.*

*Exempla introducit ueterum.*

*Episcopis similitis satis pulchre.*

*Argumentatio satis astuta.*

*Exemplis ueterum probat.*

*S. Martinus episcopus.*

*In episcopum ipsu acris admonitio.*



ordinatum pastorem, & si tu abstinentiam, qua nos ut perfectior ordine præcedere debueras, aut non uales, aut certè contemnīs assumere, nolī nos temerè contra Dei uoluntatem ab eius obseruantia prohibere. Nam si omnino nobis hunc uiuendi modum interdicerè pergas, nos tamen Deo potius obediendum quàm hominibus, non ignoramus. His dictis siluit. Mirabantur autem omnes super responsis illius, & quòd episcopum amatorem & defensorem epularum tam facètè reprehenderit, tacètè collaudabant.

Arnoldus uerò episcopus prudenti argumentatione abbatis in semetipso confusus, iratus est, sed iram propter circumstantes dissimulans, iterum dixit ei: Diuinitatis pro hac tua nouitate allegas imperium: si Deus tibi præcepit, ostende mandatum. Mox ergo de sinu extraxit libellum, continentem seriem cuiusdam reuelationis diuinitus sibi factæ, in qua & multa & miranda huius abstinentiæ præconia habebantur. Lecto autem publicè coram omnibus libello, uiri sapientes & qui Deum amabant, cœperūt timere: utpote qui Rupertum semper nouerant uirum religiosum ac Deum timentem, & propterea diuinis illum reuelationibus indignum non credebant.

Rursus ad abbatem dixit episcopus: Contra diuinam uoluntatem nihil scienter intendimus ordinare, sed tuis reuelationibus non probatis fidem adhibere citò nec possumus nec debemus, dicète scriptura: Qui citò credit, leuis corde est. Et sanctus Apostolus Paulus, Probate (inquit) spiritus, si ex Deo sint. Quod ergo das signum, ut reuelationes istas tuas, non fictas, non falsas, sed à Deo immittas credere debeamus? Cui abbas respōdit: Non sum propheta, ut in conspectu tuo mortuos resuscitem, aut ignem de cœlo descēdere faciam, sed in hac parte sum missus à Deo & sanctis eius, ut tibi mandatum summæ maiestatis patris & filij & Spiritus sancti annunciam. Si audieris me, & emendaueris quæ tibi Dominus præcepit, beneres acta est, & tu animam tuam liberaſti. Si uerò non credideris, dominus qui misit me, ipse iudicabit te, & radicem tuam amputabit de terra uiuentium, breuiq; ues tempore. Hoc erit tibi signum. Verùm tamen paratus sum, quale decreueris subire iudicium, ut eorum quæ dixi capias experimentum. Consilio igitur uirorum præsentium habito episcopus, probationem reuelationum suarū abbati sub præceptione dominici corporis & sanguinis indixit.

Itaq; missarum celebratione ab episcopo in conspectu omnium peracta, corpus Domini nostri Iesu Christi abbati præbens in manum, antequàm illud sumeret sic iurare præcepit: Ego Rupertus Dei gratia Limpurgensis ecclesiæ abbas, dico, affirmo, & iuro coram omnipotēte Deo, omnibus sanctis eius & uobis domine episcope Arnolde, in animam meam super hoc corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi uerum, quod natum est ex uirgine Maria, passum & immolatū in ara crucis pro nobis, quòd reuelationes istæ quas scripsi in parte & in toto, non sunt fictæ, non falsæ, non phantastica, non diabolica, non excogitata ab homine, non deceptoria, neq; per humanam industriam adiuente, sed mihi diuinitus reuelata, ueræ, sobriæ, angelicæ & diuinæ: sic me Deus, & hoc corpus Domini nostri Iesu Christi, quod in manibus meis teneo, nunc & in extrema hora mortis meæ, ac nouissimo die iudicij adiuuet, saluet & suscipiat. Et si aliter est quàm dixi & iurauī, tunc hoc Domini nostri Iesu Christi uenerabile corpus non pertranseat guttur meum, sed hæreat in faucibus meis, strangulet me, suffocet me, ac interficiat me statim in momento: & non sit mihi locus in cœlo cum electis Dei, sed sit mihi portio cum Dathan & Abiron in inferno & Iuda traditore, cum Herode & Pilato, qui Dominum crucifixerunt, & cum dia-

bolo &

*Episcopus conclusus ab abbate erubuit.*

*Ruperti reuelatio legiur.*

*Episcopus signū ueritatis ab abbate requirit. Abbas pulchre respōdit episcopo*

*Offert se abbas ad probationem.*

*Iuramentū quod fecit abbas.*

*Terribile iuramentum.*

*Contestatio per  
episcopū adita.*

bolo & angelis eius, in centro gehennæ statim abhinc nunc & semper sine fine in æternum. Amen. Et subiunxit episcopus: Si ea quæ coram nobis lecta sunt, non sunt tibi ueraciter à Deo reuelata, sed sunt uel per te, uel per alium humanitùs adinuenta, conficta, falsa, diabolica, subdola, seu phantastica, non perueniat tibi hoc corpus Domini nostri Iesu Christi ad salutem, nec transeat guttur tuum, sed faciat in te iudicium, & mox interficiat te: & sis autoritate Dei omnipotentis & nostra, sathanæ traditus in interitum corporis & animæ in sempiternum, in experimentum ueritatis, ut discant omnes, tuo interitu præmoniti, non illudere uel decipere sanctā ecclesiam Dei. Et respondit intrepidè abbas: Amen. Sumpto quæ uiuifici corporis Domini sacramento sine difficultate, cum magna deuotione fidem reuelationum suarum astantibus fecit. Dimissus ergo, consilio astantium ad monasterium suum cum fratribus rediit, & inchoatam abstinentiam unā cum illis continuauit.

*Abbas intrepidè  
communicat.*

*Episcopus uenit  
ad Limpurg.*

Verum Arnoldus episcopus non solum reuelationibus Ruperti abbatis non credidit, sed etiam uindictam in illum exercere cogitauit. Vnde paucis elapsis mensibus uenit ad Limpurg cum similibus sibi, quæ dicta abbatis tanquam somnia irridebant, uolens omnino prohibere, ne fides illis adhiberetur. Cum multa ergo superbia sanctum uirum exasperans, iterumque probationem iuramenti ab eo suscipiens, licet inuitus, credere contempsit. Stans ergo Rupertus abbas in presentia omnium, ad episcopum quasi cum quadam autoritate dixit: Ecce mittit ad te mandata sua Deus, & non credis: horribilem probationem subiui, & contemnis: unum adhuc restat, ut quia persuadere tibi, ut uerbis nostris fidem adhibeas nulla ratione possumus, diuino te necessarium est iudicio relinquamus. Et hoc tibi sit signum: Si hunc annum tu Arnolde, superuixeris, non est Deus in me locutus, sed erunt conficta omnia quæ dixi: & tu, me ut deceptorem pro tua uoluntate condemnabis. Sed Deus in me locutus est, & tu episcope hoc anno indubitanter morieris, incredulitatis tuæ mercedem à Domino nostro Iesu Christo, qui me misit, recepturus.

*Abbas prædixit  
episcopo mori.*

*Episcopus con-  
silio suorum decipi-  
tur.*

His auditis episcopus timuit, & emendasset forsitan errorem, nisi consilio suorum in instanti fuisset deceptus, qui dixerunt, Absit à te Dominè, ut huic fatuo & delirio suisque deliramentis adhibeas fidem. Non decet autoritatē tuam somnijs decipi monachorum, ut in scādalum & opprobrium uenias omni populo, dicaturque de domino nostro quod instar muliercularum ad unius uesani torrentis uocem, à suo fuerit mutatus proposito.

*Eodem anno epi-  
scopus moritur.*

Confortatus, imò deceptus hoc prauo suorum consilio, episcopus ad propria rediit, & iuxta uerbum abbatis Ruperti post paucos menses eodē anno morte satis subitanea decessit. Quo mortuo cum Rupertus in suo proposito constanter persisteret apud successorem Arnoldi Sigefridum iterum per inuidiam accusatus, multis iniurijs & persecutionibus per annos ferè sex ab æmulis suis tribulatus est. Tandem autoritate ipsius episcopi Spirensis, de Limpurgensi monasterio pulsus, in Halsiam missus est, & relegatus ad Breitenauu cœnobium nostri ordinis: cui abbas Henricus monachus quondam Hirsaugiensis, uir doctus & sanctus, post Drutuuinum (quæ admodum dicemus) tunc præsedebat, ut illius in formatione correptus, à suo proposito ad communem uiuendi ordinem & usum reuertetetur. Sed eo in sua obseruantia perseuerante, & omni quod uixit aut uiuere potuisset abstinente, cum Henricus abbas eum reuocare ad communia non posset, literas episcopo de singulis cum eo actis scripsit, & ut eum ad monasterium suum Limpurgense reuocaret, ne fratres in Breitenauu sua singularitate inficeret, rogauit. Reuersus tandem ad

*Abbas de Lim-  
purg expellitur.  
In Breitenauu  
missus exulat.*

monasterium

monasterium suum Limpurgense, in abstinentiæ proposito, unâ cum fratribus suis deuotissimis uiris, usq; ad mortem perseuerans, multas ab emulis persecutiones sustinuit, & non multo postea in sancta pace quieuit. Scripsit autem non contemnendæ lectionis complura opuscula, quorum ad nostram lectionem ista peruenerunt. In Cantica canticorum pulchrum opus in quatuor libellis distinctum composuit, in quo omnia uerba ad laudes beatissimæ Dei genitricis & uirginis Mariæ satis propriè explanauit. De contemptu mundi, libelli duo. De sancto Ioanne baptista, unus. Variarum quoq; reuelationum suarum, liber unus: & Homiliæ quædam, siue sermones. Cætera quæ scripsit, ad notitiâ meam non uenerunt.

*Scripta Ruperti abbatis Limpurg*

Eodem anno Domini præscripto, uidelicet 1124. Calixtus papa 2. obiit, cui Lampertus episcopus Hostiensis successit, & Honorius 2 dictus, præfuit annis 5. mensibus 2. Hic Pontium abbatem Cluniacensem ordinis nostri, Romam ad se uocans, cardinalem S. Romanæ ecclesiæ ordinauit, uirum undecunq; doctissimum, & non minus sanctitate quàm scientiâ illustrem. Fridericus de Amsberg comes Vuestphaliæ moritur.

*Pontius abbas fit cardinalis.*

Anno Volmari abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1125. indictione 3. monasteriû Schonaugiense Treuerensis diocesis nostri ordinis, quatuor ferme miliaribus ab oppido Bîngionum, ab alia parte Rheni distans, fundatur, à quodam nobili uiro & diuite nomine Hildelino, qui completo cœnobio monachus & primus abbas in eo factus est. Ad iactum quoque lapidis cœnobium sanctimonialium nostri ordinis construxit, in quo magna deinceps Christi uirginum religio uiguit.

*Monasterij Sebô nauu nostri ordinis fundatio.*

Anno Volmari abbatis 5. Henricus rex 5. sed Imperator 4. eiusdem nominis, moritur apud Traiectum in hebdomade Pentecostes, & Spiram delatus sepelitur. Non reliquit liberos. Inde apud Moguntiam tertio calendas Septembris, electione principum, Lotharius secundus, Saxonie dux, in regem constituitur, & Aquisgrani idibus Septembris per manus Friderici archiepiscopi Coloniensis (ut moris est) coronatur.

*Henricus moritur.*

*Lotharius secundus fit Imperator*

Eodem anno cum Lotharius rex Ottonem quem ordinauerat ducem Bohemis introducere uellet, hyeme sequente Vdalricus, qui terras illas occupauerat, ducatum sibi uendicare laborabat. Sed cum milites ferro per syluam parare sibi uiam satagunt, repente hostes superueniunt, & ipsum Ottonem cum multis alijs uiris fortibus interficiunt. Adelbertus marchio captus est, Fridericus Alsatia dux, noua quædam contra regem moliens, principum iudicio condemnatus est. Hoc ipso anno Arnoldus episcopus Spirenensis iuxta uerbû Ruperti abbatis Limpurgensis, de quo diximus, mortuus est, paucis uidelicet mēlibus post ea quam ei mortem intentauerat. Sigefridus succedens præfuit annis 21. Hartuinus quoque Ratisponensis episcopus obiit, cui hoc ipso anno substitutus est Cuno abbas nostri ordinis monasterij Sigenbergensis in diocesi Coloniensi, & præfuit annis 6. Henricus etiam dux Bauariæ moritur. His temporibus fuit quidam hæreticus nomine Tauchelinus, in partibus inferioribus, qui quamuis laicus esset, multis tamen doctissimis etiam clericis in loquendo & disputando acutior, qui in oppido Antuerpiensi populum à fide catholica miserabiliter seduxit, sacri ordinis ministros, episcopalem & sacerdotalem gratiam nihil esse confirmans, corporis quoq; & sanguinis Domini sacramentum sumentibus ad salutem prodesse negabat. Et in precioso apparatu, ac deauratis uestibus incedens, triplici funiculo crinibus intortis, uerbis persuasibilibus & conuiuiorum apparatibus suos, qui cum circiter 3000. armati sequeban-

*Exercitus Lotharij à Boëmis cæditur.*

*Arnoldus episcopus Spirenensis obiit. Sigefridus successit.*

*Tauchelinus hæreticus apud Antuerpienses spurcissimus.*

tur, al

tur alliciebat, & per eos in resistentibus sibi, cædes operando sæuiebat. Credebant ei Antuerpienses, & in circuitu penè omnes, & reuerabantur eum tanquam sanctum & missum à Deo, in tantum ut etiam aquam qua corpus abluisset, pro maximis reliquijs asportantes biberent. Cùm tamen tantæ incontinentiæ esset & impuritatis, ut filias in matrū præsentia spon- sasq; maritis intuentibus corrumpere, & hoc opus spirituale assereret. Qui tandem post multos errores in populum disseminatos, & multas cædes in clericum & fideles ecclesiæ factas, dum nauigaret in nauī, à quodam presbytero zelo fidei succenso percussus in cerebro moritur. Sed nec post eius mortem error, quem seminauerat, tam facile extirpari potuit. Propter quod à clericis loci illius, ecclesia cum aliquantis redditibus per manum episcopi ad construendum monasterium Norberto Præmōstratensis ordinis fundatori data est, quatenus eius doctrina & prædicatione hæresis illa de medio tolleretur, quod & factum est. Siquidem ipso prædicante, compuncti uiri & mulieres corpus dominicum quod in cistulis & foraminibus per decem annos & amplius reposuerant ex contemptu & incredulitate, ad ipsum cum pœnitentia attulerunt, & ad rectā fidem catholicam reuersi sunt.

Anno Volmari abbatis 6, qui fuit natiuitatis Christi 1127. Lotharius rex natiuitatem Domini Colonia celebravit.

Eodem anno rex Lotharius Nurnbergam cum duce Bohemiæ duobus mensibus obsidentes, sine effectu recedunt. Vuilhelmus Burgundiæ princeps à suis occisus est. Carolus quoq; Flandriæ comes, super omnes principes sui temporis iustitiæ amator, cultor & defensor, coram altari in oratione positus, à suis hominibus occiditur.

Eodem anno Gotfridus archiepiscopus Treuirensis senio grauatus episcopatum resignauit, quem biennio & mensibus decem rexerat, unoq; anno, mensibus quinque & diebus decem & sex superuiuēs, in Domino quiescit. Cui Meginherus successit, qui Romam pergens, ab Honorio papa 2 consecratus, & pallio donatus est. Reuersus autem in Germaniam ex mandato papæ Conradum ducem Sueuiæ postea Imperatorem huius nominis tertium, tum Lotharium & imperium eius inquietantem excommunicauit, quod ei non successit in bonum. Nam cùm postea clericorum suorum incontinentiam nimium argueret, factus que ob id cunctis iniquis odiosus, Romam, ut à papa iuaretur, ire statuit: sed Parmis, à duce Conrado, quem excommunicauerat, clericis suis prodeutibus, captus, in carceratus, & lumine oculorum priuatus est, & tandem nimia cruciatus miseria calendis Octobris in carcere mortuus, & in ecclesia Parmensi sepultus. Cui Adelbero in archiepiscopatu Treuirensi successit.

Eodem anno obierunt complures episcopi, Theodoricus Monasteriensis episcopus, Vdalricus Constantiensis episcopus, Euerhardus Argentiniensis archiepiscopus, Rutgerus Magdeburgensis archiepiscopus, Paderbornensis episcopus & Leodiensis episcopus. Godelboldus autem episcopus Traiectensis fundator monasterij sancti Laurētij nostri ordinis in Oesbrog, de quo supra diximus, senio grauatus episcopatum suum hoc anno resignauit, & præfatum cœnobium ingressus, assumpto sanctæ religionis habitu, monachus nostri ordinis factus est, anno pontificatus sui 15. qui biennio postea superuiuens, pridie iduum Nouembris feliciter in Domino quiescit. Post eius resignationem Andreas in pontificatum Traiectensis ecclesiæ successit. Ad ecclesiam Magdeburgensem ordinatus est episcopus Norbertus Præmōstratensis primus fundator, uir miræ sanctitatis, & egregius præ-

Adamitarum hæresis.

Erroris huius pernicies.

Horrendum seculus notatur.

Nurnberg obsidetur.

G. archiepiscopus moritur. Meginherus archiepiscopus Treuirensis.

Conradus excommunicatur.

Episcopus Treuirensis in carcerem mittitur.

Norbertus

gius prædicator. Casu enim mirabili accidit, ut episcopus factus sit: nam mortuo archiepiscopo præfato Rutgero, & Arnolde qui episcopatum inuaserat à ciuibus interfecto, clerici ad Imperatorem nuncios mittentes, episcopum sibi dari petunt. Casu Norbertus iste adfuit, uir scientia & sanctitate in toto notissimus orbe, quem cõsilio principum Imperator archiepiscopum delegauit. Acta fuerunt hæc, Domini anno 1128. in ciuitate Spirrensi. Porro ad ecclesiam Leodiensem Alexander episcopus ordinatus est. Ad ecclesiam uerò Paderbornensem quidam Bernardus nomine constituitur, anno Volmari abbatis 7. qui fuit dominicæ natiuitatis 1128. Rupertus abbas monasterij sancti Petri in Erfordia, quondam monachus Hirsaugiensis moritur: cui Vuernerus huius quoque cœnobij Hirsaugiensis monachus, unanimitè fratrum electione, de licentiâ & benedictione Volmari abbatis, in abbacia præfata successit, uir multæ prudentiæ, honestatis & religionis: qui per industriam suam, non sine magnis impensis aquæ ductum primus ad ipsum monasterium cunctis mirantibus introduxit.

Eodem anno cùm rex Lotharius natale Domini celebraret apud Heribopolim, fama uolante cognouit Conradum fratrem Friderici ducis Alsatia regium sibi nomen usurpasse. Hac de causa Moguntinensis & Magdeburgensis episcopi cum alijs præsentibus, eundem Conradum excommunicauerunt, & postea Honorius papa eandem excommunicationem per Meginherum archiepiscopum Treuerensem (sicut diximus) confirmauit. Rex ergo Lotharius ueniens cum principibus suis, Spiram, in qua ipse Conradus præsidium suum expulso Sigifrido episcopo collocauerat, obsedit, sed acceptis obsidibus abcessit. His temporibus sub Honorio papa 2. uenit Romam quidam presbyter Arnolphus, uir magnæ deuotionis & prædicator egregius, qui cùm inter annunciandum uerbum Dei, clericorum lasciuiam, libidinẽ, auaritiã & nimium fastum reprehenderet, & paupertatem Christi & apostolorum eius, integerrimamq; uitam ad imitationem omnibus proponeret, à Romana quidem nobilitate, ut uerus Christi discipulus laudatus est: sed cardinalium & clericorum odio nimium est habitus, à quibus & noctu captus, occultè est interfectus. Hoc suum martyrium antea quum adhuc esset in eremo, diuinitus sibi fuit reuelatum, quum per angelum ad prædicandum Romam mitteretur. Vnde & publicè dixit: Scio quòd animam meam quæritis, scio quòd me breui iam occiditis. Sed quare: ueritatem uobis dico, fastum, superbiam, auaritiã, luxuriã, nimiumq; studium quod comparandis diuitijs miseri impenditis reprehendo, propterea uobis non placeo. Ego testem inuoco cœlum & terram, quòd annunciauerim uobis ea, quæ mihi Dominus præcepit: uos autem contemnitis, & me & creatorem uestrum, qui uos per uirgenitum filium suum redemit. Nec mirum, si hominem me peccatorem, uobis ueritatem annunciantem morti tradituri estis: cùm etiam si sanctus Petrus hodie resurgeret, & uitia uestra, quæ nimis multiplicata sunt, reprehenderet, ei minimè parceretis. Cùm hæc alta uoce clamasset, subiunxit: Ego quidem mortem subire pro ueritate non timeo: uobis autem in uerbo Domini prædico, quòd omnipotens Deus non parcat impuritatibus uestris. Vos enim omni spurcitiã pleni, plebem uobis commissam præceditis ad infernum. Deus uindex est. Cumq; odium cleri propter ueritatem in eum sauire cœpisset, eorum insidijs captus & submersus est.

Anno Volmari abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1129. in partibus occidentis, uiris malo usu comam nutrientibus subitò capilli circa capita,

*Vuernerus.*

*Conradus dux non sibi regnum usurpat.*

*Spira obsidetur*

*Arnolphus prædicator ueritatis Romæ à clero occiditur.*

*Quam liberè arguit uitia clericorum.*

*Nec S. Petro parcerent.*

*Miraculũ contra comam nutrientes.*

*Spira capitur.*

*Episcopus propter simoniam deponitur.*

*Rex puer per porcum occubuit*

*Abbatia S. Ioannis in Rikauzia erigitur.  
Innocentius papa*

*Concilium celebratur Leodij in presentia papæ.*

*Episcopi multi fuerunt presentes in concilio Mogumino.*

*Fridericus Coloniensis episcopus moritur.*

multis miraculose incensi ardere cœperunt. Rex Lotharius eodem anno Spiram secundò obsedit, ab idibus Iulij usq; ad calendas Ianuarij, eamq; cepit, & ducem Conradum ueniam petentem, ad gratiam admisit. Hoc ipso anno archiepiscopus Treuirensis Meginherus (sicut diximus) in carceratus fuit, & successit Adelbero. Otto Haluerstatensis episcopus, à canonicis suis Romæ accusatus, conuictus & confessus, quòd pro consecratione cuiusdam ecclesiæ 30. solidos accepisset, ab Honorio papa depositus est, cui Rudolphus successit. Henricus quoq; Virdunensis episcopus à Mathæo Albanensi episcopo sedis Apostolicæ legato, deponitur. Bruno uerò episcopus Argentinensis quadriennio expulsus, interuentu reginæ & episcoporum gratiam regis consequitur. Fridericus etiam archiepiscopus Coloniensis, qui triennio contra regem inimicitias gessit, hoc anno reconciliatus est.

Hoc anno Philippus puer, Ludouici Francorum regis filius, Remis in regem ungitur 18. calendas Maij in die paschatis, presente patre. Verùm cùm duobus annis nec integrè in Francia, & quodam die in ciuitate Parisiensi equo ueheretur, porcus casu forsitan occurrens, & equi pedibus se submittens, regem cum equo præcipitem dedit, qui confracto corpore mox in eodem loco expirauit, tertio iduum Octobris.

Anno Volmari abbatis 9. qui fuit dominicæ natiuitatis 1130. præpositura montis sancti Ioannis in Rinckaugia ordinis nostri (de cuius fundatione paulò antè diximus) per Adelbertum archiepiscopum Moguntinũ consensu & permissione Vueneri abbatis & totius conuentus sancti Albani, ad quos iure pertinebat, in abbatiam sublimata est, cuius primus abbas ordinatus est Egilbardus monachus, præfato cœnobio antea incorporatus.

Eodem anno Honorius papa moritur, cui Gregorius succedens, qui Innocentius secundus dictus est. Cõtra hunc Petrus Leonis antipapa, quorundam facinorosa seditione creatus, Anacletus uocatus est. Innocentius uerò à Romanis Anacleto fauentibus penè destitutus, in Galliam transit, duob; concilia celebrat. Deinde ad Lothariũ regẽ Romanũ transiens, eius auxilio ad sedem Apostolicã est restitutus, quem Romæ in Imperatorẽ coronauit.

Eodem anno castrum Nurnberg regi Lothario traditur.

Anno autem Volmari abbatis 10. qui fuit Christi 1131. Rex Lotharius cum archiepiscopis, abbatibus, ducibus, comitibus & nobilibus multis, ad curiam apud Leodium indictam uenit. Aduenientem ibi papam Innocentium Rex magnificè suscepit, cui & auxilium contra Meazarem Apostolicæ sedis promisit.

Eodem anno apud Moguntiam concilium episcoporum & abbatũ præsentente Lothario rege celebratum est, cui præsedit Matthæus Albanensis episcopus Apostolicæ sedis legatus. Ibi fuerunt multi episcopi presentes, S. Otto episcopus Bambergensis, Adelbertus archiepiscopus Moguntinensis, Buggo Vuormatiensis, Sifridus Spirensis, Embricho Herbipolensis, Augustus, Eistetenensis, Hildesheimensis, & alij plures: huic etiã concilio Vuolmarus abbas huius cœnobij Hirsaug uocatus per archiepiscopũ Moguntinũ, simul cũ alijs multis abbatibus interfuit. Eodẽ anno obiit Fridericus archiepiscopus Coloniensis fundator cœnobij sanctimonialiũ nostri ordinis in insula Roládi, uir per omnia magnificus, per cuius munificentiã & auctoritatẽ reuerèdissimus ille abbas Tuiciensis magnus Rupertus penè infinita synthemata cõposuit. Obiit autẽ in castro suo, quod ipse de nouo cõstruxit in suprema montis altitudine, & propterea Vuolbēberg dicto: sepultus in monasterio Sigebergensi nostri ordinis in loco capitulari, cui in archiepiscopatu

scopatu successit Bruno Decanus sancti Gereonis, præpositus filius Adolphi comitis de Althene, per iudicium Imperatoris Lotharij, principum & trium, cardinalium siue legatorum sedis Apostolicæ tunc Coloniae præsentium contra uoluntatem multorum ordinatus. Eodem quoque anno Vuolmari abbatis 10. dominicæ uidelicet natiuitatis 1131. Lotharius rex expeditionem mouit super Danos & Sclauos, eosque subegit. Ekebertus Monasteriensis episcopus primùm decanus maioris ecclesiæ Coloniensis moritur, Coloniae, tempore quo electio Brunonis archiepiscopi supradicti celebratur, & reportatus ad sedem propriam sepultus est. Cui Vuernerus successit. His fermè temporibus paulò antè hos annos, uidelicet Domini 1100. uel circa, fundata est nobilis illa nostri ordinis abbatia Richenbach in Bauaria per comitem Foburgensem, quam multis prædijs, redditibus & ornamentibus ditans, mirificè sublimauit.

*Res mouetur in Sclauos.*

*Richenbach fundatur in Bauaria*

Anno quoque Domini 1106. Comes quidem diues & potens de Mombelgard fundare cœpit abbatiam ordinis nostri in honorem sanctæ Vualpergis uirginis, in diocesi Argentinensi, non procul ab Hagenauu sitam, quam multis bonis pro sustentatione monachorum Deo seruentium cumulauit. Idem quoque Mombelgardia comes, in eodem nemore circa uillam quæ dicitur Bibelis ad iactum bombardæ, à prædicto monasterio sanctæ Vualpergis, aliud cœnobium sanctimonialium nostri ordinis fundauit, in quo primam abbatissam filiam suam Gütildem nomine, sanctam uirginem instituit. Quæ miraculis clara tandem in medio eius cœnobialis ecclesiæ sepulta fuit. His quoque temporibus Otto comes de Scheuren in Bauaria de stirpe Caroli Imperatoris Magni, à quo duces Bauariæ omnes qui nunc sunt, descenderunt, castrum suum Scheuren, nimia uetustate penè collapsum, in monasterium & abbatiam nostri ordinis construxit, in honorem B. Mariæ semper uirginis, cooperantibus ad hoc Conrado comite, Ottone comite Tochauia, Ottone altero comite Palatino in Vuiddelsbach & Ottone comite cum alijs septem comitibus, qui omnes nomen & insignia ferebant de præfato castello Scheuren: quamuis nulluseo tempore ibidem habitaret. Hi omnes cum Agnete uxore præfati comitis, omne ius suum quod in ipso castro habebant, cum summa deuotione beatæ uirginis in perpetuum obtulerunt, construentes monasterium insigne, in quo & sepulturam sibi & posteritati suæ constituerunt. Fuit autem unus inter eos comes Arnoldus de Scheuren, uir proteruus, & sancto eorum desiderio contrarius, qui cum illos partes eorum de dominio Scheuren offerre domino Deo conspiceret, nec multos impedire unum sese posse cerneret, proiecta in aërem chirotheca partem suam diabolo coram omnibus obtulit dicens: Vos domini diaboli, partem meam in ius uestrum accipite: statimque dæmones inuisibiles chirothecam uisibiliter abstulerunt, quæ nusquam postea cõparuit.

*Monasterium S. Vualpergis fundatur.*  
*Mon. sterium in Bibelis fundatur.*

*Monasterium Scheuren fundatur.*  
*Nota uesaniarum ipsius comitis.*

Anno quoque Volmari abbatis 11. qui fuit dominicæ natiuitatis 1132. obiit uenerabilis ille abbas in Breitenauu Moguntinensis diocesis, monachus quondam huius cœnobij Hirsaugiensis, de quo superius anno domini 1119. mentionem fecimus sub D. Brunone abbate. Præfuit annis 13. uir per omnia magnificus. Huic autem Drutuino in regimine abbatie præfati monasterij Breitenauu successit Henricus monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, qui olim cū Drutuino ad Breitenauu missus fuerat, uir sanctus & tam in secularibus quam in diuinis scripturis omni suo tempore doctissimus, qui multa & uaria tam metro scripsit quam prosa. E quibus nos in præfato monasterio Breitenauu aliquando per biduum constituti uidimus subiecta. Dialogum

*Drutuinus abbas in Breitenauu meritor.*

*Henricus.*

*Tituli librorum huius abbatis Henrici.*

in persona diuitis Epulonis, & pauperis Lazari in sinu Abrahamæ quiescentis. De contemptu seculi, qui sic incipit: Instabilis regni uir amator. Item libellum complurium deuotarum orationum, qui sic quoque incipit: O ærnfosa mea anima. Item libellum de Conflictu uirtutum & uiciorum, qui sic incipit: Cum uarijs uicijs uirtutum discere scriptis. Item de 12. abusibus libellum, sic incipientem: Cōstat abusiua bis sex mundi fore dicta. Item de lapsu primi hominis & de tædio præsentis exilij opusculum, quod sic incipit: Ad peccare serpens. Item opusculum de Ciuitate, cuius nomē Dominus ibidem, quod sic incipit: Quo nondum fruius libeat conscribere munus. Item de habitu uirginis & de beatitudine, libellum sic incipientem: Virgo nimis chara, &c. Item de Resurrectione sanctorum libellum, qui sic incipit: Christe salus cuncta. Item opusculum de Cogitanda mortalitate, quod sic incipit: Quid genus humanum. Item de domino nostro Iesu Christo libellum sic incipientem: Pauperior cunctis ego. Item de corpore Christi mystico opusculum, quod sic incipit: Urbem catholicam. Item de Fide catholica libellum, qui sic incipit: Filius ecclesiæ uerus, qui percipit esse. Item librum, quem Flosculorum prænotauit, sic incipientem: More meo campo scripturæ. Item Hymnorum complurium diuersi generis carmine opus, quod sic incipit: Laus tritici mortuo grano. Item Epistolarum ad diuersos uolumen, quod sic incipit: Venerabili Carnotensi præfuli, hoc est, pro pascibilitate. Varios insuper conscripsit sermones, & diuersa opuscula, quorum nec ordinem, nec titulos in mente retinuimus. Erat sanè uir doctus & multum studiosus, & non minus sanctitate & uitæ merito, quam eruditione scripturarum in tota Germania celeberrimè famè & opinionis, qui in uita & post mortem multis signis & miraculis claruit. Eius gesta satis luculenter descripta habentur. Ad hunc Henricum, tanquam uirum sanctum doctum ac probatum in Breitenauu Rupertus abbas Limpurgensis, de quo supra diximus, propter inusitatæ nouitatis abstinentiam mandato Spirensis episcopi relegatus fuit, quatenus ab ipso reductus ad communem uiuendi modum à sua singularitate recederet. De quo idem S. Henricus abbas in quadam epistola ad ipsum Spirensis ecclesiæ pontificem latius facit mentionem. Denique propter famam excellentissimæ sanctitatis multi uiri nobiles, potentes & honorati in seculo, pro Dei amore sub S. abbate Henrico monachi in Breitenauu facti sunt. Inter quos præcipuus fuit Adelbertus comes de Schoenberg, qui contemptis rebus seculi & pompis, cum esset potens & ditissimus, pro Christo factus est pauper monachus, & tanta puritate uixit, ut magnæ sanctitatis uestigia cunctis monachis in eodem loco non sine miraculis ostenderit. Hoc ipso anno Volmari abbatis 11. uehementissima uis uentorum innumera ædificia subruit.

*Abbas Henricus post mortem miraculis claruit. Rupertus abbas Limpurgensis.*

*Adelbertus ex comite monachus.*

*Hugo episcopus Gratianopolitanus moritur.*

*Episcopus Hildeshemensis moritur.*

*Hudckin spiritus in Saxonia apparet multa miracula fecit.*

Eodē anno sanctus Hugo Gratianopolitanus episcopus, ordinis Carthusiensis primus institutor, uir inter episcopos sui temporis uita & conuersatione singularis, cui alter Hugo successit monachus Carthusiensis postea Viennensis archiepiscopus. Cuno quoque episcopus Ratisponensis in Bauaria, ex abbate monasterij Seginbergensis in diocesi Colonienfi ordinis nostri, de quo supra diximus, hoc ipso anno moritur. Bertholdus quoque Hildeshemensis episcopus obiit, cui Bernhardus eiusdem ecclesiæ propositus successit, qui corpus sancti Gothardi pontificis, de terra cum magno honore leuauit, quod annis ferme centum humatum iacuerat.

His temporibus, spiritus quidam malignus, in diocesi Hildeshemensis, multo tempore multis uisibiliter apparuit in habitu rustico, pileo caput



leō caput opertus, unde & uulgo pileatum appellabant eum fūrales, hoc est, cū Hedekin, lingua Saxonica. Iste spiritus Hukin multa mirabilia fecit, & delectabatur esse cum hominibus, loquēs, interrogās, & respondens familiariter omnibus, aliquando uisibiliter, aliquando inuisibiliter apprens. Neminē læsit non prius læsus, sed iniuriarum seu irrisionum memer, uicem irrogantibus sibi contumeliam impendit. Cū Barcardus comes de Luca per comitem Hermannum de Vuinsenburg fuisset interfectus, & comitatus ipse Vuinsenbergensis in direptionem uideretur expositus, præfatus spiritus dormientem in lecto suo Bernhardum episcopum Hildeshemensem accedens eum excitauit, dicens: Consurge ô calue, exercitum conuoca, quia comitatus de Vuinsburg propter homicidium uacuus & desolatus, tuo facile parebit imperio: qui surgens milites suos cōmonuit, comitatum inualit, & obtinuit, quem ecclesiæ Hildeshemensis de Imperatoris consensu in perpetuum coniunxit. Eundem quoq; Pontificem non rogatus idem spiritus sæpe de multis periculis auisare conieuit. In curia eiusdem præfulis frequentius apprens, coquis ministrare plerunq; satis diligenter consueuit, crebrosq; in culina cum ipsis miscere sermones. Vnde cū iam ex consuetudine familiariter factus, à nemine timeretur, puerulus quidam in coquina seruiens eum despicere, subsannare, & contumelijs afficere cœpit, & quoties potuisset immunditias coquinæ in eum effudit. Qui cū sæpe magistrum coquinæ rogasset, ut puerum ab iniurijs suis cōpesceret, minitatus se tandem contumelias ulturum, irridetur ab eo, dicente: Tu spiritus es & puerum times? cui dæmonium respondit: Quia puerum tuum ad peccationē meam emendare contemnis, ego quantum illum timeā, post dies paucos tibi ostendā. His dictis spiritus abscessit iratus, non multo post, cū die quadam post uesperam puer solus in coquina fatigatus dormiret, uenit spiritus & suffocatum in frustra conscendit, ollæq; impositum ad ignem coquere cœpit, quod magister coquinæ cū percepisset, spiritui maledicere cœpit, qui exacerbatus assaturā postero die pro episcopo & curialibus ad ignem in ueribus positam compressis, desuper bufonibus horrendis ueneno & sanguine eorundem aspersit: rursusq; contumelijs affectus, per pontem illuforiem in foueam de alto illum præcipitauit, supra muros ciuitatis & castelli uigilias nocturno tempore diligentissimè peragens, omnes custodes uigilare cœgit. Vir quidam longè profecturus, cū uxorem haberet impudicam, quasi per iocum dixit ad spiritum Hudgin: Bone socie tibi cōmēdo uxorē meam, donec reuertar: uide custodias eam. Cūq; uiro absente cum adulteris mulier portionē suam poneret & amatores multos successiuè tentaret, ita se spiritus iste inuisibiliter medium semper interposuit, proiectisq; in terram de lectulo uiris, nullum peruenire uel ad tactum ipsius foeminæ, taceo de commixtione illicita, permisit. Sic mulier singulis noctibus & fore singulis toto tēpore horis, nouos semper amatores introduxit, quos tamen spiritus mox ut eam contingere tentasset, procul in terram proiecit. Tādem reuerrenti marito, & adhuc longè à domo existentī, spiritus commissarius lectus occurrit dicens: Gratus mihi tuus est ualde aduentus, quo liberer à tam inquieto labore, quem mihi imposuisti. Cui maritus: Quis ergo tu es? Ego sum (inquit) Hudgin, cui pridem abiturus uxorē cōmisisti tuendā: ecce custodiui eam tibi, licet cum maximo & continuo labore ab adulterio saluā. Sed oro te, ne illam mihi deinceps custodiendā tradere uelis. Malo enim totius Saxonix porcos, quā unā ipsam uxorē custodire tuam, tātis me dolis circūuenire, tātis uis torq; modis abuti suo corpore tentauit. Innumera

Comitatus per  
eum occupatus.

Episcopum anti-  
sua in multis.

Iniurias ulcisci-  
tur.

Spiritus pue-  
rum mactauit et  
eos in cella.  
Biffon's super  
assaturam expres-  
su spiritus.

Ridicula histo-  
ria per spiritum  
facta.

*Spiritus idiotam  
fecit eruditum.*

quoque & alia tam seriosa quam ridiculosa spiritus iste miracula fecit, quæ omnia nec facile scribi possunt, nec si scriberentur, multorum credulitatem inuenirent. Idiotam quendam & simplicem hominem clericum, ad synodum citatum, per anulum factum ex folijs lauri, alijs quibusdam additis, aliquanto tempore doctissimum reddidisse ferunt. Tandem à præfato episcopo Bernardo per censuras ecclesiasticas eliminatus, de prouincia recedere compulsus est.

*Imperator Lo-  
tharius Italiam  
ingressus papam  
ecclesiæ Roma-  
næ restituit.*

Anno Volmari abbatis 12. qui fuit dominicæ natiuitatis 1153. Lotharius rex cum maximo exercitu principum, episcoporum, abbatum, nobilium et militum Romam proficiscitur ad restituendū Innocentium sedi apostolicæ. Transiens ergo per Italiam plerasque munitiones sibi obsistent. es cepit, tandemque 2. calendas Maij Romam summo favore ingressus, cum iam defunctus esset Anacletus, qui & Petrus Leonis, sedi apostolicæ restituit Innocentium, à quo & ipse 3. nonas Iunij, Lateranis in ecclesia sancti Ioannis in Imperatorem cōsecratus, post bella & uictorias aliquantas in Alemaniam redijt, secum ducens captiuum quendam Italiæ principem.

*Imperator coro-  
natur.*

*Eclipsis solis.*

Eodem anno 4. nonas Augusti, luna 27. hora diei sexta, eclipsis solis facta est, in tantum ut stellæ in cælo apparerent. Magna inæqualitas aeris & pluuiarum inundatio, per totum tempus mensis subsecuta est. Conso- brinus quoque Lotharij Imperatoris, Traiectià Gotfrido & fratre eius Hermannò de Cuch occisus est.

*Magnus rex Da-  
ciæ se Imperatori  
submittit.*

Anno Volmari abbatis 13. Lotharius Imperator natale Domini Colonie celebrauit, ibi temerarius urbicorū tumultus coram eo exoritur, quo nondum sedato inde discessit. Pascha uerò in Halberstadt cum magna frequentia principum celebrauit, ubi Rex Danorum Magnus, se in potestatem Imperatoris tradidit, obsides dedit, iuramentū fecit, se successoresque suos non nisi Imperatoris & successorum eius permissu regnum adepturos. Post hoc cum pace ad Daciam redire permissus, in die S. Pentecostes cum episcopis

*Rex Daciæ cum  
episcopis quinque  
occiditur.*

quinque, presbyteris 60. & patre suo Nicolao, ab emulis suis occisus est. Interea Lotharius Imperator festum Pentecostes in Mersburg celebrans, nuptias Gertrudis filia suæ cum magna solennitate & pompa peregit, tradens eam uxorem Henrico duci Bauariæ cognomento Superbo, uiro forti & audacissimo. Adijciens illi quoque ducatum Saxonie, de quo omnes duces Brunswici & Luneburgi, qui hodie sunt, per successum descēderūt, quem admodum in historia ducum Bauariæ ostendimus. Iste dux Bauariæ & Saxonie genuit ex præfata uxore filia Imperatoris Lotharij 2. Hæricum cognomento Leonem, ducem Brunswicensem & Saxonie, uirum bellicosum & mirabilem, de quo ueteres miranda canebant in carminibus Teuthonicis, & depingere usque in hodiernum diem in aulis principes consueuerūt.

*Henricus dux Ba-  
uariæ fit gener  
Imperatoris.*

Eius peregrinationis historiam, quomodo uidelicet corio insutus equino, ac per gryphonem de nauigio exportatus, maris periculum euaserit, cum gryphonibus pugnauerit, draconem occiderit, per mare cum leone transierit, & tandem uxore sua Matilde filia regis Angliæ, alium ducere maritū, parante subito per dæmonem unā cum leone comite itineris & periculorum, ad castrum suum de remotissimis locis fuerit sine læsione reductus, & similia his multa, quæ magis ex confictione poetarum sub mystica certa significatione scripta, quam facta fuisse crediderint. Consueuerunt enim

*Mos ueterum  
Germanorum.*

Germani ueteres, more Græcorum, quorum eis magna commercia fuisse constat, fortia heroum gesta in carmen & cantilenas reducere, & mortalium facta per figurarum & ænigmatū symbola occultando, immortalibus com-  
parare.

parare. Eodem quoque anno, qui fuit dominicæ natiuitatis 1134 S. Norbertus archiepiscopus Magdeburgensis, primus institutor Premonstratensis ordinis, sanctæ religionis eximius propagator, 8. iduum Iulij moritur, migravitque ad Dominum, anno episcopatus sui 8. cui Cōradus filius cuiusdam comitis successit.

*S. Norbertus episcopus obiit.*

Eodem anno Lotharius Imperator Spiram obsedit, & longa inedia confectam tandem cepit, & ducem Sueviæ æmulum regni & Imperij Conradum, in deditiōnem & gratiam accepit.

*Spira capitur.*

Anno Volmari abbatis 14. qui fuit dominicæ natiuitatis 1135. Imperator natale Domini Aquisgrani celebrauit. Hoc ipso anno corpus sancti Mathiæ Apostoli, ad Treueros, in monasterio sancti Eucharij nostri ordinis inuentum est, à quo nomen cœnobij deinceps mutatum, ad sanctum Mathiam usque in præsentem diem appellatur. Bruno archiepiscopus Coloniensis & Fridericus dux Alsatia cum Imperatore non bene sentientes, interuentu principum reconciliari meruerunt. Ad festum Pentecostes magnus principum cōuentus, Imperatore iubente, in ciuitate Magdeburgensi habitus est, in quo fuerunt personaliter rex Dacia, rex Polonia, & multi alij principes, qui omnes pacem firmissimam ad 10. annos iurauerunt, quod & cætera facere multitudo compulsa est.

*Corpus S. Apostoli Mathiæ reperitur.*

*Conuentus principum.*

Eodē annō Lotharius Imperator moniales de cœnobio Lutera Haluerstadēsis diœcesis expulit, & in melius restaurato loco, monachos nostri ordinis de cœnobio Bergen propè Magdeburgam introduxit, constituens eis primum abbatem Euerhardum præfati cœnobij uenerabilem monachum. Porro ipsam ecclesiā in honorem S. apostolorum Petri & Pauli consecrari fecit, & multas reliquias à summo Pōtifice pro illius decore impetrauit. Hoc monasteriū pro monialibus quondā cōstruxerat comes de Oldensleben & Luteren à uulgo dicebatur. Sed posteaquā per regem Lothariū mutatū, & de nouo instauratum fuit, Lutera regalis, idest Königslutern dictum est, usque in præsentem diem. His etiam temporibus, uidelicet anno domini 1135, Buggo ecclesiæ Vuormatiensis reuerendissimus episcopus, monasterium Franckenthal, non longè à Vuormatia fundauit, in quo fratres canonicos in communi sub regula S. Augustini uiuentes collocauit, quibus ecclesia de corporis necessarijs copiose prouidit. Cœnobium quoque sanctimonialium eiusdem religionis, iuxta præfatum monasterium Fræckenthal constituit. In quo multitudinem uirginum Christo in castitate famulantium, prouisis necessarijs posuit: uerum post annos fermè trecentos uiginti sex, tempore Reinardi Vuormatiensis episcopi, cum de consensu eius fratres regulares de Vuindesheim partium inferiorum, ipsum cœnobium Franckenthal ad reformandum suscepissent, & titulum abbatialem, quo antea semper insignitum fuerat, extinxerunt, & cœnobium fœminarum prædictum expulsis monialibus monasterio fratrum coniunxerunt. Idem quoque Vormatiensis episcopus cum esset uir Deo deuotus, insigne monasterium ordinis Cisterciensis, in sua parœchia quod Schonaugia nominatur, in nemoribus, non longè distans ab Heidelberga, sancto Bernardo abbate cooperante fundauit, quod multis prædijs & beneficijs ampliauit. Abbatem & fratres de monasterio Clareuallensi ab ipso patre sancto Bernardo impetrauit, & ipse in eodem monasterio sepultus est. His etiam temporibus cœnobium sanctimonialium nostri ordinis in Lobensfeld eiusdem Vuormatiensis diœcesis, in pago qui dicitur Kreichau, duobus fermè ab Heidelberga miliaribus, opera & impensis præfati episcopi Buggonis fundatum est, & sufficienter

*Monasterij Königslutern fundatio ordinis nostri.*

*Cœnobium Franckenthal ordinis regularium fundatio.*

*Monasterium in Schonau ordinis Cisterciensis fundatio.*

*Lobensfeld hic fundatum 1135.*

Monasteriū Heyna fundatur.

pro sustentatione uirginum Christi dotatū. Circa hæc quoq; tēpora comes de Liningen Eunuchō nomine, monasteriū fratrum canonicorum regulæ sancti Augustini in dumetis, uulgariter in Heyna, seu Hegina dictum, in honorem sancti Petri apostolorum principis fundauit, & multis bonis ac redditibus sublimauit, cuius ecclesiam sæpe dictus episcopus Buggo, in cuius diocesi monasterium est constructum, anno domini 1141. consecrauit, & Hartungum primum propositum ordinauit, qui uitam canonicorum regularium primus ibidem instituit.

Abbas Volmarus Imperatorem accessit.

Anno regiminis sui 15. Volmarus abbas, quorundam secularium & ministerialium suorum insolentia prouocatus, Imperatorem Lotharium, quidam Spiræ natale Domini celebrat, adiens, in auxilium & defenforem monasterij sui Hirsaugiensis fratrumq; & rerum eiusdem inuocauit, qui mox adduci turbatores sanctæ religionis ad se iussit, quorum iniustitia recognita extra fines imperij proscripsit. Vnde cunctos in circuitu uicinos tantus inuasit metus, ut Volmaro uiuente Hirsaugienses turbare nullus præsumeret. Hoc ipso anno, qui fuit dominicæ natiuitatis 1136. 11. calendas Ianuarij, obiit S. memoriæ lotta uirgo Christi deuotissima, soror Meginhardi comitis de Spanheim, fundatoris monasterij mei, cui licet indignus præfædo, quæ pro Christi amore 24. annis in monte S. Disibodi, cum quibusdā alijs nobilibus & sanctis uirginibus inclusa, uitam duxit eremiticā. Fuit autem inclusa anno Domini 1112. indictione 5. & aliæ tres cum ea, uidelicet sancta uirgo Hildegardis, quæ postea (sicut dicemus) monasterium fundauit monialium in monte Ruperti, in eo loco ubi Nahos influit Rhenum ciuitati Bingionum quàm proximo, lotta filia fratris sui & alia eiusdem nominis uirgo. Numerus autem uirginum sub eius magisterio creuit, & quàm diu illa uixit S. Hildegardis ab eius latere non recessit. Hæc sancta mulier inter alia sanctitatis suæ miracula aquam mutauit in uinum, & aquas Glani fluminis siccis pedibus trāsiuit. Sepulta est in præfato monasterio S. Disibodi, quod eo tempore erat ordinis nostri, in quo & ipsa sanctæ conuersionis habitum assumpserat; cuius uitam, mores, gesta & miracula habentur diligenter conscripta.

S. lotta uirgo deuotissima inclusa obiit.

S. Hildegardis monialis.

Eodem anno 5. calendas Nouembris uentus nimis fuit, qui turres & ædificia multa subuertit, mare quoq; terminos suos egressum, magnam partem Flandriæ cum habitatoribus suis subito & inopinatè submersit.

Flandriæ pars submersa est. 1. xcc. hito Imperatoris in Italia.

Eodem anno circa festum assumptionis B. Mariæ semper uirginis Imperator Lotharius expeditionem mouit in Italiam contra Rutgerum principem Apuliæ, ad instantiam Innocentij papæ 2.

Anno autem Volmari abbatis 16. qui fuit dominicæ natiuitatis 1137. Imperator natale Domini & pascha in Italia celebrat, Pentecosten uerò apud Baron cum generali conuentu principum Italicorum. Ibi archiepiscopus Coloniensis Bruno secundus obiit, & in ecclesia sancti Nicolai honorificè sepelitur, cui Hugo decanus S. Petri Coloniensis, tum patris iussione Imperatoris succedens, quem papa Innocentius ibidem ordinauit; qui tamen eodem anno exul in Italia moritur, priusquàm ciuibus ordinatio eius innotuisset, princeps Apuliæ Rutgerus, ob cuius insolentiam inuitatus à papa Imperator Italiam intrauerat, castrum in latere ipsius ciuitatis Baræ satis munitum statuerat, in quo prædones multos collocauerat, qui terra mariq; inauditis calamitatibus regionem opprimebant. Simili modo per totam penè Italiam fecerat. Pentecoste celebrata Imperator castrum Baræ cum exercitu uallat, quod cum magno labore tandem capiens incendit, & solo

Hugo decanus S. Petri Coloniensis obiit.

coæquauit.

Papæ Innocentij principis Apuliæ moritur.

coæquauit. Prædones comprehensi circa turrim exustam, omnes suspensi sunt, numero plures quàm quingenti: quo terrore cæteri omnes percussis se cum ciuitatibus & munitiõibus suis Imperatori spontaneè tradiderunt. Porro Rutgerum Apuliæ principem, impugnatorem sanctæ ecclesiæ Romanæ & publicum hostem, de Italia proscripsit.

Eo tempore Moguntia, unà cum principali ecclesia combusta est.

Eodem anno Adelbertus senior, archiepiscopus Moguntinus obiit, 9. calendas Iunij. Cui anno sequente Adelbertus iunior (sicut dicemus) successit. Ecclesia quoque Spirensis maior, cum parte non modica ciuitatis & oppidum Goslaris, eodem die quo & Moguntia igne consumptæ sunt. Interea rebus in Italia prosperè gestis, Imperator Lotharius cum iam repatriare cœpisset, in ipso itinere non longè positus à Norinberga, in quodam castello ducis Bauriæ Vuelphonis tam senio quàm infirmitate grauatus diè clausit extremum, 2. nonis Decembris, uir egregius & dignè pater patriæ appellandus, cuius corpus in Saxoniam relatum in monasterio suo Konigsluttera, quod ipse construxerat, sicut diximus, honorificè reconditum est.

Eodem anno moritur episcopus Antisiodorensis, ex abbate cœnobij S. Germani ordinis nostri, uir magnæ sanctitatis & religionis. Hic cum extrema ægritudine laboraret, sibi quæ diem sentiret adesse nouissimū, fratres circumstantes circa horam nonā diei, his uerbis admonuit: Fratres charissimi, horas diei quæ supersunt, quas debemus Domino persoluamus, quia horis finitis in Domino obdormiam & requiescam. Cantauerunt ergo Domino laudes, & cōpletorio dicto, sicut prædixerat, uir sanctus in pace quieuit, & in ecclesia sancti Germani, ubi prius abbas extiterat, sepelitur. Post Hugonem autem archiepiscopum Coloniensem, quem in Italia defunctum diximus, Arnoldus præpositus sancti Andreae in Colonia, filius comitis de Vuida, in archiepiscopum sublimatur, qui tandem ab Eugenio papa 3. in consilio Remensi, anno Volmari abbatis 28. quemadmodum suo loco dicemus, à Pontificalis officio suspensus fuit. Lothario Imperatore defuncto (sicut dictum est) metuens Adelbero Treuerorū episcopus, ne Henricus dux Bauriæ cognomento Superbus, gener Imperatoris, de quo supra mentionem fecimus: cui ab ipso Lothario dudum regalia fuerant commissa in generali principum conuentu præualeret, qui iam usque adeo de adipiscendo securum se certumque arbitrabatur, ut nulli principum de regno uerba facere dignaretur. Egit per industriam suam magnam occultè, quod dux Alsatia Fridericus pater Conradi & Buggo Vuormatiensis episcopus, unà cum ipso duce Conrado, in colloquium suum apud Confluentiam conuenirent in medio Quadragesimæ, sede Moguntina uacante: ubi & Arnoldus archiepiscopus Coloniensis præfatus Adelberoni occurrit, ibique pariter inter se consilia tractantes, Conradum regem se iurauerunt electuros.

Anno Volmari abbatis 17. qui fuit dominicæ natiuitatis 1138, Conradus eiusdem nominis tertius, dux Alemaniae seu Sueviae, frater Friderici ducis Alsatia, in regem Romanorum electus imperauit annis 14. Verum contra istum Conradum Bauriæ & Saxoniae principes, Henricum Superbum ducem, Lotharii Imperatoris generum elegerunt in regem, & multiplicata sunt mala in terra: nam Conradus regalia quæ penes illum erant, per Lotharium reposita callidè acquisiuit, & ipsum ducatu Saxoniae priuare uoluit, dato eodem Adelberto marchioni de Soltuedel. Hinc cædes, rapinae, incendiaque per totam Saxoniam facta sunt. Vnde Henricus dux fratri suo Vuelphoni Bauriæ ducatum cum pecunia dimittens, ualida manu in Saxoniam tendit

Prædones.

Ecclesia Moguntina crematur.  
Adelbertus obiit.

Spira crematur.

Lotharius Imperator 2. moritur.

Hugo episcopus nostri ordinis moritur.

Arnoldus primus archiepiscopus Coloniensis.

Henricus dux Baurorum.  
Adelbertus.

Conradus tertius Imperator fit.

Henricus dux Bauriæ rebellat.

*Adelbertus iunior archiepiscopus Moguntinus*

tendit & ipsum Adelbertum fugere & exulare post regem fecit. Eodem anno rex Conradus pascha Domini Coloniae celebrauit. Inde ascendens tertia hebdomade post pascha Moguntiam cum magno fauore cleri & populi susceptus. Ibi Adelbertus iunior defuncti senioris ex fratre nepos communi omnium consensu ex praecepto regis archiepiscopus designatus est. Porro senior Adelbertus S. abbate Bernardo Clareuallensi cooperante, dum adhuc uiueret, monasterium Cisterciensis ordinis in Eberbach duobus ferè à Moguntia miliaribus in Rinckaugia fundauit, in quo & sepultus est.

*Conuentus principum Bambergae*

Eodem anno rex Conradus ad festum Pentecostes curiam principum in Bambergam habuit, ubi principes penè totius regni conuenerant, praeter Henricum ducem Bauariae. Ibi Adelbertus Moguntinus electus in sabba- to quatuor temporum, per S. Ottonem Bambergensis ecclesiae pontificem presbyter ordinatus est, & sequenti dominica quae fuit octaua Pentecostes per eundem in episcopum consecratus.

*Corpus S. Disibodi episcopi exhibetur.*

Eodem anno in die S. Parasceues post matutinas apertum est sepulchrum S. Disibodi episcopi quondam in Hibernia, qui pro Christo peregrinus in mundo factus, mansionem in comitatu Spanheimensi, ordinante Domino elegit, ibique monasterium nostri ordinis non multo post obitum S. patris nostri Benedicti in uertice montis fundauit, in quo multitudinem monachorum congregans, ibidem post cōpletum uitae cursum in domino quiescens sepultus est. Hoc uerò monasterium nimia antiquitate collapsum per Vuillegisum archiepiscopum Moguntinum de nouo constructum est circa annos domini 976. & postea (sicut diximus) per Adelbertum archiepiscopum, & Ruchardum eius praedecessorem, anno dominicae natiuitatis 1108. translatum, in montem de nouo iterum fundatum, quo tandem consummato tumba sancti praesulis Disibodi, quam Vuillegisus archiepiscopus clauserat, aperta est, & reliquiae in nouum monasterium translatae, retro maius altare, in nouo sarcophago reconditae sunt. Huic translationi fuerunt praesentes, Cuno ipsius loci abbas cum tota cōgregatione sua, Bernhelmus primus abbas monasterij mei Spanheimensis cum tota cōgregatione sua, quia non procul distant ab inuicem. Gerardus abbas sancti Maximini Treuerensis, & plerique ex clero & nobilibus terrae comitatus.

*Henricus dux s. byt.*

Anno autem Volmari abbatis 18. Dominicae natiuitatis 1139. Conradus rex natale Domini Goslariae celebrauit. Deinde circa festum Iacobi Apostoli expeditionem in Saxoniam mouit contra Henricum ducem. Sed illo uiriliter cum magno exercitu iuxta ciuitatulam quae Creutzberg appellatur occurrente, rex infecto negotio redire compulsus est. Erant autem cum duce Henrico sentientes, comites Palatini Rheni, duces Bauariae, & Conradus archiepiscopus Magdeburgensis. Ad concordandos uerò dies per principem inter regem & ducem Henricum constituta est ad Quedlenburg, quò cum dux Henricus cum suis peruenisset, uitam ueneno (ut fertur) finiuit, uir potens, bellicosus & omnium sui temporis audacissimus. Sepultus est in monasterio nostri ordinis Koningsluthera iuxta Lotharium socerum suum Imperatorem, cuius ducatum Adelbertus Marchio supra dictus à Conrado rege obtinuit. Contra quem omnes penè Saxoniae principes coniurant. His ferè temporibus cum Embricho Herbipolensis ecclesiae episcopus ad Moguntiam pro causis quibusdam peragendis pergeret, in itinere obuium quendam habuit monachum, Christianum nomine, genere Scotum, qui flexis in terram genibus ipsum pontificem rogauit, ut amore sancti

re sancti Kiliani martyris qui Scotus fuerat, monachis ex Scotia pro Christo peregrinantibus locum seu hospitale in ciuitate Herbipolensi ad manendum concederet. Qui consilio suorum usus præfatū monachū ad Herbipolim misit, quo non multo postea & ipse reuersus, de consensu totius clari & populi, Scotis pro monasterio cōstruendo sub regula S. patris nostri Benedicti, locum in suburbio eiusdem ciuitatis qui Girberg appellatur, assignauit. In quo cœnobium Scotis idem episcopus constituens in honorem S. Iacobi Apostoli capellam nouam dedicauit 6. iduum Iulij, anno Domini 1140. indictione 3. sub rege Conrado, anno eius secundo. Primus autem eiusdem cœnobij abbas fuit Macarius natione Scotus, uir sanctissimæ uitæ, cui testimonium sanctitatis idem antistes Embricho per literas suo sigillo roboratas præbuit, quas integras & sanas uidimus & legimus. Nam inter alia quæ fecit in hac uita miracula, cum à uino pro Dei amore penitus abstineret, & die quadam in medio magnatum sedens ad mensam habere aquam non potuisset, signo sanctæ crucis facto supra uas uini in mensa cunctis appositum, uinum in aquam mutauit. Mirabantur qui aderant omnes, quippe qui uinum quod optimum gustauerant, mutatum in aquam subito uiderant. Fuerunt autem huic miraculo in proprijs personis ad mensam præsentibus, Pilingrinus abbas sancti Burcardi, nostri tunc ordinis: Gebhardus præpositus de nouo monasterio, Burckerus, Henricus, Mukolinus, & Iringus de Zabelstein, cum multis alijs tam clericis quam laicis. Ob cuius præclarissimi signi perpetuam memoriam ad posteritatem transmittendam, præfatus episcopus Embricho de communi totius cleri consilio & assensu, in maiori ecclesia Herbipolensi plenam & perpetuam præbendam canonicalem, monachis Scotis dicti monasterij eorumque successoribus in perpetuum tradidit & assignauit, quam deinceps possederunt & percipiunt usque in præsentem diem.

Anno Volmari abbatis 19. qui fuit dominicæ natiuitatis 1140. obiit Diermo huius cœnobij Hirsaugiensis monachus & quondam prior, uir deuotissimus, qui spiritu prophetiæ repletus credebatur. Multa enim prædixisse fertur, quorum ueritatem certus probauit euentus. Nam diuinis reuelationibus & consolationibus crebro recreari consueuit. Sepultus est in capella beatæ Mariæ semper uirginis, non sine opinione magnæ sanctitatis. Eius depositioni sanctus ille Henricus abbas Breitenaugiensis quondam monachus huius cœnobij (de quo supra diximus) interfuit, qui non casu, sed potius ut credimus diuina ordinatione prouocatus, pro consolatione fratrum spirituali aduenerat.

Eodem anno Rex purificationis festum Vuormatiæ celebrauit, & pascha in Herbipoli. S. Otto episcopus Bambergensis nostri ordinis hoc ipso anno moritur, & in sanctorum catalogum relatus est. Gebhardus quoque Argentinenensis episcopus obiit. Adelbertus autem iunior archiepiscopus Moguntinus Romam, citatus ab Innocentio papa, adijt, & ab eo honorificè susceptus fuit. Cum his temporibus rex Conradus Siciliæ regnum contra uoluntatem Innocentij papæ intrudere moliretur, egit cum ducibus Bauariæ Henrico & fratre eius Vuelphone precibus & precio pontifex, quatenus aditum illi in Italiam præcluderent, quod illi eo libentius præsumebant, quo regem antea infestum & exosum habuerant. Itaque rex Conradus uolens expeditionem parare in Italiam, adhuc uiuente duce Henrico, dux Vuelpho fortiter restitit.

Factum est itaque bellum grauissimum inter ducem illum Bauariæ Vuelphonem

Monasteriū Scotorum apud Herbipolim nostri ordinis fundatur.

S. Macarius primus abbas Scotorum.

Vinum in aquam uersum.

Miraculi huius testes fuerunt.

Discordia inter papam & regē.

*Bellum inter regem & Bauariæ duces.  
Secundū bellum*

Vuelphonem ex parte Innocentiū papæ, & Fridericum ducem Sueuorum ex parte regis, in diocesi Augustensi, iuxta Neresheim monasterium ordinis nostri, ubi multis ab utraq; parte cæsis, tandem dux Fridericus obtinuit uictoriam, & Vuelpho cum suis fugit in præsidium. Tandem post mortem ducis Henrici, memor dampni quod susceperat dux Vuelpho, congregato magno exercitu, contra ducem Fridericum denuò bellum instaurat, iuxta uillam quæ dicitur Ellenhofen, non longè à Vuinsberg, in quo & ipse dux Vuelpho cecidit, & maior pars exercitus strata fuit. Exinde rex Conradus urbem Vuelphonis, quæ dicitur Vuinsberg, hoc ipso anno obsedit, & eam in deditiōnem accipiens, hanc matronis & fœminis libertatem concessit, ut quæcunque humeris deportare possent, regali eis munificentia liceret. Quæ neglecta supellectili maritos suos & uiros quotquot potuerunt, humeris suscipiētes extra portas cunctis inspectantibus & industriam mirantibus deportarūt. Duce autem, ne talia fieri permitterentur suadente, dixit rex, non decere uerbum regium immutari. Porrò ducatum Bauariæ contulit rex Lupoldo marchioni Austriæ, quem tamen postea Fridericus Imperator primus, legitimis hæredibus restituit. Hoc ipso anno moritur Ioannes dictus de temporibus, qui annis trecentis & sexaginta uixerat à tempore Caroli Imperatoris Magni, cuius armiger fuerat, homo temperatissimæ complexionis.

*Vuinsberga capitur.  
Nota mulierum egregiū facinus.*

*Ducatus Bauariæ transferitur in Australes.  
Ioannes de temporibus obiit.  
Hugo S. Victoris Parisiensis obiit.*

Eodem anno mortuus est Hugo canonicus apud S. Victorem Parisien. uir religione & scientia literarum, & in scientia septem artium liberalium nulli suo tempore secundus, qui multa præclara conscripsit ingenij sui opuscula ad utilitatem legentium, de quibus in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, latius fecimus mentionem. His temporibus quidam pseudoimperator in Alemania surrexit, qui per aliquot annos apud Solodorum in reclusionem uiuens, ac inde egressus, Henricum Imperatorem se esse fingebat. Et cum multos seducendo allexisset sibi in tantum, ut graues pro eo pugnae & homicidia fierent, alijs eum ueluti Henricum Imperatorem defunctum recipientibus, alijs seductorem palam clamantibus, tandem declarata eius falsitate, Cluniaci in monachum attonsus est.

*Pseudoimperator decipit multos.*

Eodem anno Domini, Volmari 19. in ciuitate Senonensi in Gallia, synodus episcoporum & abbatum Ludouico rege Francorum præsentem celebrata est, contra magistrum Petrum Abelardum, qui quadam prophana nouitate uerborum & sensuum ecclesiam scandalizabat ad quam cum citaretur, sedem apostolicam interpellauit: & sic euadens, non multo post Cabiloni ad sanctum Marcellum obiit, uir ingenio subtilissimus & mirabilis philosophus, qui de suo matrimonio cœnobium sanctimonialium in territorio Trecafino cōstruxit, in quodam prato ubi legere solitus fuerat, in quo multas sanctimoniales episcopali authoritate congregans, ipsum cœnobium ad S. Paraclitum nominauit, & in abbatissam quondam uxorem suam religiosam fœminam Hebraicis & Latinis literis apprime eruditam præfecit. Quæ uerè ipsius amica magnam ei post mortem fidem conseruauit, assiduis pro eius anima precibus instans, corpus eius de loco in quo mortuus fuerat transferens, in ipso monasterio collocauit, cuius tumulo hoc Epitaphium apposuit:

*Synodus contra Petrum Abelardum.*

*Idem Petrus fundauit cœnobium sanctimonialium.*

*Epitaphium Petri Abelardi.*

Est satis in titulo Petrus hic iacet Abelardus,  
Huic soli patuit scibile quicquid erat,  
Gallorum Socrates, Plato maximus Hesperiarum,  
Noster Aristoteles, logici quicumque fuerunt



Aut par aut melior studiorum cognitus orbi.  
 Princeps ingenio uarius, subtilis, & acer,  
 Omnia ui superans, rationis & arte loquendi  
 Abelardus erat, sed tunc magis omnia uicit,  
 Cum Cluniacensem monachum moremque profectus,  
 Ad Christi ueram transiuit philosophiam.  
 In qua longæ uæ bene complens ultima uitæ  
 Philosophis quencque bonis se connumerandum,  
 Spem dedit undenas Maio renouante calendas.

Anno Volmari abbatis 20. qui fuit dominicæ natiuitatis 1141. Conradus rex Curiam suam Ratisponæ habuit in festo pentecostes, ubi nonnulli Saxonie principes affuerunt. Adelbertus Moguntinus archiepiscopus, cum Saxonibus aduersus regem cõiurat, sed non longè post 16. calendas Augusti moritur: cui Marcolphus in archiepiscopatu Moguntinensis ecclesiæ successit, qui fuit antea præpositus ecclesiæ Aschaffenburgensis in eadem parochia, & biennium in pontificatu non compleuit.

*Marcolphus archiepiscopus Moguntinus. Imperatrix Richiza.*

Eodem anno obiit domina Richiza Imperatrix, uxor Lotharij Imperatoris, & iuxta maritum suum in monasterio Luterensi sepulta est. Obiit etiam Conradus archiepiscopus Magdeburgensis, cui Fridericus maioris ecclesiæ custos, fratrum electione successit. Henricus quoque Marchio Brandeburgensis sine liberis obiit, Marchiam in manibus regis imperio liberam dereliquit: quam Conradus rex consilio principum Adelberto comiti de Solttuedel, in feudum imperiale concessit. Fratri quoque suo comiti Henrico ipse rex in uxorem dedit filiam Lotharij Imperatoris, relictam uiduam Henrici ducis Bauariæ, & creauit eum in ducem Austriæ.

*Ducatus Austriæ erigitur. Conuentus principum apud Frackfordiam.*

Anno Volmari abbatis 21 dominicæ natiuitatis 1142. Rex pentecosten apud Frackfordiam celebrat, ubi penè omnes totius regni principes, pontifices & abbates conuenerunt: ibique celebratæ sunt nuptiæ 14 diebus, impensis regalibus: quibus fratri suo primo duci Austriæ Henrico filia Lotharij Imperatoris relictam, Henrici Bauariæ ducis Gertrudem rex copulauit uxorem. Ibi Henricus cognomento Leonis, filius Henrici ducis Bauariæ, & Gertrudis præfatæ filia Lotharij Imperatoris, de manu regis Conradi Saxonie ducatum accepit.

Eodem anno obiit Marcolphus archiepiscopus Moguntinus, cui Henricus maioris ecclesiæ præpositus successit, qui duobus cardinalibus S. Romanæ ecclesiæ præsentibus legatis, in Franckfordia, regalium inuestituram ab ipso rege Conrado suscepit.

*Henricus archiepiscopus Moguntinus.*

Eodem anno Henricus sanctæ memoriæ abbas in Breitenau (de quo supra diximus) quatuor corpora de collegio undecim millium uirginum ab Arnolde Coloniensium archiepiscopo impetrauit, quæ sexto nonas Iulij cum honore maximo ad monasterium suum introduxit.

Anno sequente Adelbero Treuironum archiepiscopus, monachos de cœnobio sancti Maximini Treuerensis, propter inordinatam uitam expulit, & alios in locum eorum restituens, abbatem Sigerum nomine eidem cœnobio præfecit.

Hoc anno hyems fuit dura & asperissima. Gertrudis quoque filia Imperatoris Lotharij, quam Henrico duci Austriæ post obitum prioris mariti nuptam diximus, ob difficultatē partus diem clausit extremum, & cum patre matremque ac priore coniuge, duce Henrico, morientibus, cunctis Saxonie incolis

*Hyems fuit asperissima.*

in monasterio Luterensi sepulta est. Celestinus papa 2. obiit: cui Lucius secundus successit.

Caput S. Felicis  
papæ in Breiten  
nauu inuentū est.

Anno Volmari abbatis 22, Domini autem millesimo centesimo quadragesimo quarto, apparuit sancto Henrico Breitenaugiensis cœnobij reuerendissimo abbati quondam huius cœnobij Hirsaugiēsis (ut prædictum est) monacho, beatus Felix papa & martyr, reuelans ei caput suum, quod in abside ipsius ecclesiæ multis annis iacuerat absconditum, 13. calendas Septembris. Sanctus autem uir caput sancti martyris de terra cum summa reuerentia leuauit, & fratribus Hirsaugiensibus particulam unam pro maximo charitatis munere transmisit.

Anno Volmari abbatis 24, Lucius papa obiit: cui Eugenius abbas sancti Anastasij Cisterciensis ordinis & quondam monachus sancti Bernardi successit.

Terræmotus.

Anno Volmari abbatis 25, qui fuit dominicæ natiuitatis 1146, magnus terræmotus factus est 15 uicibus: cometa apparuit, & sequente anno magna pestilentia subsecuta est.

Buggo.

Eodem anno nonis Decembris obiit Buggo Vuormatiensis episcopus, uir multarū uirtutum, & per manus Guntheri Spirēsis episcopi in Schonau giensi monasterio, quod ipse in honorem sanctæ Dei genitricis & uirginis Mariæ construxerat & consecrauerat, sepultus est. Præfuit autem ecclesiæ Vuormatiensi strenuè annis 56, cui in episcopatu successit Conradus huius nominis primus, qui multas persecutiones à multis sustinuit. Suo namque tempore Conradus comes Palatinus Rheni, frater primi Friderici Imperatoris, possessiones ecclesiarum uiolenter diripuit: cui cum nemo posset resistere, quia dies mali erant, cogebantur ministri Domini res ablatas aut pecunias redimere, aut iniurias cum dāno patienter tolerare. Extat huius Cōradi episcopi ad S. Christi uirginē Hildegardem in monte S. Ruperti apud Bingosabbatissam epistola, in qua suarū calamitarū quas patitur, meminit, & eius consilium & orationum suffragia humiliter petit. Cui uirgo sancta, & uerba sanctæ admonitionis diuinitus insp. rata rescribit, & orationum suarum sicut petierat, participem facit.

Conradus.

Conradus Palati  
nus.

Hildegardi s. r.  
psit episcopus.

Anno Volmari abbatis 26, qui fuit dominicæ natiuitatis 1147, eclipsis solis facta est 7 calendas Nouemb. circa horam diei penè quartam. Ipso anno fames subsecuta est. Famem etiam pestilentia & mortalitas magna subsecuta est, & cunctæ posteritati incredibilis.

Eclipsis solis fa  
mes, pestilentia  
fuit.

Embricho Herb  
polensis episco  
pus.

Eodem quoque anno Embricho Herbipolēsis episcopus (de quo supra diximus) de Græcia rediens, Aquileiæ moritur, ibique sepelitur: pro quo Sigefridus in episcopum constituitur. Eggebertus etiam Bambergensis episcopus moritur, in cuius locum Euerhardus ordinatur. Conradus rex Ungariam in manu ualida ingressus, ducem obsides dare compulit, eumque sub iureiurando ad fidelitatem coarctauit. Inde progressus Hierosolymā adiit cum maxima Christianorum multitudine, anno uidelicet Domini millesimo centesimo quadragesimo octauo, qui fuit Volmari abbatis 28, sed nihil dignum peregit, quin potius maior pars exercitus fame, peste & gladio periit. Ditata est terra Paganorum, & repleta de spolijs & armis, quæ à Romano exercitu in hac expeditione ceperunt.

Expeditio regis  
contra Ierusalem

Passagium ad ter  
ram sanctam.

Eodem anno maximus Christianorum exercitus, ab omni Germaniā, Gallia, Italia, Hispania, Angliā, & Vngaria, imò ex Europa tota, post festum paschatis ad recuperandā terram sanctam B. Bernardo crucē ex imperio Eugenij papæ contra infideles prædicante motus est: quorum expeditio & ge  
sta cum

ita, cum à multis copiose descripta sint, nos ea silentio transire statuimus.

Anno Volmari abbatis 28. Eugenius papa 3, conuocatis ex omni Germania & Gallia episcopis & abbatibus, Remis cōsiliū habuit, ubi Arnol-

*Concilium celebratur Remis.*

ad synodū uenire contēpsit. Ibi plurima ad utilitatem ecclesiæ tractata sunt. Eodem anno Conradus Rex de Hierosolyma rediens, suum un-

genitum in regem, nomine Henricum, Aquisgranī, qui non multo post obiit. Eodem quoque anno S. Malachias archiepiscopus Lemorien-  
 nis in Hibernia, ueniēs ad Clareuallem, sanctum uisitare Bernhardum, migravit ad Dominum 3. nonarum Nouembrium, uir apostolicæ uitæ & totius forme perfectionis exemplar, uirtutisque inter cætera uirtutū suarum insignia mortuum resuscitauit, fidem in Hibernia reformauit, & sanctam religionē mirificè dilatauit. Huius uitam sanctus Bernardus abbas descripsit. His ferme temporibus idem S. abbas Bernardus, ad prædicandam contra infideles cruce-

*S. Bernardus Germaniam peragratur. In ciuitate Constantiensi fecit miracula. j*

Domini, iussu papæ Eugenij perambulabat Germaniam, & multis ubique signis miraculisque effulsit. In territorio nanque Constantiensi una die cæcos undecim illuminauit, sanauit mancos decem, & claudos 18. restituit ambulandi uiribus ad integrum reformauit. Cum esset in ipsa ciuitate Constantiensi, uirtutum fama undique se diffundēte, misit ad eum abbas Augi-

*In Basilea.*

gientis monasterij cæcum hominem, quem suis elemosynis sustentabat, & confestim uidentem illum recepit. In eadem diocesi cæcum natum illuminauit, surdum quoque & mutum à natiuitate auditu & loquela restituit sanauit. In ciuitate Basiliensi cum sermonem haberet ad populum, oblata est ei foemina muta, & orante eo loqui cœpit perfecte. Cæcum quoque ibidem illuminauit, & claudo restituit gressum. In ciuitate Spirensi Cōrado rege Romanorum præsentem, puerum claudum sibi ablatum sanauit. In capella episcopi eiusdem ciuitatis rege uidente, uisum reddidit cæcæ cuidam mulieri, & claudo nato gressum donauit. His miraculis Spira factis Volmarus abbas cum duobus monachis, Burcardo postea abbate in Vuingarthen & Conrado interfuit, sermones uiri sancti audiuit, cum eo bibit, manducauit & colloquium habuit. Ex Spira descendit uir Dei Franckofordiam, & rex Romanorum cum eo, ubi innumeris uirtutibus effulsit, & multos diuersis infirmitatibus oppressos sanauit, & uerbum Dei omnibus cum fiducia prædicans, uerum se Dei famulum ostendit. Inde nauigio deuectus peruenit ad oppidum Bingionū, ubi in monasterio S. Ruperti ducis ab altera parte Nabi fluminis Deo dilecta uirgo S. Hildegardis magistra, deuotis præsidebat uirginibus, sub regula diui patris nostri Benedicti omnipotentis Domino famulantibus: cui antea per literas uerba sanctæ admonitionis transmisserat, cum certis munisculis, quæ pro reliquijs in eodem loco seruantur. Veniens autē ad sanctā Christi spōsam uir Dei Bernardus, post mutuā in Christo salutationē, iussit sibi uolumina quæ ipsa uirgo diuinitus inspirata conscripserat afferri, quibus diligēter reuisis ultra modū admirās, ad circumstantes fertur dixisse: Hæc scripta non sunt humanitūs adinuenta, sed per S. spiritū diuinitus inspirata: nec potest ea mortalis homo intelligere, nisi ad Dei similitudinē in uisum anima ueraciter fuerit reformatus. Ad hæc capellanus sanctę uirginis monachus deuotissime cōuersationis respondit: Reuerēde pater uera quidē sunt quæ dixisti, sed homines multi nō solum seculares idiotę, sed etiam religiosi & docti animū famule Christi quotidianis oblocutionibus mirabiliter cruciant, dum hæc non diuinitus inspirata, sed aut somnia muliebria & destructi cerebri deliramenta, aut per dæmones immissa fal-

*Volmarus abbas cum Bernhardo fuit.*

*In Bingen S. Hildegardem Bernardus uisitat.*

*N. dictum Bern-*  
*hardi.*

*Contra eos qui*  
*reuelationes som-*  
*nia dicunt.*

*Bernhardus con-*  
*solatur Hildegardem.*

*Meginhardus eo-*  
*mes in Spanheim*  
*fuit praesens.*

*In Bopardia para-*  
*lyticum sanat.*  
*In Treueri*  
*quoq;*  
*In Confluentia.*  
*In Colonia etiam*  
*32. curauit.*

*Aquisgranū mi-*  
*racula facta.*

laciter confirmant. Cui uir Dei: Non miramur (inquit) frater charissime, si dormientes in peccatis, diuinas reuelationes existimant somnia, scientes uerum quod S. Apostolus dixit: Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter examinatur. Omnibus enim in peccatis luxuriae, auaritia & superbiae, quasi dormiendo iacentibus, diuinæ admonitiones somnia uideri consueuerunt: quoniam si uigilarent in timore Domini, signa diuinarum reuelationum uera proculdubio agnoscerent. Qui autem immitti hæc à dæmonibus dicunt, diuinarum inspirationum occulta & mystica signa non mouerunt, si- milisq; illis iudicandi sunt, qui dominum & saluatorem nostrum Iesum Chri- stum eijcere dæmonia in potestate Beelzebub dixerunt. Ad sanctam quoq; Hildegardem dixit: Et tu filia charissima, non metuas opprobria hominū, Deum habens defensorem, quoniam sicut stipula peribunt, ueritas autem Domini manet in æternum. Nos quoq; ob tui amorem operam dabimus, ut hæc tua scripta per dominum Apostolicum lecta & confirmata secure proferantur in lucem. Obtulit autem sancto Virgo Hildegardis uiro Dei postulanti particulam reliquiarum sancti Ruperti ducis & confessoris, pro quibus & ipse postea nonnulla sanctorum capita ei remisit. Facta sunt hæc in monte S. Ruperti in praesentia Meginhardi comitis de Spanheim, sub cuius ditione temporali praefatum cœnobium constructum est, in quo & filiam habuit sanctimoniam nomine Hiltrudem, uirginem sanctissimae conuersationis, quæ cum beata Hildegarde sub magisterio B. Iuttae in amore Dei fuerat instituta. Aderant ibi cum eo comite praesentes Cuno abbas sancti Disibodi, & Bernhelmus primus abbas in Spāheim, cum mul- tis alijs clericis, monachis & secularibus. Ibi tunc Bernhelmus abbas praefatus, per medium sancti Bernardi, ad instantiam sui ac comitis Meginhar- di dextrum crus à genu infra usq; ad pedem exclusiue de corpore sancti Ru- perti ducis integrum cum cute & carnibus à beata Hildegarde & tota e- jus congregatione sanctarum uirginum obtinuit, & cum magna reueren- tia & honore ad suum monasterium Spanheimense introduxit, quod usq; in hodiernum diem integrum habemus. S. uero Domini famulus Bernhar- dus ualedicens uirginem Christi Hildegardem coeptum iter per descensum Rheni continuat, & in Bopardia paralyticum in medio populi, manu illi im- posita curat. Inde per Mosellæ alueum Treuerim conscendit, & tres cæ- cos, claudum unum, & surdam mulierem in eadem ciuitate omni inspe- ctanti populo curauit. Deniq; in Cōfluētia, in Colonia & Andernacho mul- ta signa & miracula fecit. Nam in eadem ciuitate Coloniensi per triduum moratus, 12. claudos, mancos duos, cæcos quinq;, & surdos decem cura- uit, ac tribus mutis loquelam restituit, & alia innumera signa fecit. Apud Aquisgranū, dum in illa famosissima toto Rom. orbe imperiali capella S. pater missam celebraret, claudum homini gressum, & cæcis quatuor uisum coram multitudine populorum restituit. In ciuitatibus quoq; Leodiēsi & Neruiorum, quæ nunc Cameracensis appellatur, multis loquelam, surdis auditum, cæcis uisum, claudis gressum, & infirmis quolibet morbo aegro- tantibus sanitatem sine certo numero restituit.

Anno Volmari abbatis praedicto, dominicæ natiuitatis 1149, indictione duodecima, Crafftus comes de Spanheim, filius Meginhardi senioris, & fra- ter iunioris, filiam Adolphi comitis Hombergensis nomine Clemen- tiam, uirginem speciosam, pudicam, & Christo deuotissimam pro uxore desponsauit: quæ cum Christo uirginitatis suæ florem deuouere statuisset, sponsi

Sponsi mortalis consensum petijt & impetrauit. Vnde ipsa uenerabilis uirgo Clementia, in cœnobio S. Irmynæ in horreo Treuerensi nostri ordinis monialis facta est, & omnipotenti Deo in magna sanctitate multis annis seruiuit. Porro ipse Crafftio S. uirginis sponsus, in cœnobio meo præfatto Spanheimensi sub abbate Bernhelmo monachus factus est, in quo tam religiose tamq̃ prudenter conuersatus est, ut Bernhelmo defuncto, in locum demortui abbas sit ordinatus, sicut in sequentibus dicemus.

*Clementia comitis  
sa, monialis facta  
in Treueri.  
Crafftio comes, fit  
monachus in spā  
heim.*

Anno Volmari abbatis 29. qui fuit dominicæ natiuitatis 1150. ignis & aqua per diuersas mundi partes, innumeras clades & damna operantur. Ipse totus annus plenus miseriarum, subsequenti præfagium erat. Hyems ualidissima & nimium diuturna fuit. Igneæ in cœlo acies uisæ sunt. Vrbs Traiectensis tota cum ecclesijs incendio conflagrauit, ubi crux quedam lignea de alto cadens desuper cadente templi tecto cum trabibus illæsa permansit. Quæ etiam diuinitus in incendio posita, incorrupta postmodum inuenta est, clauis duntaxat patibuli ferreis, quibus dominica imago detinebatur, liquefactis. Hæc crux ad memoriam facti miraculi in templo S. Bonifacij honorificè seruatur. His temporibus Eugenius papa 3. Treuerim uenit cum 18. cardinalibus, episcopis, & abbatibus multis, inuitatus ab Adelberone eiusdem ciuitatis archiepiscopo, qui papam cum cæteris qui aderant omnibus per tres menses in cibo ac potu ex proprijs sumptibus copiosissimè prouidit. Ibi papa Eugenius ecclesiam monasterij sancti Mathiæ Apostoli de nouo reparatam pridie calendas Februarij dedicauit, Synodū quoque tam episcoporum quàm cardinalium & abbatum ibidem celebrauit, ubi Henricus archiepiscopus Moguntinus, & S. abbas Clareuallis Bernardus ipsi summo Põntifici mirabilia quæ Deus operabatur in famula sua Hildegarde montis S. Ruperti confessoris abbatissa retulerunt. Quibus auditis papa attonitus, & rem diligentius inuestigare uolens Viridunensem episcopum Adelbertum cum alijs uiris fide dignis misit ad S. Hildegardem, ut cum humilitate & mansuetudine sine strepitu uel curiositate, quid rerum deuenissent, & iuxta commissionem apostolicam, ueritatem ab ipsa humiliter inquireret, illa simpliciter quæ de se erant aperuit, & legatos cum scriptis & libris reuelatis sibi diuinitus dimisit. Quibus papa recognitis, uolumina S. uirginis sibi transmissa, coram cardinalibus, archiepiscopis, abbatibus & omni clero publicè recitari præcepit, & per se lectoris officio functus, partem non modicam legit, per quæ omnium mentes in stuporem uersæ, ac uoces in laudem creatoris omnium excitatæ sunt. Aderat ibi S. pater Bernardus, quo mediante summus pontifex cum cæteris monebatur omnibus, ne tam insignem lucernam silentio tegi pateretur, sed gratiam tantam quam Dominus suo tempore manifestasset, ipse sua autoritate confirmaret. Ad hæc S. Pontifex benigno fauore consentiens, deuotam Christi uirginem literis saluatorijs uisitauit, in quibus ei licentiam autoritate Apostolica proferendi & scribendi quæcunque per spiritum sanctum cognouisset, gloriose concessit, eamq̃ ut sine timore reuelata sibi conscriberet, animauit: cuius epistolæ tenor fuit, Eugenius episcopus, seruorum Dei seruus, dilectæ in Domino filiæ Hildegardi præpositæ in monte sancti Ruperti, salutem & benedictionem apostolicam. Miramur, ô filia, & supra quàm credi potest miramur, quia Deus nostris temporibus iam noua miracula ostendit, cum te spiritu suo ita perfudit, quod diceris multa secreta uidere, intelligere & proferre. Hoc à quibusdam ueridicis personis ita

*Ciuitas Traiectensis crematur.*

*Synodus apud Treuerim habita*

*Eugenius*

*Libri Hildegardis leguntur à papa in synodo.*

*Epistola papæ ad Hildegardum*

*Papa congratulatur Hildegardi. Exhortatur eam ad humilitatem.*

*Natiuitas B. Hildegardis.*

*Quinquennis ad monasterium traditur.*

*Monasterium Rupertii iuxta Bingen fundatur.*

*Hilfrudis.*

*Libri quos S. Hildegardis per reuelationes composuit.*

esse percepimus, qui se fatentur te uidisse & audiuisse. Sed quid nos dicere ad ista ualeamus, qui clauem scientiæ habentes, ita quod claudere & aperire possemus, & hoc prudenter facere per stultitiam negligimus? Congratulamur autem gratiæ Dei, congratulamur & dilectioni tuæ: & hoc te admonemus, ut scias, quoniam Deus superbis resistit, humilibus uerò dat gratiã. Gratiam ergo quæ in te est, per humilitatem serua & custodi: ita ut ea quæ in spiritu proferenda senseris, prudenter proferas, quatenus illud à Domino audias: Dilata os tuum, & ego implebo illud. Quod nobis de loco illo, quem tibi in spiritu præuidisti, significasti, hoc permissione & benedictione nostra & episcopi tui fiat, ita quod ibi regulariter cum sororibus tuis uiuas secundum regulam sancti Benedicti, sub eiusdem loci clausura. Ad hæc uirgo Christi summo pontifici literas responsales diuinitus inspirata remisit, in quibus eum de arcanis quæ habebat in corde suo admonuit, & diuinam circa hæc uoluntatē & bene placitum indicauit. Fuit autem hæc uirgo Hildegardis beatissima, oriunda ex comitatu Spanheimensi, in uilla quæ uocatur Bickelnheim, patre Hildeberto & matre Mechtilde progenita, temporibus Henrici Imperatoris quarti, anno domini 1098. indictione 6. cuius pater Hildebertus uir nobilis, in curia comitis Meginhardi de Späheim nobilissimi & illo tempore potentissimi militabat, uir diues & honoratus in seculo. At Hildegardis anno ætatis suæ 5. monasticis disciplinis imbuendo tradita fuit à parētibus suis B. uirgini luttæ in monte Disibodi, pro Christi amore inclusæ sorori præfati comitis Meginhardi, de qua superius dictum est: à qua in timore Domini laudabiliter erudita, nihil aliud quam cœlestia didicit amare. In eodem loco omnipotenti Deo multis annis in humili castitate seruiuit, donec tandem post obitum uenerabilis luttæ numero uirginum augmentato per diuinam reuelationem instructa, ad montem sancti Rupertii iuxta oppidum Bingen, ubi Nahus Rhenum influit, cum 18. subiectis monialibus transmigravit: ibi comite de Spanheim Meginhardo, alijsq; fidelibus Christi adiuuantibus, cœnobium pro sacris uirginibus construxit, in eo uidelicet loco ubi S. Rupertus dux cum matre sua Bertha nomine, sancta fœmina, temporibus Ludouici primi Imperatoris castellum & mansionem habuit. Sub cuius magisterio inter alias fœminas sacras Hilfrudis uirgo deuotissima, fuit ipsius comitis Meginhardi præfati speciosissima filia, de qua supra dictum est, quæ amore cœlestis regni latum in terra dominium respuit, & sanctæ conuersationis habitum sub disciplina sororis genitoris suæ luttæ, in monte diui præsulis Disibodi suscepit. Ob huius uirginis intuitum pater comes Meginhardus multa bona ipsi cœnobio contulit, & ius loci quod partim ad ecclesiam Moguntinam, partim ad ditionem Bernardi comitis de Hildesheim filij Ioannis fratris sui pertinebat, ratione usufructus, data pecunia emit, & sanctæ Hildegardi tradidit, dans & concedens ei omnimodam libertatem eligendi protectorem quemcunque uoluisset, ipsumq; locum à suo domino, potestate & aduocatione in perpetuum absoluit. Porrò sancta uirgo Christi Hildegardis ab infantia diuinis reuelationibus uisitata, cum præter psalterium & simplicem psalmodiam Latini sermonis ab homine nec artem didicisset, nec usum haberet, mirabiliter tamen spiritus sancti gratia illustrata, multa scripsit, multa dictauit, partim Latino, partim Teuthonico distincta sermone, quæ non humano sensu aut intellectu, sed diuino potius afflatu didicit, & ideo non nisi à spiritualibus scripta eius intelligi possunt. Scripsit autem librum magnum & multæ subtilitatis, quem Sciuitas prænotauit, qui incipit, Et factum est in anno nono. Item

Item Diuinorum operum libros tres. Vitę meritorum libros 3. De causis & remedijs omnium morborum humani corporis, opus insigne, quod Medicinam pręnotauit compositam, & incipit: Deus ante creationem mundi absq; initio fuit & est. Item alium librum de Naturis herbarum, quantum ad curam humani corporis pertinent, satis pulchrum edidit, quem Simplicem medicinam pręnotauit. Item in regulam S. patris nostri Benedicti breue quidem sed utile opusculum composuit, sic incipiens: Et ego pauper-cula fœmina forma. Item ad 30. subtilissimas quęstiones Vuiberti monachi per epistolā sibi prepositas, per spiritum sanctū edocta, tam profundē, propriē & catholicē respōdit, ut legentes meritō uertat in stuporem. Hoc opusculum sic incipit, Charitas quę cum abstinentia peccatorum fidem instruit. Scripsit etiam per uisionem cęlitus instructa, uitam sancti Disibodi episcopi Hiberniensis, de quo supra iam diximus. Vitam quoq; sancti Ruperti ducis & confessoris. In octo & quinquaginta Euangelia dominicalia per circulum anni homilias, totidem multum subtiles, difficiles & profundas. Epistolas etiam ad diuersas personas plusquam 150. exhortatorias scripsit, in quibus singulos de occulto mētis statu eorum, ad meliora admonitos facit. Ad Treuerenses, Moguntinenses & Colonienses literas & plures & proliferas scripsit, in quibus futuram eis calamitatem prędicat. Inter alias etiam ad abbatem & fratres huius cœnobij Hirsaugiensis epistolas & literas diuinis reuelationibus plenas scripsit, imō & sua personali pręsentia in hoc monasterio fuit, de quibus mentionem faciemus quum ad tempora Manegoldi abbatis texendo historiam peruenerimus. Extant denique in pręfato cœnobio sancti Ruperti usq; in pręsentem diem copię literarum & epistolarum, ad sanctam ipsam Hildegardem missarum, per Conradum 3. & Fridericum primum Romanorum Imperatores, perq; Eugenium 3. Anastasium 4. Adrianum 4. & Alexādrum 3. Romanos pontifices: per archiepiscopos Moguntinos, Henricum, Arnoldum, & Christianum, perq; Treuerenses, Colonienses, Bremensem, Saltzburgēsem, Hierosolymitanum, Magdeburgensem, & plures in Italia: ac per episcopos, Bambergensem, Spirensēsem, Vuormatiensēsem, Constantiensēsem, Virdunēsem, Leodiniensēsem, Traiectensēsem, Pragensēsem, & alios ex Germania, Gallia, & Italia plures: per abbates sanctos, in primis Bernardū Clareuallēsem, Adam Eboracensēsem, perq; Eberbacēsem sancti Anastasij ex Roma, de Keisheim, per Hirsaugiēsem Manegoldum, sancti Hamerani Ratisponensēsem, Monichen Nuuenburgensēsem, sanctę Marię ad martyres Treuerensēsem, S. Mathię Treuerensēsem, sancti Disibodi, Campidonensēsem, Eluacensēsem, Mulbrunnen, Montis monachorum, Bābergensēsem, Zuueifaldensēsem, Spanhemensēsem, Salensēsem, Befonis uillę S. Martini, Coloniensēsem, Bruuuilerensēsem, Vuetelensēsem, Heilsbronnensēsem, Belleuallensēsem, Carilocensēsem, Clarefontensēsem, Charitatis, Bethanię, Sprengersbacensēsem, Rodenkirchensēsem, Eluerstadsēsem, Salueldensēsem, in Vuadegas, & alios complures. Per prępositos quoq; in Flamheim regularium, in Heyna regularium, in Vestera regularium, in Herde Pręmōstratensium, in Himelauue nostri ordinis monialium, in ualle Dei monialium Cisterciēsis ordinis, in Cappenberg sancti Victoris Moguntinensis, S. Castoris in Confluētia S. Andreę in Colonia, Erfordensēsem, maioris ecclesię Moguntinensēsem, sancti Simeonis Treuerensēsem, in Ruestede, Frāckofordensēsem, maiorum ecclesiarum Treuerensēsem, Coloniensēsem, Bonnensēsem, & alios plures. Per abbatissas etiam S. Elisabeth Schonaugiensēsem nostri ordinis eodem spiritu scribentem: per Gandersheimensēsem, in Vuech-

*Epistolas multas scripsit.*

*Ad fratres et abbatem Hirsaug. literas dedit.*

*Imperatores papę scripserunt Hildegardi. Archiepiscopi. Episcopi quoq;*

*Abbatess quoq; Hildegardi scripserunt.*

*Prępositi.*

*Abbatissę.*

tersuuinckel de Altzen nostri ordinis, in Altuich Traiectensis diocesis, in Krunchen sanctæ Mariæ Ratisponensem, in Keyfungen sancti Cyriaci Erphordensem, in Lubbelsberg, in Vuidergoldefdorff, in Sebach nostri ordinis, in Gronectal, sancti Theodori Bambergensem nostri ordinis, in ueteri monasterio Mogūtinensem, Olstatensem, in superiori monasterio Ratisponensem, in Nulsia nostri ordinis, sanctarum uirginum in Colonia, in Didenkirchē, in Adernacho, S. Glodisindis Metensem, in Erdendal, & per alias complures; sed & per sacerdotes, philosophos, & magistros, tam de remotis quam de uicinijs locis non pauca, quibus literæ ipsius responsales inspirante spiritu S. dictatæ, plenæ mysterijs & arcanis sunt cōiunctæ, Omnibus enim consolationē spiritus sancti ab ea quærentibus, aut uerbum sanctæ admonitionis postulantibus, scriptis & orationibus succurrere consuevit, & nullum unquam quantumcunque debilem, abiectum uel pauperem despexit. Multis tam in uita quam post mortē miraculis claruit, & infirmos quolibet modo grauatos ad se confluentes orationibus in Christi nomine curauit. Eius uita, conuersatio & mirabilia gesta per Theodoricū nostri ordinis abbatem in tribus libris diligenter conscripta habentur.

*Omnibus respondit.*

*S. Hildegardis multis miraculis claruit.*

*Bernhelmus abbas Spanheimensis obiit.*

*Craffio fit 2 abbas in Spanheim*

*Caput S. Irmynæ uirginis uenit in Spanheim hoc anno.*

*Arnoldus archiepiscopus Coloniensis.*

*Conradus rex tertius obiit.*

Anno Volmari abbatis 30, qui fuit dominicæ natiuitatis 1151, indictione 14. sexto calendas Aprilis obiit Bernhelmus, monasterij mei Spanheimensis primus abbas, anno ætatis suæ quarto & septuagesimo in medio chori sepultus, uir laudabilis institutionis, & non minus uite merito quam eruditione scripturarum uenerandus. Huic in abbatia per unanimes fratrum electionem successit Craffio monachus eius & filius Meginhardi comitis de Spanheim frater B. Hiltrudis sanctimonialis, & sponsus quondam deuotissimæ uirginis Clementiæ filia comitis de Homberg sanctimonialis apud Treuiros, in cœnobio sanctæ Irmynæ, quod Horreum appellatur, de quibus supra fecimus mentionem. Erat autem uir in timore Domini, ualde deuotus, & non minus humilitate quam sanguine clarus. Ipse magnis precibus impetrauit caput sanctæ Irmynæ uenerandæ uirginis, patronæ & primæ abbatis præfati monasterij nostri ordinis in horreo Treuerensi, filia Dagoberti regis Francorum, quam sanctus Vuillebrordus episcopus Christo sponsam consecrauit, ab Hillino archiepiscopo Treuironum, abbatis & tota congregatione ipsius cœnobij, utpote qui eis amore castissimæ sponsæ quondam suæ, nunc autem Christi, Clementiæ, multa bona fecerat, dignusque habebatur cui nihil denegarent. Quod uenerabile caput usque in præsentem diem in eodem cœnobio meo Spanheimensi habetur. Hoc ipso anno fames ualida fuit, & mortalitas hominum magna subsequuta est. Arnoldus archiepiscopus Coloniensis obiit, cui præpositus maioris ecclesiæ & Cancellarius regis Arnoldus secundus in pontificatu successit. Obierunt etiam hoc ipso anno Cōradus Landgrauus Thuringiæ, Fridericus archiepiscopus Magdeburgensis, cui Vuichmannus filius comitis Tegenburgensis in Bauaria successit, & annis 42. satis utiliter præfuit, & Rudolphus episcopus Halberstadenensis, cui successit Vdalricus, qui præfuit annis 33. & est sepultus in monasterio Husburgensi ordinis nostri.

Anno Volmari abbatis 31. natiuitatis uerò dominicæ 1152, Conradus rex Roman. tertius apud Bambergensem ciuitatem infirmitate decubans, & diem mortis sibi adesse sentiens, Duci Friderico filio fratris sui regalia tradidit, filiumque suum Fridericum adhuc paruulum commendauit, & ut pro regno illi acquirendo principibus loqueretur, rogauit, rebusque suis dispositis moritur 11 calendas Martij, anno regni sui 14. sepultus in eadem ciuitate & be-



te, & benedictionem Imperialem à papa non habuit. Post cuius obitum, celebris conuentus principum & episcoporum, apud Franckofordiam habitus est: ibi summo fauore cunctorum præductus, rex Saxonie in regem Romanorum eligitur, uir strenuus & multorum operum, sicut in sequentibus partim dicemus. Imperauit autem annis septem & triginta.

*Friedericus Imperator primus eligitur.*

Eodem anno obiit Adelbero archiepiscopus Treuirorū, uir magnanimus & singularis censurae. Hic à Lothario Imperatore in die S. paschatis Aquigrani regalibus susceptis, fratrem eius Simonem publicè excommunicauit, & sub Euangelio tantæ festiuitatis ipso Imperatore præsentem ecclesiam exire coëgit. Verùm de monasterio S. Mathie & cæteris cœnobijs monachorum, multa per uolentiam diripuit, & in usus proprios conuertit. Successit illi in archiepiscopatu Hillinus maioris ecclesie decanus, & præfuit annis 18. Arnoldus Coloniensis archiepiscopus Romam profectus à papa Eugenio ordinatur, à quo cum pallio & honore ad sedem suam remissus est.

*Adelbero archiepiscopus Treuirensis obiit.*

*Hillinus archiepiscopus Treuirensis.*  
*Henricus.*

Anno Volmari abbatis 32. qui fuit dominicæ natiuitatis 1153. Henricus archiepiscopus Moguntinus ex præcepto Eugenij papæ in die S. Pentecostes à duobus cardinalibus Gregorio & Bernhardo deponitur, qui & eodẽ anno calendis Septemb. mortuus est. Hanc breuitatem uitæ S. Hildegardis biennio illi antea prædixit, quæ in quadam ad eum epistola sic dicit: Audi qui in multis scrutinijs me negligis. Cœlum de uisione Domini apertum est, & nunc inimicis funes dimissi sunt. Tu autem surge, quia dies tui breui sunt, & reminiscere, quia Nabuchodonosor cecidit, & quod corona ipsius perijt. Et alij multi ceciderunt, qui se temerè in cœlum exaltauerunt. Ah tu cinis, quare non erubescis in altum te spargere, cum debeas esse in putredine? Henrico itaq; ab archiepiscopo depolito, Arnoldus cancellarius regis & præpositus Aquensis successit, qui postea in monasterio sancti Iacobi extra muros Moguntinos fuit interemptus, ut suo loco dicemus. Ad hunc S. Hildegardis inter alia sic scribit: ô pater, uiuens lumen, hæc uerba mihi ad te dedit. Cur non es fortis in timore meo? Et quare zelum habes, quasi triticum excribres, ita ut separando desicias, quod tibi contrarium est? Sed hoc nolo. De oculo autem cordis tui, in quietam mentem absterge: & de populo tuo iniusticiam abscinde: quia tempus bellorum in moribus hominum nunc instat, ita quod nec in disciplina, nec in districtione timoris Domini sunt. Tu tamen non formides eos ad bonum coercere, quoniam si propter hoc tribulationem & angustiam sustinueris, ne paueas, quia filius Dei eadem passus est. Surge itaque ad Deum, quia tempus tuum citò ueniet.

*Hildegardis prædixit mortem episcopo.*

*Arnoldus.*

*Martyrum eius Hildegardis prædixit.*

Eodem quoque anno cum Henricus Mindensis episcopus propter clericum quendam qui in ciuitate à suis, ipso consentiente (ut dicebatur) cæcatus fuerat, se expurgare non posset, multis pertæsus aduersitatibus coram præfatis cardinalibus episcopatu renunciauit, cui Vuernerus eiusdem ecclesie præpositus successit. Eugenius etiam papa tertius obiit, cui Conradus abbas cœnobij sancti Ruffi Viliternæ diocesis nostri ordinis & cardinalis succedens, Anastasius quartus nominatus est, & sedit anno uno, mensibus quatuor, diebus 24. Hic Anastasius papa literas ad S. Hildegardem uirginem paterno affectu plenas, & deuotionem præferentes non paruam, in quibus & scripta illius mirificè laudibus extollit, & se orationibus eius ac totius congregationis humiliter commendat, in primo anno pontificatus sui transmisit, magnis precibus diuinum ab ea responsum efflagitans. Cui sancta uirgo per reuelationem diuinitus edocta, rescribens omnia quæ illi pro emendatione uitæ necessaria erant, etiam occultissima cordis aperuit.

*Episcopus deponitur.*

*Eugenius papa obiit. Anastasius fit papa.*

*Scriptis Hildegardi.*

In qui-

*Hildegardis pa-  
pa Anastasio  
prophetauit.*

In quibus literis inter cætera prædixit schisma, quod post obitum Adriani papæ, qui Anastasio successit, secutum est. Et tu Roma, inquit, uelut in extremis iacens cõturbaberis, ita quod fortitudo pedum tuorũ, super quos hætenus stetisti, languescet: quoniam filiam regis, uidelicet iusticiam, non ardenti amore, sed quasi in torpore dormitionis amas, ita ut eam à te expellas. Vnde & ipsa à te fugere uult, si non reuocaueris eam. Hoc anno fuit eclipsis solis.

*Miraculũ de Sa-  
cramento domini  
ei corporis.*

Eodem anno Colonię quidam ex patre Iudæo, sed conuerso, dum sacramentum corporis Christi in solennitate paschali ore tenus suscepisset, & ecclesia egressus nescio quid exinde acturus domum inferre cogitasset, diuinitus territus exhorruit, & nesciēs quò se uerteret, fossa in cœmiterio facta sacrosanctum corpus dominicum in eam sepeliuit. Superueniens autem sacerdos, & rem discens fossam aperuit, & infantuli formã inueniēs, eumq; manibus reuerenter eleuans, ad ecclesiam portare uoluit: sed mirum dictu, luce cœlitus emissa, puerulus manibus tenentis elabens, in ipsa luce ascendens cœlos penetrauit.

*Obijt Mechtildis  
monialis in Spã-  
heim.*

Anno Volmari abbatis 35. qui fuit dominicæ natiuitatis 1154. quarto calendas Martij, bijt Mechtildis sanctimonialis uirgo in monasterio meo Spanheimensi, pro Christi amore 29. annis inclusa, soror Bernhelmi primĩ abbatis eiusdem cœnobij. Hæc apud S. Albanum Moguntia primò fuit inclusa per annos 7. deinde cùm Bernhelmus frater eius in abbatem Spãheimensem fuisset ordinatus, propter maiorem quietem & solitudinem, ad eiusdem cœnobium de consensu archiepiscopi Moguntini & abbatis S. Albani, se transfudit, & omnipotenti Deo in ieiunijs & orationibus die noctuq; usq; ad finem uitæ deuotissimè seruiuit. Sepulta est in medio chori iuxta sepulchrum fratris sui abbatis Bernhelmi, non sine opinione sanctitatis. Nam angelorum concentus in eius transitu auditi sunt, & uariæ uisiones ostense, cui & S. Hildegardis adhuc in carne uiuenti, testimonium sanctitatis perhibuit. Circa festum S. Michaëlis Fridericus rex in Italiam profectus est cum magno exercitu. Interea Anastasius papa moritur, cui Nicolaus Anglicus primò monachus S. Ruffi, deinde abbas, postea Albonensis episcopus cardinalis nostri ordinis succedens, Adrianus quartus nuncupatus, sedit annis 4. mensibus 10. Rex Fridericus in Italiam traiecto exercitu, primo impetu Placentiam Æmilie ciuitatem edomuit, quædam etiam castella ob insolentiam Mediolanensium & Cremonensium igne deuastat: deinde Spoletum opulentissimam Umbriae ciuitatem cõcremat: sicq; uersus mare cum exercitu pacificè transiens, Romam peruenit: ubi à pontifice Romano & omnĩ senatu honorificè susceptus, in Imperatorẽ consecratur, & post solẽnem ordinationẽ facta seditione à quibusdã uulgaribus tempore meridiano, bello ex improviso impetitur. Imperator uerò & sui subito armati, hostes strictis gladijs trans Tyberim repellunt, & tanta in eos cæde defæuiunt, ut ipse alueus fluminis totus sanguine occisorũ mutaretur. Hac cruenta uictoria, 14. cal. Iulij parua manu suorum perpetrata, sequenti die non moratus reditum instituit, & in patriam exercitum incolumem reduxit. His temporibus episcopatus Lubicensis de Oldenburg translatus instituitur, & Geroldus primus episcopus ibidem ordinatur.

*Expeditio regis  
in Italiam.*

*Rex in Imperato-  
rem consecratur.*

*Bellum inter epi-  
scopum Mogun-  
tina & comi-  
tem palatinum.*

Anno autem Volmari abbatis 34. qui fuit dominicæ natiuitatis 1155. bellum graue fuit inter Arnoldum archiepiscopum Moguntinum, & Hermannum comitem palatinum Rheni. Sed reuer sus ex Italia Fridericus Imperator, perturbatores regni & pacis aded edomuit, ut in breui pax firmis-

simã ter-

ſima terrore ſui aduentus redderetur. Nam ipſe Imperator Arnoldum archiepiſcopū conſtituerat multis potentibus in circuitu inuitis, quippe qui nouerant eum uirum iuſtum & auſterum, eorum malis ſtudijs minimè conſenſurum. Vnde Imperatorem Italia exiſtente mouerunt in pontificem arma Hermannus comes palatinus, Emicho comes de Lymigen, Godfridus comes de Spanheim, Henricus comes de Katzenelenbogen, Conradus comes de Kirchberg, & Henricus comes de Dideſhem, cum alijs quibuſdam. Reuerſus igitur de Italia Imperator, natale Domini Vuormatię celebrauit, & prædictis comitibus ſimul & Arnoldo archiepiſcopo præfato, pro eo quòd pacem imperatam uiolaſſent, ſatiſfactionem pro pœnitentia ex conſilio principum indixit. Prædicti enim comites Emicho, Godfridus, Henricus & alijs, ex parte præfati comitis Hermannii Imperatore iubente canes portauerunt, & ſic dominus Arnoldus Archiepiſcopus ab excommunicatione eos abſoluit. Ex parte autem ipſius epiſcopi canes portare cœperunt Ludouicus comes de Lohun, Vuilhelmus comes de Glitzberg, & alijs, ſed ob reuerentiam archiepiſcopi ceſſare ab Imperatore iuſſi ſunt.

*Comites in parte Hermannii contra Arnoldum epiſcopum.*

*Canes portarunt pro ſatiſſatione.*

Eodem anno Bernhardus epiſcopus Hildesheimenſis in Saxonia, propterea quòd decem annis cæcus eſſet, & ad regendum inutilis, epiſcopatū reſignauit, fuitq; in locū eius ordinatus Bruno eiufdem eccleſiæ decanus, uir ſanctus & beatę Marię ſemper uirgini deuotiſſimus, qui octauas natiuitatis eius primus celebrauit, & celebrandas in ſua diœceſi ſolenniter inſtituit: cui & ipſa uirgo ſanctiſſima eaſdem octauas celebranti, ſemel in matutinis uifiſibiler apparuit, & gratias de tanto ſeruitio illi agens, magnam conſolationem & ſpem futura retributionis impendit.

*Bruno epiſcopus Hildesheimenſis.*

Anno Volmariabbatis 35 currente, Arnoldus archiepiſcopus Moguntiniſ quorundam iniurijs prouocatus, ad præſentiam Hadriani papę uenit, à quò ſuſceptus honorifice, Apoſtolicam ab eo legationem promeruit, indeq; reuerſus ad Moguntiam cum honore receptus fuit. Hoc ipſo anno Imperator Fridericus Agnetem principis Burgundię filiam uxorem duxit, repudiata priore legitima uxore apud Conſtantiam, unde grauiffimum in eccleſia ſcandalum exortum eſt. Hermannus palatinus comes obiit, cui frater Imperatoris ex parte patris Conradus nomine ſucceſſit, homo Dei oblitus, eccleſiis monaſterijsq; & miniſtris eorum, maxime Vuormatienſi antiſtitii Conrado, multas iniurias per uiolentiam irrogauit.

*Imperator uxorem ſuam repudians ſuperinduxit aliam.*

*Hermannus comes obiit.*

Eodem anno qui dominicę natiuitatis 1156. fuit, Imperator circa feſtum omnium ſanctorum uenit ad Colonia, & tam à ciuibus quàm ab archiepiſcopo Arnoldo ſatis honorifice fuit receptus, ubi miles quidam Bernhardus nomine, qui in necem Hermannii de Vuinceburg cõſpiraffe, à duce Saxonum fuit conuictus, Imperatoris iuſſu decollatus eſt.

Anno ſequente qui fuit dominicę natiuitatis 1157. indictione 5. Volmarus abbas quintus decimus huius monaſteriij Hirſaugienſis, 5. calendas Februarij circa primam noctis uigiliam de hoc mundo tranſiens, in Domino quieuit, uir apud omnem poſteritatem memoria dignus: quippe qui per ſuam induſtriam, ſapientiam & pietatem huic monaſterio ſuo, multa bona fecit, augmentauit cenſus, redditus ampliauit, ruinoſa cœnobij ædificia reſtaurauit, domos & habitacula pro fratrum commoditate neceſſaria plura de nouo conſtruxit, numerum monachorum Deo ſeruientium auxit, ſeq;

*Volmarus abbas moritur.*

uerbo & exemplo paſtorem optimum ſubditis ſuis omnibus exhibuit, Sepultus eſt in maiori eccleſia, ante altare ſancti Michaëlis.

De Harto

DE HARTVIGO, HVIVS MONASTERII ABBATE  
 te XVI. qui præsuit tantum duobus mensibus, & de uita &  
 conuersatione ipsius.

SEPulto reuerendissimo ac deo dilecto abbate Volmaro, licet fratres máximo eius amore tenerentur, nec possent memoriam tam pientissimi patris de cordibus suis, non dico citò, sed ne unquam prorsus delere, quem pastorem in omnibus utilem, pium atq; dulcissimum semper fuerant experti: tamen ne malitia temporum, quæ tunc abundabat in terra, sinistri aliquid prauorum suggestionis interponeret, uisum eis est cum electione noui pastoris non esse tardandum.

Eodem igitur die quo Volmarum ecclesiasticæ sepulturæ tradiderant, conuenerunt in unum animo & intentione, nouum eligendi pastore, qui tam in spiritualibus quàm temporalibus, ad regimen monasterij utilis & idoneus haberetur. Inuocata itaq; (ut moris est) gratia Spiritus S. Hartuugum nomine, monachum, uenerabilem senem, unanimi consensu in abbatem concorditer elegerunt, anno Domini 1157, indict. 5. in octaua S. Agnetis uirginis & martyris, quæ est 5. calend. Februarij. Electione autem ex more in personam Hartuugi publicata, coram toto conuentu in terram procidit, & ut supportaretur à tanto onere fratres cum lachrymis suppliciter rogauit. Si uoluisssem, inquit, imò si fuisssem idoneus animas regere in eo statu, in quo fueram ante ingressum religionis, permanisssem. Sed quia imperfectionem meam noui, & quod mihi subesse magis expedit quàm præesse, propterea domum meam, præposituram, dignitates & beneficia quæ habui, contradicentibus amicis & cognatis meis omnibus, libens dimissi: quatenus sine cura & sollicitudine rerum temporalium, omnipotenti Deo in simplicitate cordis mei, placitam possem impendere seruitutem. Cumq; fratres, ut onus regiminis à Deo sibi tanquam idoneo impositum suscipere fortiter instarent, tandem consentiens dixit: Cõtemnere preces uestras amantissimi fratres, omniumq; reluctari uotis, impium iudico, tamen si me ad tantum pondus regiminis scio penitus insufficientem. Confido tamen in misericordia omnipotentis Dei, pro cuius amore omnia mundana semel cõtempsi: quoniã me diu in hac miseria non permittet uiuere, si mihi hanc curam animarum, quam reclamanti imponitis, nociturã in anima mea coram ipso cognoscit. Ad nimiam itaq; instantiam fratrum consentiens, onus pastoralis curæ pro Christi amore suscepit, & pro munere benedictionis ad archiepiscopum Treuirensis Hillinum cum certis monachis descendit. Benedicì autem à Gunthero Spirense episcopo propter certas causas noluit, & ideo iuxta tenorem priuilegij monasterio Hirsaugensi, à sede Apostolica dudum concessi, ad Treuerim descendit. In die itaq; dominica quadragesimæ secunda, quæ fuerat anno illo, quarto nonarum Martij, benedictus fuit in maiori ecclesia Treuerensi ab Hillino archiepiscopo, in præsentia complurium abbatum. In itinere illo constitutus, sanctissimam Christi sponsam Hildegardem, de cuius sanctitate, miraculis, scriptis & reuelationibus multa audierat, uisitauit: quam cum loquentem audiret, in stuporem uersus, lachrymas præ gaudio fudit. Nactus autem oportunitatem cum ea secretere loquendi, omnem statum & mœrorem mentis suæ illi aperuit, & in quantis esset angustijs propter curam animarum sibi impositam, simpliciter reseruit: petijtq; humiliter, quatenus amore Iesu Christi super statu suo diuinam uoluntatem dignaretur inquirere, & quid sibi faciendum esset super his in quibus uersabatur cogitationibus, de cura pastoralis relinquenda

Hartuugus in abbatem eligitur.

Quomodo se à tanto onere excusauit.

Quomodo consentit.

Ab Hillino Treuirorum archiepiscopo benedictus est.

S. Hildegardem & tal.

quenda indicare. At uirgo S. Hildegardis more suo ad lumē inuisibile mētis suæ aciem erigēs, tale Hartuuigo dedit respōsum: Lux uiuēs tibi dicit, ô homo, mens tua sit mihi in uoluntate mea subiecta, & non abiciā te. Homo enim qui mihi paratus est seruire pro honore nominis mei in pascēdo animas meas, & aliud non querit, in me manet. Ego autē scio quis ex me stat, in prælatione, & illū nō deserā. Et qui sine me regnat, hūc ego non aduerto. Tu autē esto paratus, quia citō uenturus sum. Inde ad Hirtaugiā reuersus, non diu uixit, sicuti dicemus. Erat autē iste Hartuuigus genere Frācus, qui adolescēs ad studiū literarū positus, satis doctus et eruditus euasit, nō solum in diuinis, sed etiā in secularibus literis. Crescētibus demum annis, canonicus maioris Ecclesiæ Spirēsis factus est, ubi se tam sapienter & religiose habuit, ut cōsentu omnīū primō in camerarium, ac deinde in præpositū eiusdem ecclesiæ fuerit electus. Erat autē homo cōscientiæ bonæ, placidī cordis, & honestissimæ conuersationis: qui quāuis diuitijs & honoribus afflueret terrenis, semper tamē mēte sursum ad Deum erectus, bonis & sanctis studijs operam impendebat. Licet enim diuitijs abūderet, cor tamē suum nequaquā apposuit, sed manum suam aperuit inopī, & pauperū necessitatibus quantū potuit promptissimē occurrit. Inter cætera pietatis opera, cū adhuc uitam ageret secularē, magno ad fratres huius monasterij Hirtaugiensis tenebatur affectu, & multa eis beneficia impendit. Crebrō illos uisitauit, & quoties aliquem de Hirtaugiensī monasterio Spiram uenire pro quolibet negotio contigisset, non alibi quā in domo præpositi licebat nancisci hospitium. Domus eius uelut cœnobium, honestissima erat adornata familia, in quam nulli peccatus inhonesto patebat ingressus. Moribus suis bonis & Deum timētibus cunctis fuit honorabilis, in cuius præsentia loqui uel agere turpia uel inhonestā nullus audebat. Interna quoq; deuotione omnipotenti Deo mancipatus, nullum tempus ociosum transire sinebat, in quo non aliquid boni operis ad pensum seruitutis suæ appenderet. In orationibus erat frequens, & in lectionibus sanctarum scripturarum studiosus. utpote qui fuerat ex reuolutorum spiritualium fructus & dulcedinem quotidiana meditatione expertus. Cū autem plerōsq; ex concanonicis suis ire per abrupta uiciorum cernebat, medicamentum fraternæ correptionis tam ratione officij quā obedientia dominici præcepti opposuit, & quomodo uiuendum sit ministris Domini, multimoda scripturarum attestacione ostendit. Sed quum admonitiones suas parum in plerisque proficere cerneret, tædebat eum in officio prælationis uiuere, in quo se uidebat cæteris inuuliter præesse. Matura igitur deliberatione præhabita omnem mundi pompam & honorē pro Dei amore proposuit deserere, & se totum districtione monastica omnipotenti Deo mancipare. Ad quod propositum tam sanctum & arduum subeundum, maxime eum sermones & miracula diuī patris Bernardi Spiræ facta, quibus interfuit, prouocarunt, quæ omnibus quā diu uixit cum deuotione maxima narrare consueuit. Venditis ergo rebus suis multis, & precio non paruo dato pauperibus ad Hirtaugiam uenit, & monachus sub Volmare abbate factus fuit. Multa quoq; in auro, argento, uasis preciosis, & uariis supellectili secū ad monasteriū attulit, quæ omnia in manus Volmari abbatis coram tota cōgregatione resignauit. Sacræ autē religionis habitū de manibus Volmari abbatis assumens, totum se deinceps ad Deum contulit, semperq; aut mente aut corpore in eius seruitio intentus fuit. Interesse psalmodiæ & horis regularibus tam nocturnis quā diuinis, semper illi iocundum atque dulcissimum, omneq; tempus quod seruitio creatoris non impenderat, perdidisse se gemebat. Corpus suum abstinentiā, ieiunijs, uigilijsq; in serui-

*R. sp. Hildegaris.*

*Vita Hartuuigi abbatis.*

*F. t. præpositus in ecclesia spirēsi.*

*Misericors in pauperes erat.*

*Conuersione fuit deuotus.*

*Zelo reuolutorum aruatus.*

*Per S. Bernar- dum compūgitur.*

Nunquam uisus  
perturbatus.

Decanus  
Phortzēsis fit  
monachus.

Conradus mona-  
chus fit abbas in  
Amorbach.

Conradus fit ab-  
bas in Suartzach  
Burchardus in  
Vaingarten.  
Diethmarus mo-  
nachus.

Manegoldus  
prior claustralis

Adelhelmus  
prior claustralis.

Heymericus.  
Gerlachus.

Hartuuigus ab-  
bas.

Conuentus prin-  
cipum in Vuor-  
matia.

Arnoldus Colo-  
niensis archiepi-  
scopus.

tutem spiritui curauit redigere, & se cunctis in bonis operibus imitabilē exhibere. In omni conuersatione sua inter fratres fuit pacificus, tranquillus & quietus, tantaq; erga omnes charitate affluens, ut mater cōgregationis merito diceretur. Nemo illum unquam uidit perturbatum, murmurantem nemo audiuit, sed ante faciem suam in uera humilitate gradiens, nullum penitus contristauit.

Eodem tempore Sigefridus decanus de Phortzheim, qui multa huic monasterio bona contulit, sicut in libro Donationū habetur, sub Volmaro abbate monachus factus est, uir singularis eruditionis & sapientiæ in formatione & exemplo ipsius Hartuuigi prouocatus. Similiter & alij complures uiri notabiles, sapientia, genere & diuitijs insignes, exemplo præpositi Spirensis incitati, contemptis rebus & honoribus mundi, monachi sub abbate Volmaro in hoc Hirsaugiensi cœnobio facti sunt, qui pro fratrum usu multa beneficia contulerunt. His etiā temporibus Conradus monachus huius cœnobij & postea prior in Schoinrein, abbas in Amorbach, consensu Volmari constitutus est, uir tam in spiritualibus quàm secularibus ad regendum satis idoneus. Erat enim in scripturis sanctis satis admodum eruditus, & in agendis singulari experientia præditus.

Alter quoque Conradus huius cœnobij monachus, eodem ferme tempore consensu ipsius Volmari abbatis, ad monasterium in Suartzach Argentinenſis diœcesis abbas ordinatus est. Burchardus quoq; monachus huius cœnobij ad Vuingarten abbas eligitur, uir astutus ingenio, & in agendis multum prouidus & expertus. Post cuius obitum Diethmarus monachus noster, electione fratrum eiusdem loci abbas factus est, qui per suam industriam multa bona eidem monasterio fecit & acquisiuit.

Eodem tempore quo ex præposito Hartuuigus factus est monachus sub Volmare abbate, prior claustralis fuit Manegoldus natione Francus, qui postea in abbatem huius cœnobij electus est, de quo dicemus: qui Hartuuigum magna charitate diligebat, homo sapiēs & magnificus in omnibus actionibus suis. Vnde in cellarium monasterij promotus, multa sollicitudine pro fratrum necessitate uigilabat, & bene ministrans inferiora, gradum promeruit altiozem. Post eum prior constitutus est Adelhelmus primò in Aminburg, & postea in Medioloaco Treuerēsis diœcesis abbas, uir sapientia & religione uenerabilis, in cuius locum prior substitutus est Heymericus, monachus senex & debilis, quo in breui mortuo Gerlachus successit, post quem Manegoldus denuò prior est ordinatus, in quo quidem officio usq; ad mortem abbatis Hartuuigi permansit. Igitur Hartuuigus in abbatem per fratres unanimiter electus est, mortuo Volmaro (sicut diximus) & per archiepiscopum Treuerensem Hillinum legitime ordinatus, uisitata S. uirgine Hildegarde apud Bingios Hirsaugiam rediit, & cum maximo gaudio fratrum, tanquam pastor integerrimæ charitatis susceptus fuit.

Hoc ipso anno institutionis Hartuuigi abbatis, qui fuit dominicę natiuitatis 1157. Imperator pascha Vuormatiæ celebrauit, ubi penè omnes Teuthonici regni principes cōuenerunt, & se cum rege anno sequente in Lōgo bardiam ituros, contra rebelles imperij iurauerunt. Post hæc ipso anno Imperator per magnam industriam suam effecit, ut abbates, præpositi, & meliores quidem cōplures de ministerialibus ecclesiæ Mogūtinae, in manus & quorundam amicorū eius promitterēt, quòd Arnoldo archiepiscopo qualibet occasione decedente, sine ipsius consilio & assensu alium non uellent eligere.

Eodem anno moritur Arnoldus archiepiscopus Coloniensis, huius no-

minis

minis secundus, uir ingenio acutus, & in rebus bellicis expertissimus, qui semper Imperatorem in Italiam secutus multa pro eius imperio expendit. Ipse monasterium Rindorff iuxta Būnam in honorem S. Clementis papæ & martyris construxit, in quo & sepultus est: cui Fridericus eius nominis secundus, in ordine successit, præpositus S. Gregorij Coloniensis, & per Adrianum papam consecratus est Romæ, atq; accepto pallio ad Coloniā cum honore reuersus. Contra hunc electus fuit in dissensione grauissima Gerardus præpositus Bunnensis, sed apud Ratisponā ex Imperatoris iussu & principum, cedere Friderico compulsus est.

*Fridericus secundus archiepiscopus Coloniæ.*

Eodem tempore inter papam Adrianum & Imperatorem Fridericū grauissimæ contentiones leui occasione oriri cœperunt. Innocentius papa secundus, Romæ quondam in muro imaginem suam depingi fecerat, quasi in sede pontificali residentem, Imperatorem Lotharium complicatis manibus coram se inclinatam coronam imperij suscipientem. Quod Fridericus Imperator uidens cum esset Romæ, à suis incitatus ægrè tulit. Accessit huic (si dici fas est) contumeliæ aliud quiddam persimile, quod nouæ commotionis & dissensionis magnum seminatorium fuit. Imperatore cum primoribus regni in ciuitate Bisuntina Burgundiæ curiam celebrante, duo cardinales literas Adriani papæ perferentes adfuerunt, in quibus inter alia sic continebatur: Beneficium coronæ tibi contulimus, neque pœnitentiā moueremur, si excellentia tua, maiora à nobis beneficia accepisset. Quod uerbum scilicet Beneficium, hi qui circa Imperatorem erant, usualiter interpretantes, & in contumeliā ipsius positum asserentes, animum eius in iram concitauerunt. Cardinales iniurijs affectos à conspectu suo eiecit, dicens: Quod à solo Deo habemus (coronam uidelicet imperij) non Romano pontifici, sed soli Deo attribuimus. Primā uocem regiæ electionis archiepiscopi Moguntini recognoscimus, regalem consecrationem archiepiscopo Coloniensi permittimus. Imperialem consecrationē Rom. Pontificij assignamus. Deleantur ergo picturæ, scripturæ corrigantur, alioquin inter regnum & sacerdotium concordia & pax stare non poterunt. At Romani indignationem & iram Imperatoris metuentes, aliam interpretationem huius nominis protulerunt, Beneficium, quasi benefactum intelligi debere dicentes. His temporibus claruit sanctus Vuilhelmus, ex comite Pictauiensi eremita nominatissimus, qui loriam ad nudam carnem portauit, & in maxima abstinentia corpus suum macerauit, miraculis multis gloriosus. Hunc sanctus Bernardus cum schismaticis contra Innocentium papam pertinaciter sententem; per sacrosanctum corpus dominicum constans adeo perterruit, & ad tantam compunctionem perduxit, ut non solum pertinaciā omnem deponeret: sed, quod est amplius, comitatu suo derelicto, honoribusq; & diuinijs omnibus contemptis, homines fugiēs eremum intraret. His quoq; temporibus uisio admirabilis Tondali militis in Hibernia dicitur facta, quæ cum ubiq; sit notissima, non opus est, ut huic operi interferatur. Claruerunt his tēporibus in ecclesia Dei, multi uiri doctissimi, qui uaria pro eruditione simpliciu opuscula ediderunt. Gilbertus cognomēto Porreta, natione Gallus, ex scholastico Parisiensi episcopus Pictauiensis, uir undecimq; doctissimus, scripsit notabilē expositionē super psalmos: item in Euangeliū Ioānis, in epistolas quoq; Pauli omnes: in Boetiu de S. trinitate: in Philosophia multos subtili tractatus edidit. Lucas etiam abbas S. Cornelij ordinis nostri doctissimus inter alia studiorū suorū opuscula, his temporibus in Cantica canticorū Salomonis, non spernēdelectionis edidit. Richardus de S. Victore canonicus Pa

*Causa dissensionis inter papam & imperatorem.*

*Alia causa.*

*Vanitas opinionum Imperatoris*

*S. Vuilhelmus ex comite eremita claruit.*

*Visio Tondali.*

*Gilbertus episcopus.*

*Lucas abbas.*

Richardus de S.  
Viflore.

Liber Sententiarum  
componitur.

Petrus Comestor

Ioachim abbas.

Gratianus.

Hartuugus abbas.

rifiensis, uir in sacris scripturis his temporibus omnium iudicio longe doctissimus, & non minus sanctitate conuersationis quam eruditione literarum insignis, multa præclara uolumina edidit: quorum lectio & doctis ad eruditionem, & ad compunctionem deuotis ualde utilis & necessaria uidetur. De his quidem opusculis in libro de Ecclesiasticis scriptoribus, iam dudum fecimus mentionem. Circa hæc quoque tempora Petrus Lombardus episcopus Parisiensis, quatuor libros Sententiarum, ex diuersis dictis sanctorum patrum colligens, posteritati transmissit: qui tantæ sunt hodie in scholis Theologorum authoritatis, ut cæteris penè omnibus in lectione quotidiana præferantur. Scripsit quoque in Psalmos commentaria, & in Apostolum, quæ satis utiles sunt. Et quædam alia quæ ad notitiam lectionis nostræ non uenerunt. Claruit ipsidem quoque temporibus & alius Petrus quidam, presbyter Trecentis, quem Comestorè uulgo appellant, qui scripsit insigne opus ad Vuilhelmum Senonensem archiepiscopum, super libros Bibliæ historiales, quod Scholasticam historiam appellamus. Et quædam alia non abijciendæ lectionis opuscula. Richardus monachus Cluniacensis, nostri ordinis, inter chronographos his temporibus habetur in precio: qui inter multa quæ scripsit, historiam rerum transacti temporis, satis iocundam utilemque composuit. His etiam temporibus, sub Friderico Imperatore primo, claruit Ioachim abbas monasterij Florentis de Calabria, nostri ordinis, uir quidem studiosus & doctus: qui tanquam propheta habitus à multis, etiam futura prædicere consueuit. Scripsit in Hieremiam prophetam, in Danielem prophetam, in Euangelium Ioannis, in Apocalypsin Ioannis: in quibus omnibus, futura semper prædicere tentat. Ad Henricum quoque sextum, plura scripsit. Item de Septem sigillis in Apocalypsi: in Psalterium decem chordarum. Item librum Concordiæ. Item de 15 pontificibus Romanis futuris, suo tempore, unam prophetiam conscripsit. Epistolas quoque multas ad diuersos, & uaria de futuris temporibus composuit. Hoc ipso anno dominicæ natiuitatis 1557. signum crucis in luna manifestè apparuit. Claruit circa hæc tempora Gratianus monachus Bononiensis, nostri ordinis, qui ex diuersis sanctorum patrum sententijs, decretis & scriptis, librum Decretorum in unum composuit, & summo pontifici confirmandum obtulit.

Eodem anno Dominus Hartuugus, abbas huius cœnobij præfatus, 8 calendis Aprilis, circa primam noctis uigiliam carne solutus, in Domino quieuit, sexto & quinquagesimo die institutionis suæ, ad abbatiam Hirsaugiensem: sepultus est in maiori ecclesia, in abside meridionali, coram altari omnium sanctorum, uir æterna memoria dignus, quem omnipotentis Dei misericordia, iuxta desiderium suum breui de medio abstulit, ne malitia immutaret intellectum eius: frequenter enim prælatio, mentem fallere consueuit.

DE MANEGOLDO, HUIUS MONASTERII XVII. AB-  
bate, qui præfuit annis 8, mensibus 4, diebus 6. & de  
uita & conuersatione eius.

**H**Artuugo uenerabili abbate uiam uniuersæ carnis feliciter (sicut confidemus) ingresso, & non sine lachrymis multis fratrum suorum sepultura commendato, ne impedimentum aliquod prauorum inclinatione ex diutina uacatione interueniret, ipsamque noui pastoris electionem liberrimam quomodolibet in firmare potuisset, multa deliberatione præhabita, fratres uoces in electione habentes, statim eodem die in unum cõuenerunt, animo & intentione nouum super se constituendi pastorem. Igitur inuocata gratia spiritus S. anno Domini 1157. indict. 5. 8. cal. Aprilis, hora diei 3. uel quasi, Friderico



Friderico Imperatore primo regnante, anno eius 6, monachi huius cœnobii conuentuales in abbatem unanimiter elegerunt. Manegoldum uenerabilem monachum, genere Francum, ex cognatione Hartuigi prædecessoris sui procreatum, annos ætatis habentem fermè sexaginta. Qui post longam humilemque excusationem precibus fratrum acquiescens, onus pastoralis curæ assumpsit, sed munus benedictionis usque in sabbatum ieiunii quatuor temporum post exaltationem S. crucis distulit, propterea quod se fratribus bene probandum offerre statuisset. Tandem importunis precibus fratrum uix inductus, benedicendus Spiram magno & celebri comitatu proficiscitur, & in sabbato præfato autumnalis ieiunii, 25 monachis ex suis ad sacros ordines per Guntherum episcopum Spirenses promotis, ipse dominica sequente ab eodem pontifice, sex abbatibus, sacris indutis astantibus, munus benedictionis solenniter suscepit. Præfuit autem in abbatia annis 8. mensibus 4. diebus 6. uir bonæ ac laudabilis conuersationis, & multa bona huic monasterio fecit. Francus genere fuit, sicut diximus, honestis parentibus natus, qui ad literas discendas in iuuentute positus, satis doctus & eruditus euasit, Timorem Domini ab infantia (ut ita dixerim) imbiberat, unde non ludis, non discursibus, non puerorum leuitatibus oblectari, sed magis studio literarum & orationibus, quantum per ætatem licebat, insistere consueuit. Natura enim consecutus ingenium bonum, hausto æternæ sapientiæ gustu, nihil plus amare in hac uita didicit quam scientia scripturarum. Tandem inspirante Spiritu S. sub Volmare abbate monachus factus, tam piè, tam religiose, tamque humiliter in medio fratrum conuersatus est, ut parem in tota congregatione uix haberet. In omni tranquillitate mentis & operationis coram Deo & hominibus incedens, nulli grauis, nulli molestus fuit, sed dignum se in omnibus monachum secundum regulam sancti patris nostri Benedicti exhibuit. Statura quidem corporis breuis, sed animi uiribus magnus & egregius fuit. Denique post annos primordiali monasticæ institutionis exactos, per Volmarum abbatem succentor ord natus, & in eo officio positus, plusquam 60. uolumina pro bibliothecæ ornatu fratrumque utilitate fecit conscribi, sumptus ad hoc ministrantibus amicis eius & cognatis secularibus. Post hæc cum in omnibus utilem & irreprehensibilem se præbuisset, mortuo Dithone priore, in eius locum prior ordinatus, uerbo & exemplo fratribus norma sanctæ conuersationis fuit: in moriendo dulcis, pius & mansuetus fuit: in corrigendo seriosus, quippe qui optime nouerat regimen animarum, omnium artium esse difficillimam, & propterea maiori studio exercendam: bonis & obedientibus, socium se per humilitatem exhibuit: duris & rebellibus, seuerum se ac terribilem ostendit. Unde factum est, ut boni & humiles maximo eum amplecterentur amore: desides uerò & animarum suarum curam non habentes, ueluti dominum & iniquitatis suæ uindicem singularem metuerent. Deinde ut in omnibus probaretur, per Volmarum abbatem maior cellarius constitutus est, & Adelhelmus in locum eius subrogatus, qui non multo post abbas in Amineburg Ratisponensis diocesis, ac postea in Mediolaco Treuerensis diocesis ordinatus est. Factus autem cellarius, magnam in administratione sui officij curam & sollicitudinem adhibuit, & tamen internam conuersationem spiritus non neglexit. Rursum post aliquot annos mortuo Gerlaco priore, denuò fit prior, & more suo regularis disciplinæ zelum strenue exequitur. Primus & ultimus in choro semper cultum diuinæ seruitutis cum maxima diligentia ampliauit. Diuinas scripturas mirabiliter amauit, omneque studium pro

*Manegoldus in  
abbatiam eligitur*

*Spiræ consecra-  
tur a Gun. beno.*

*Uita Manegoldi*

*Succentor fit*

*Fit prior*

*Fit Cellarius*

scribendis libris authenticis sanctorum patrum quam diu uixit impendit. Postremò transitu Hartuugi abbatis feliciter consummato, in abbatem huius monasterij 17. electus est, sicut diximus anno Domini 1157. indictione 5. 8. calendas Aprilis, & 10. calendas Octobris, hoc est dominica quatuor temporum ieiunij autumnalis post exaltationē sanctæ crucis, quæ fuit dies sancti Mauricij martyris: à Gunthero Spirensi episcopo munus benedictionis accipiens præfuit annis 8. mensibus 4. diebus 6. Erat autem homo sanctis moribus adornatus, mansuetus, placidus, humilis, pacificus, mitis, & affabilis, menteq; & corpore castus, qui substantiam monasterij suo tempore non minuit, sed auxit, sicut in libro Donationū patet manifestè. Nam tempore eius, multi multa bona pro Dei amore huic cœnobio tradiderunt, & ipse etiam complura precio comparauit. Inter ceteros autem fuit eo tempore quidam canonicus nomine Ruthardus, qui fratrem habebat in Hirsaugia, monachum, residēs in ecclesia Moguntina, qui pro remedio animæ suæ curiam monasterio Hirsaugiensi apud Bingios tradidit, quam frater ipsius monachus iussu abbatis, pro marcis argenti 16. uendidit, & pecuniam in usus fratrum expendit. Post aliquantum uerò temporis Hedericus præfati Ruthardi ex fratre nepos, canonicus & ipse Moguntinensis, duodecim talenta huic monasterio contulit: pro quibus Hugo patruus eius Manegoldo abbate postulante, in Gruningen tria uinearum iugera monasterio comparauit. Rupertus quoq; de Tubingē multa bona monasterio Hirsaugiensi tempore abbatis Manegoldi fecit, ut patet in libro Donationū: & sepulchuram sicut elegerat, unā cum fraternitate plenaria in hoc loco promeruit. Nam inter alia 42. talenta argenti ad usus fratrum contulit, pro quibus abbas Manegoldus uineta in Sutrim comparauit. Alij quoq; diuersi multa & uaria in eleemosynam fratribus huius monasterij eodem tempore contulerunt, & beatos se arbitrabantur quicumq; in confraternitatem & orationes monachorum Hirsaugiensium fuissent admissi. Magna enim regularis disciplina obseruantia apud eos isto tempore uigebat, & ob id à bonis omnibus amabantur. Verum post annos paucos grauissima dissensio inter abbatem Manegoldum & conuentum suum diabolo procurante suborta est, pro cuius extinctione S. Virgo Hildegardis & præsens uerbis, & absens scriptis, non mediocriter laborauit. Vnde tam abbas quam conuentus, literas ad ipsam uirginem super hac eadem dissensione consultantes miserunt, quibus illa diuinitus admonita, respondens ad interrogata, epistolas remisit, quarum exemplar paulò post suo ordine ponemus.

Anno autem Manegoldi abbatis primo currente, uidelicet dominicæ natiuitatis 1157. terræ motus ingens in Asia fuit in diuersis locis, qui Tripolim, Damascum, & quandam aliam ciuitatem omnino destruxit. Porro ciuitas Cathanensium penitus euersa est, in qua multitudo uirorum, mulierum, iuuenum & puerorum maxima, fèrmè ad uiginti milia mirabili casu suffocata interiit. Claruit his temporibus in Hollandia Sophia Theodorici Hollandiæ comitis uxor, mulier sancta & in Christi amore deuotissima, orationibus, ieiunijs, uigilijs & eleemosynis continuè intenta, quæ miraculis tam in uita quam post mortem claruisse perhibetur. Cùm hæc sancta mulier limina sancti apostoli Iacobi in Gallitia uisitata, crudeles incidisset latrones, qui eam non solum spoliare clenodijs, uerum etiam uita priuare uolebant, tanta eos uirtute orationum suarum constrinxit & ligauit, ut se mouere de loco, uel manus in eam mittere nullatenus possent. Vnde stupentes, ueniam ab ea postulabant, qua accepta subito fugientes abierunt. Tandem uerò

*In abbate eligitur**Spiræ consecrata**Donatio Ruthardi**Donatio Rupertii**Religio Hirsaugiensium fratrum**Terræ motus**Sophia comitissa mulier sancta*

uerò post multa opera pietatis, cum iam tertio ad uisitandum sanctum Christi sepulchrum Hierosolymam esset profecta, sacris locis deuotissime perstratis, 6. calendas Octobris feliciter in Domino quiesuit, & in hospitali Teuthonicorum in Hierusalem sepulta est.

Anno Manegoldi abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1158. Fridericus Imperator cum principibus Teuthonici regni circa festum pentecostes in manu ualida Longobardiã intrauit, & Brixiam ciuitatem cum alijs multis cepit. Inde mouens exercitum quinquaginta millium pugnatorum Mediolanum obsedit, & diebus multis acriter expugnauit. Cumq; se Mediolanenses arcta obsidione circumuallatos cernerent, & nullum auxilium expectare à quo quã possent, ciuitatem imperatori tradiderunt. Quo facto Imperator milites suos Teuthonicos pro maiori parte in patriam remisit, & uictis Mediolanensibus censum tributum annuum imposuit.

*Imperator exercitum mouet in Longobardiam. Mediolanum ab Imperatore captum.*

Eodem anno Godfridus abbas S. Iacobi Moguntinensis, & Burchardus præpositus S. Petri, unã cum clero penè uniuerso & ciuibus Moguntinis Arnoldum archiepiscopum suum nimis exosum habere cœperunt, & imperatorem contra eum interpellarunt. Soli autem Creopoli, quos Macellarios uocant, partes archiepiscopi pro uiribus tuebantur, unde tam ab Imperatore Friderico quàm archiepiscopo Moguntino, qui Arnolde successit, libertate quadam singulari ac priuilegio usq; in præsentem diem, pro tanta fidelitate donati sunt.

*Aduersarij archiepiscopi Moguntini.*

Anno Manegoldi abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis 1159. Imperator coadunato uniuerso exercitu, Cremam urbem munitissimam per menses 7. obsidens expugnat, Cremonensibus auxilium ferentibus. Tandem cum uim militum ferre non possent, se & urbem potestati Imperatoris subdiderunt, spem non paruam Mediolanensibus adimentes.

*Imperator uel. 2. Cremam obsidione cepit.*

Eodem anno aduersarij archiepiscopi Moguntini post festum sancti Remigij synodum armata manu ingredienti, interficere eum uoluerunt. Sed comitibus cum suis uiriliter resistentibus, turpiter abire compulsi sunt. Quare de causa ipse Arnoldus archiepiscopus Moguntinus post festum omnium sanctorum Longobardiã petit, Imperatori querimoniam inde facturus, quem & aduersarij eius haud segnes subsequuntur.

*Insultus contra Moguntinum.*

Eodem anno Fridericus secundus archiepiscopus Coloniensis, in Italia obiit: cuius cadauer in patriam relatum, in quodam cœnobio Alderiburgensi humatum est. Quo sepulto, Colonienses legatos in Italiam ad Imperatorem miserunt, Reinholdum cancellarium, eius quem elegerat in archiepiscopum ab eodem postulantes. Gauisus autem Imperator, quod locum honoris ei deferendi inuenisset, grato animo consentiens, postulantibus Reinholdum archiepiscopum donauit. Nec multo post idem Reinholdus accepta licentia Imperatoris ad Coloniã uenit archiepiscopatum, & omnia quæ ad illum pertinebant, in possessionem accepit, negotijsq; breuiter dispositis cum trecentis electis militibus, in Longobardiã rursus ad Imperatorem reuertitur.

*Reinholdus fuit archiepiscopus.*

Eodem anno cum Adrianus papa Fridericum Imperatorem pro coniugij dissidio excommunicare disponderet, morte præuentus mense Octobris ab hac uita discessit. Quo mortuo magna in ecclesia Dei turbatio subsequuta est. Cardinales namq; ab inuicem dissentientes, duos sibi pontifices elegerunt, Rolandum cancellarium, quem Alexandrum tertium appellarunt, & Octavianum, quem Victorem quartum nuncuparunt. Porro Alexander uerus Christi uicarius prædecessoris sui sententiã per omnia approbauit,

sed Victor Imperatori plurimum fauebat. Alexander iste papa ordinē Carthusiensem confirmauit, certaꝑ illis priuilegia dedit, suscipiens ipsum ordinem sub protectione ac defensione sedis Apostolicæ sanctæ.

*Synodus Paduæ  
schismaticorum.*

*Arnoldus archie-  
piscopus à ciui-  
bus occiditur.*

*Rudolphus filius  
ducis de Zerinen-  
gen eligitur.*

*Crux aurea in ec-  
clesia Moguntina*

*Hæresis Vualdē-  
suum incipit om-  
nium pessima.*

Anno Manegoldi abbatis prænotato nondum completo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1160. inchoatus in octauis Epiphaniæ, Fridericus Imperator concilium apud Paduam celebrari mandauit, in quo Victorem præsentem pro papa suscepit, Alexandrum uerò absentem condemnauit. Peracto concilio Arnoldus archiepiscopus Moguntinus licentia ab Imperatore suscepta Moguntiam reuersus est. Tandem cum in die natiuitatis beatis Ioannis Baptistæ ad monasterium S. Iacobi extra muros Moguntinos causa deuotionis exiisset, Godfridus abbas eiusdem loci & Burchardus præpositus sancti Petri, unà cum cæteris conspirationis socijs sicarios, de insidijs quos conduxerant emittentes, archiepiscopum in eodem cœnobio crudeliter occiderunt, ciuibus magna ex parte consentientibus. Scelere peracto, criminis impij actores se ad ciuitatem cum festinatione receperunt, statimꝑ comites & ministeriales interempti archiepiscopi, unà cum macellarjs monasterium ipsum, uiolenter fugatis monachis deprædantes incendunt, & omnes mansiones monachorum penitus euertunt. Abbas uerò Godfridus cum cæteris impietatis suæ complicitibus sese in ciuitatem contulerat, ubi authores sceleris cum clero, licet per uiolentiã coacto, Rudolphum filium Conradi ducis de Zeringen postposita fide quam Imperatori ante triennium in manus dederant, in archiepiscopum elegerunt, qui cum placare Imperatorem muneribus de consilio suorum intenderet, ecclesiam suo spoliauit ornatu. Erat eo tempore in ecclesia Moguntina crux preciosissima, quam Vuillegifus archiepiscopus Moguntinus tempore Ottonis Imperatoris 3. pro decore domus Domini fieri mandauerat, cuius patibulum erat cypresinum, laminis aureis & preciosis lapidibus desuper opertum. Imago autem magna & tota de auro purissimo fabricata, libras auri appendebat sexcentas, sicut uersus sculptus in ea demonstrabat huiusmodi tenoris:

Auri sexcentas tenet hæc crux aurea libras.

Huius imaginis alterum pedem Marcolphus archiepiscopus tulit, & Romam pro pallio misit. Alterum uerò cum crucibus, Arnoldus archiepiscopus supra dictus abstulit, & cum eo Hermanno comiti palatino rebellauit. Totum quod reliquum fuit, iste Rudolphus cum consensu Moguntinensium accipiens, cum eo placaturus Imperatorem in Longobardia constitutum adiit, sed spretis muneribus ab eo contemptus fuit. Conradus quoꝑ palatinus comes Rheni, frater Imperatoris, repudiato & fugato Rudolpho in archiepiscopum exaltauit Christianum, uirum quendam notabilem, qui tandem ad pontificatum illo tempore non peruenit, quia Conradus frater Ottonis Palatini comitis de Vuitelinsbach, per Imperatorem (sicuti dicitur) ei fuit præpositus. His temporibus perniciofa hæresis Pauperum de Lugduno, quæ alio nomine Vualdensium nuncupatur, cœpit, per quendam ciuem Lugdunensem diuitem, qui relictis omnibus pauperratem euangelicam profitebatur: translatisꝑ ex Latino quibusdam sacræ scripturæ libris in sermonem Gallicanum, officium sibi met apostolorum assumpsit, & tam per se quàm per suos in errore complices, scripturas male intellectas ubiqꝑ prædicauit. Rectores & prælatos ecclesiarum unà cum eorum constitutionibus contemnebant, ordines sacros nihili pendentes: qui dum ut resipiscerent admonerentur, respondere solebant: Deo plus obediendum esse quàm hominibus, Tandem contumaces & in malis erroribus peruenientes, ab

ces, ab ecclesia pulsi, excommunicati, & hæretici declarati sunt. Circa hæc tempora cum S. Bernardus abbas Clareuallēsis ab hac uita migrasset, quod contigit anno Domini 1153. indictione 1. 13. calendas Septembris, anno ætatis suæ 64. horrenda uisio Lingonensi episcopo facta est. Apparuit ei namque eremita quidam mortuus, quem uiuentem olim nouerat, qui diuino timore compunctus, ante aliquot annos cum esset decanus diues & nominatus, omnia contemnēs, eremitorium pro Christi amore intrauit: quem cum de statu suo & diuini iudicij districtione interrogasset, ille respondit: Ea hora, in qua ego de corpore migraui, triginta hominum milia ab hac luce transferunt. E quibus Bernardus Clareuallēsis abbas, qui eadem hora obiit, unā mecum ad cœlos auolauit, tres alij ad purgatorium missi sunt, cæteri omnes per sententiā iusti iudicis condemnati, ad infernum perpetuò cruciandi descenderunt.

Bernardus abbas  
obiit.

Anno Manegoldi abbatis 3. qui fuit dominicę natiuitatis (sicut diximus) 1160. S. Hildegardis uirgo Christi, monasterij diui confessoris Ruperti, iuxta Bīngios abbatissa, per spiritum sanctū coacta multis in locis uerbum Dei hominibus personaliter annunciauit. Inter cætera uerò loca quæ sua præsentia sanctificauit, etiam ad Hirsaugiam uenit, quam abbas Manegoldus et conuentus fratrum cum inæstimabili gaudio, tanquam angelum Domini de cœlo uenientem susceperunt. At illa post orationem consuetam in medio fratrum sedens, os suum in Christi nomine aperuit, & uerbum quod Spiritus S. illi commiserat, tam feruenter, sobriè, ac prudenter audientibus intimaui, ut omnes in stuporem uerterentur. Mira res accidit. Dum illa foris loqueretur uerbū, Spiritus sanctus in cordibus audientium intus operabatur effectum: tantaq; omnes gratia compunctionis perfudit, ut lachrymas fundere ex intimo affectu præ dulcedine mentis cogerentur. Inter cætera dulcissimi sermonis sui colloquia, fratribus prædixit: quoniā nisi cautè insidias hostis antiqui præcauerent, in breui temporis spacio tribulationem aliquam experirentur. Quod eodem anno accidit in dissensione illa perniciofa, quæ inter abbatem Manegoldum & conuentum, diabolo procurante, fuit exorta: de qua suo loco dicemus. Omnes simul in his quæ cōmunitatem concernant, de occultis & manifestis defectibus per spiritū sanctū edocta redarguit, & quę in eorū conuersione seu conuersione diuinæ maiestati displicerent, prudentissima ratione ostendit. Inde progressa monasterium Zuuifaltense nostri ordinis adiit, & tam monialibus quàm monachis ibidem similiter quæ spiritus sanctus ei mandauerat, annunciauit. In multis quoque Sueuiæ monasterijs & locis, uerbum Domini attestatione miraculorum populis aperuit, & suis admonitionibus plures ab iniquitate auertit.

S. Hildegardis  
uenit Hirsaugiam.

Prophetia Hilde-  
gardis super  
Hirsaug.

Negligentias fra-  
trum aperuit.

Anno Manegoldi abbatis 4. qui fuit dominicę natiuitatis 1161. grauis discordia inter ipsum abbatem Hirsaugiensem & fratres suos, iuxta prophetiam beatę Hildegardis, diabolo instigante, suborta est, quæ magnum scandalum & oblocutionem in omni penè regione Sueuorum in populo disseminauit. Videbatur enim priori Diemoni & fratribus, quod abbas familiaribus suis nimis indulgendo, quęcunque uoluissent condescenderet, & multa contra pacem conuentus & honestatem monasticam, eorum dissolutiones & insolentias dissimulando toleraret. Vnde cum super hoc à senioribus aliquoties fuisset admonitus, & libera potestate nimium usus, nihil eorum quæ proponebantur emendare uideretur: fratres ab eo se contemptui habere putantes, grauissimam contra eum displicentiam conceperunt, quę in tantum creuit, ut in notitiam omnium in regione illa cōmorantium, non

Discordia inter  
abbatem fratresq;  
Hirsaug.

sine

*Abbas uidebatur  
austerus.*

*Epistola Manegoldi  
abbatis ad  
S. Hildegard.*

*Non uult ut ab-  
batiam resignet  
Manegoldus.*

*Abbas ex literis  
Hildegardis com-  
pungitur.*

*Epistola conuen-  
tus ad S. Hilde-  
gard.*

sine opprobrio, confusione & detestatione nominis Hirsaugiensium deueniret. Cumq; ita dissensio inter fratres multas contra abbatem & ordinationes illius, contumelias & murmurationes pareret, abbas non cum paterna lenitate, ut illis uidebatur, sed cum seueritate in eos prouocatus, quoscunq; deprehendere potuisset, austerè puniuit: & quanto eis minorem paternę lenitatis affectum præbuit, tanto maiorem in se displicentiam eorum prouocauit. Cernens autem Manegoldus abbas, quod fratres ad concordiam nulla ratione posset reducere, salutis proprię amator uoluit abbatiam resignare. Sed ne oculos diuinę maiestatis inconsultè offenderet, consilium super hoc per certum nuncium & literas à B. uirgine Hildegarde postulauit, cui hanc epistolam misit: Sanctissimę dominę ac matri suę uenerandę Hildegardi, Manegoldus abbas indignus de Hirsaugia, orationem cum obsequio. Audiui quidem & apud Cyrenen quandam aquarum uenam uino effluere, & te scio & expertus sum apud Alemannos bona mater ingredientium & egredientium uenam uirtutum atq; sinum specierum rebus, sicut pupillam uisui esse. Hauris enim ô domina mea & effundis, informas & específicas, præciscip in teoriã uis & motus existis. Ea propter mihi impetus fuit & diu est, diligere te, honorare te, mirari te, seruire tibi uisq;, & in omnibus uerbo et opere tuus esse atq; tuarũ, orationibus in quantũ mihi fas est & obsequijs. Rogo te mea mater & domina, memento mei in tuis sanctissimis orationibus, dilige humilem te diligentẽ, recognosce te in Christo reuerentẽ, & literas mihi ad interrogata rescribe, in Deo rogata. His literis B. Hildegardis uirgo Christi susceptis auditisq; uerbis nuncj ab abbate commissis, ad secretum diuini susurrj redijt, & edocta per spiritum sanctum taliter rescripsit: O dulcissime pater, & in amore Christi frater, ollam uideo circumdatam tam magna claritate, ut uix uidere possim si olla sit. Sed & ibi uideo aliquantulum amari gustus, contritum tamen magna contentione, & postea turbinem, qui tamen ad præmium Dei destinatur. Vigilia ergo strenuè, quia causa populũ in moribus hoc tempore talia postulat. Omitissime pater, ego pauca pericula foemina, in uera luce non uideo, ut omnino de officio tuo mouearis. Memorare autem, quia homo es in terra: & ne ualde timeas, quoniam Deus in te diuersa non requirit. Tu enim in præsentia Dei es, sicut fumus myrrhæ & thuris. Vnde mons Sion quærit, ut sis esca in domo Iacob. Sed si quis columnã quæ totam domum sustērat absciderit, domum deijcit. Quapropter septem fenestras prospice, considerans ubi accipiter ueniat, & caue ne ille te decipiat. Pasce ergo oues tuas in mansuetudine acceptionis, quia dies salutis à te non fugit, & nondum cinis eris. Esto quoq; speculum uitæ, in speculo uitæ. Has literas abbas Manegoldus cum recepisset, animo confortatus in Domino, consilijs sanctę uirginis humiliter acquieuit, & lenire motus fratrum quantum licuit, per mansuetudinem curauit. Interea Diem prior, qui abbatem nescio pro qua causa specialiter fuit infensus, unã cum fratribus cæteris qui conuentum repræsentare uidebantur, certam in meritis S. Hildegardis confidentiam habentes, tales ad eam literas miserunt: Domina Hildegardi ad ædificationem ecclesię diuinitus electę, monachorum grex pauper & pusillus in Hirsaugia, sic diuina pietate adornari, ut nouerit humiles Christi in tribulatione consolari. Benedicta gloria Domini, quę de excelso folio suo mirabili & inusitato ordine prospexit, dum tantum lumen gratiæ suę mundo per uos illucescere uoluit. Inde omnes Ecclesię filij iocundantur, sed præcipuè nos qui spirituales noua exultationis luce perfundimur, dum in mœrore, quem pro defectu nostri ordinis toleramus, diuina

consola-

consolatione per uos lætificari speramus. Quæ igitur sint, quæ summam nobis sollicitudinẽ pareant, maximeq; mentes nostras remordeant, paucis animaduertite. Deo teste Domino nostro abbati in nullo detrahimus, quem tamen paternæ lenitatis, per multa nobis immemorem & quibusdam familiaribus suis laxius indulgentem, libera quoq; potestate in omnibus moderatius utentem in gemiscimus. Siquidẽ maximis calumnijs & infamijs opinionem nostram super hoc lacerari perpendimus, & præcipuè pro lachrymabili discordia pridẽ inter nos orta, & nihilominus inter ipsum abbatem nostrum & priorem nuper commota, religionem nostram quàm maximè contemptui à secularibus haberi deflemus. Quapropter incerti quid agamus, ut uestris orationibus diuina uoluntas nobis aliquatenus super his elucescat, humillimè imploramus. Qui si literis cõsolatorijs, quod potissimum Deo his sit placitum, per uos certificari meruerimus: id quod solum possumus, uestræq; charitati gratissimum fore scimus, precum nostrarum remunerationem huic beneficio respondere semper studebimus. Valete.

*Causæ discipulæ  
centiarum conuē  
tus contra abbatẽ*

*Consolationẽ per  
litteras ab ea po  
sulant.*

Ad has literas beata uirgo per diuinam reuelationem informata sic rescripsit: Serena lux dicit, O plangens ouile & ornatum in signo ligaturæ obedienciæ, esto stabile in cogitationibus tuis, & desyderia tua anhelent ad timorem Dei. Tu ergo considera, ubi sit prosperitas uel aduersitas. Audi mensuram uallium. Valles interdum uirent & florent de rore cœli & de calore solis, & interdum arefcunt & deficiunt in uicissitudine tempestatum. Sed tamen ualles istæ propter diuersitatem tempestatum aliquando pulchritudinẽ suam perdunt, non habeo omnino in tali obliuione, quasi amodo in pulchritudinẽ suam non resurgant. Sic etiam non obliuiscar loci huius in quo tu stas, quia sapientiã non carebit in ea materia sanctitatis, ut ipse primum in rectitudine processit. Tu autem esto lucidum ouile in uictoria, conculcans uicia quæ in inquieto tempore concutiunt te, & non erubescere quod te propter mala opera tua accuses, quoniam Deus omnia uulnera in pœnitentiã ungit & tergit. Sed tamen uiuens oculus notauit præteritã causam in dolore illo, quo tu commotum es, in contumaciã superiorum prælatorum tuorum: quia dulcedo ungentis matris, scilicet misericordiæ, subtracta fuit à quibusdam ouibus tuis in culpa iacentibus, quæ non rectè diiudicata sunt in pœna quam habuerunt in pœnitentiã sua. In congrua pluuia facit terram aridam. Sic homo qui peccauerit, si non habuerit illum qui eum ungat, protinus in desperationem fugit & arefcit: quoniam nulla medicina exhibetur ei, secũdum quod ipse sustinere potest. Nunc chari filij, audite uocem uiuentis lucis: Apprehendite misericordiam, quæ non est ex uobis orta, sed quæ ex Deo uenit. Et ideo non abstrahite eam ab illis, quibus impendenda est. Retrahitte ergo illos in sanitatẽ animarum suarum. Postquàm literas istas fratres Hirsaugienses à S. Hildegardē Christi famula suscepissent, mirum in modum gauili sunt: & mutato consilio, de pace & tranquillitate concordia inter se tractare cœperunt. Sed & abbas Manegoldus iuxta consiliũ D. uirginis Hildegardis, præueniens eos in spiritu mansuetudinis & lenitatis, se patrem pietissimum uerbo & opere in omnibus exhibuit. Fratres autem dulcedine paternæ promissionis similiter promiserunt se, filios humiles obediensq; in omnibus exhibituros, & nunquam deinceps occasionem discordiæ præbituros. Sic ergo meritis orationibus & consilijs beatæ Hildegardis uirginis Christi, concordia inter abbatem & conuentum auxiliante Domino reformata est, quam inuolabilem deinceps ipso uiuente Manegoldo abbate, inter se ab utraque parte firmiter seruarunt.

*Epistola Hilde-  
gardis ad fratres  
Hirsaugienses*

*Hortatus eos ad  
puriatẽ.*

*Fratres inter se  
de pace tractare  
cœperunt.*

*Pax inter abbatẽ  
& fratres refor-  
mata est.*

Anno

Anno Manegoldi abbatis 5 qui fuit dominicæ natiuitatis 1162. Imperator Fridericus unâ cum primoribus ecclesiæ Moguntinæ in Longobardia cõstitutus, Christiano priore neglecto, imò contempto, in archiepiscopum præfatæ ecclesiæ substituit Conradum fratrem Ottonis comitis Palatini de Vuetelinsbach, & præfuit annis duobus.

Conradus fit archiepiscopus Moguntinus.

Eodem quoque anno cum Mediolanenses fidei promissionis & iuramenti immemoris obedientiam Imperatoris refugerent, ciuitas ipsa Mediolanum rursus à Cæsare obfessa & breui capta est, populus expulsus, murusque in circuitu deiectus & ædes omnes, exceptis sanctorum templis solotenus destructæ, ita ut per medium urbis in modum crucis aratrum iubente imperatore traheretur. Reinholdus archiepiscopus Coloniensis corpora sanctorum Magorum qui Christum in cunabulis adorauerant, de Mediolano consensu Imperatoris auferens, transtulit in Coloniã, & in maiori ecclesia sancti Petri collocauit, ubi usque in præsentem diem miraculis multis choruscantibus, in honore & reuerentiã magna habentur.

Trium Magorũ sanctorum corpora Coloniã transferuntur.

Pisani obedientiã præstant Imperatori.

Eodem anno Imperator Mediolano destructa, pascha Papiæ magnificè celebrat. Secunda feria paschæ, Pisani fidelitatem Imperatori iurauerunt, & expeditionem prompta uoluntate in Apuliam, Calabriam, Siciliam, Sardiniam & Corsicam & uersus Constantinopolim facere promiserunt. Feria tertia, Brixenses similia iurauerunt.

Synodus duorum paparũ habetur.

Eodem tempore Ludouicus rex Franciæ legatos ad imperatorem misit pro componenda pace & unitate sanctæ ecclesiæ, quos ipse gratanter suscepit. Igitur generali synodo indicta in municipio quod Leona dicitur, super fluuium Saonam in episcopatu Bisantino, Imperator cum papa Victore, multisque archiepiscopis, episcopis, & abbatibus, adfuit in decollatione S. Ioannis Baptistæ. Rex autem Franciæ ex altera parte fluminis pridie aduenerat, sed ex consilio papæ Alexandri & sibi parentium, in proximo castello resedit, nec ad Imperatorem peruenit. Adfuit huic synodo rex Danorum Vualdemarus, qui coronam regni Daciæ de manibus domini Imperatoris ibidem suscepit. Igitur Imperator & rex præfatus Danorum, cum illa frequentia pontificum, abbatum & principum, sicut in prima & secunda synodo Victorem uniuersalem papam nominarunt, Alexandrum uerò cum suis schismaticos designauerunt.

Vualdemarus rex Danorum.

Imperator uenit Moguntiam.

Anno Manegoldi abbatis 6. qui fuit dominicæ natiuitatis 1163. Imperator pascha Vuormatiæ celebrauit, & in octaua solennem curiam Moguntinæ habuit. Porrò ciues penè omnes, paucis de inferioribus exceptis, ne ab Imperatore inuenirentur, de ciuitate fugerunt, ob necem Arnoldi archiepiscopi, in monasterio sancti Iacobi factã, de qua supra diximus. Unus quidem Brinigerus nomine, de tanta turba sceleratorum captus, & ante Imperatorem adductus, capitalem sententiã accepit. Godefridus abbas sancti Iacobi Imperatori præsentatus, ut se de obiectis purgaret, inducias accepit. Sed cum se de interfectione ipsius archiepiscopi expurgare non posset, decreto Imperatoris & principum de abbatia pulsus, etiam abiurare patriam & Moguntinæ ecclesiæ prouinciã compulsus est. Monachi uerò eiusdem cœnobij iussu Imperatoris omnes in una domo inclusi, qui antè obedientiam erant, uidentes in malo se positos, alij per fenestras, alij quocunque ingenio poterant, fugam captabant. Cæteri seniores, debiles & infirmi fugere non ualentes, abire permisi sunt. Abbate itaque unâ cum monachis omnibus expulso, & monasterio sancti Iacobi penitus destructo, locus ille per annos 14. sine habitatoribus mansit desolatus, sicque diuinæ laudis obsequia

Abbas S. Iacobi abbatia et patria pulsus.

ibidem



ibidem sunt intermissa. Denique ad comprimendam ciuium insolentiam, murus in circuitu ciuitatis, iussu Imperatoris, ex toto destructus est, & in puluerem resolutus. Et sic Moguntia sine muro per annos triginta septem permanfit. Hoc etiam anno quidam hæretici de secta eorum, qui Cathari nuncupantur, de Flandriæ partibus ad Coloniã uenientes, in quodam horreo prope ciuitatem occultè mansitare cœperunt. Sed dum nec Dominico die Ecclesiam intrarent, à circumiacentibus deprehensi & detecti sunt. Ad examen ergo sanctæ matris Ecclesiæ perducti sunt, & hæretici pertinacissimi inuenti sunt. Claruit his temporibus Eckbertus, abbas monasterij sancti Florini confessoris, in Schonaugia, diœcesis Treuerensis nostri ordinis, frater beatæ Elisabeth sanctimonialis uirginis, uir in Diuinis scripturis doctissimus & magni nominis ac famæ, suo tempore, inter doctores Ecclesiasticos. Hunc ergo clerus & maiores ciuitatis Coloniensis, tanquam uirum doctum, sibiq; ab olim, quum adhuc esset in ecclesia Bonnensi canonicus, benè notum, quem non minus sanctitate conuersationis uenerabilè, quàm eruditione scripturarum insignem sciebant, ad examinandum præfatos hæreticos, per literas & nuncios ad Coloniã uocauerunt. Veniens autem Coloniã Eckbertus abbas, anno præfato Dominicæ natiuitatis millesimo centesimo sexagesimo tertio, indictione undecima, secundo die mensis Augusti, publicum disputationis certamen, cum tribus hæresiarchis, qui cæteris acutiores uidebantur, iniit: Arnaldo uidelicet, Marsilio & Theodorico, quos licet essent acutissimi, tamen fortiter disputando conuicit, ita ut penitus contradicere non ualerent. Quumq; nullis rationibus, nullis autoritatibus, nullisq; admonitionibus induci possent, ut suo renunciarent errori, sed in suo proposito pertinacissimè peristerent, ab Ecclesia prorsus eiecti sunt, & in manus laicorum traditi. Qui eos extra urbem educentes, nonis Augusti ignibus tradiderunt, mares octo, fœminas duas. Erat inter eos iu-uencula una, quæ dum miseratione populi prope feruaretur, si fortè interitu aliorum territa, saniori consilio acquiesceret, subito de manibus se tenentium elapsa, ultrò se ignibus iniecit & periit. Fuerunt autem isti hæretici multis erroribus implicati, Cathaphrygi, siue Cathari, eo dicti quòd se mundos & solos Christianos esse dicebant: ceteros uerò omnes homines, im-mundos & hæreticos. Rectores Ecclesiarum, prælatos, sacerdotes, & omnem clerum contemnentes, deceptores animarum & laqueos diaboli appellabant. Sacramenta Ecclesiæ irridebant, & sacrosanctum corpus & sanguinem negabant. Luxuriã inter se quomodo cunq; aut cum quibuscunq; perpetratam, dicebant non esse peccatum: allegantes, Omnia munda mundis. Alios quoq; multos & abominabiles profitebatur errores, de quibus scribere propter honestatem erubescimus. Aduersus Catharos istos sancta Hildegardis per spiritum sanctum inspirata, ad canonicos maioris ecclesiæ Moguntinæ scripsit epistolam, quæ sic incipit: Mense Iulio præsentis anni, qui est millesimus centesimus sexagesimus tertius dominicæ incarnationis, &c. Originem autem hæresis huius habuit ex fecibus Tauchelini, de quo longè superius diximus, anno Volmari abbatis quinto, qui in partibus inferioribus, & maximè in Antuerpiã, spurcissimos disseminauit errores, Adamitarumq; resuscitauit hæresin. Et licet per fratres sancti Norberti, ordinis Præmonstratensis primi fundatoris, eadem hæresis tunc fuerit pro maiori parte, in illa præsertim regione extincta: toties tamen interea repullulauit in diuersis mundi prouincijs, & maximè in regno Bohemię, in Alsatia, in Thuringia, ut usque in præsentem diem ueneno prauitatis suæ multos infecerit: & nec hodie credatur in toto extincta, quãuis ualde occulta sit, & paucissimis

*Cathari hæretici**Eckbertus abbas**Catharos hæreticos disputando superauerunt.**Cathari Coloniã exusti.**Errores Catharorum pessimi, multi fuerunt.**Hildegardis scribit contra Catharos.**Origo hæresis Catharorum.**Hæc hæresis nondum extincta.*

*Eckbertus.* cognita Nam metu ignis, semper occulta latibula professores huius erroris amare consueuerunt. Quia uerò Eckberti abbatis mentio incidit, dicendum nobis est, quis & quantus fuerit. Fuit autem natione Teuthonicus, frater S. Elisabeth monialis & abbatissæ Schonaugiensis Treuerensis diocesis ordinis nostri. Qui cum esset canonicus ecclesiæ Bonnensis, monitis sororis suæ deuotissimæ iam dictæ consentiens, mundum & omnia quæ in mundo sunt, pro Christi amore deseruit, & sub Hildelino primo Schonaugiensi cœnobij abbate monachus factus est. Quo defuncto, in eius locum succedens, electione fratrum abbas constitutus est. Erat autem uir tam in diuinis scripturis quàm in secularibus literis suo tempore inter omnes huius prouinciæ doctores eruditissimus, in declamandis homilijs sermonibusq; ad populum promptus & eloquens, & ingenij sui multa posteritati opuscula gemino stylo conscripta reliquit. Ex quibus ad nostram lectionem pauca peruenerunt. Contra hæreticos scripsit librum unum. Item in principium Euangelij Ioannis. Item super Euangelium, Missus est angelus: pulchrum tractatū non spernendū. Epistolas quoq; plures ad diuersos. Item Sermones & multos & uarios composuit. Scripsit etiā uitam, conuersationē, reuelationes, & obitum B. sororis suæ Elisabeth: de qua postea dicemus. Sed & carmina diuersi generis, & Orationes deuotioni congruas, cōplures edidit: de domino Iesu, deq; sanctissima eius genitrice uirgine Maria, & sanctis quibusdā alijs multis & diuersis. Tandē mortuo Hildelino primo abbate monasterij prædicti Schonaugiensi nonis Decemb. anno Domini 1167. pari consensu fratrum abbas in eodem cœnobio cōstitutus est, præfuitq; annis 18. & 5 calen. Aprilis non sine opinione sanctitatis, de hac uita migravit. Tantæ autē eruditionis fuit, ut hæreticū quendam Cardensem natione, de corpore & sanguine Domini malè sentientem, & pessimè dogmatizantem, qui propter subtilitatem ingenij & linguæ uolubilitatē, cunctis etiā doctissimis formidabilis erat, in publico conuentu doctorum apud Confluentiam prima disputatione conuicerit, & ab errore suo ad professionē ueritatis reuocauit. Anno Manegoldi abbatis 7, dominicę autem natiuitatis 1164, archiepiscopus Saltzburgensis à ministerialibus S. Ruperti crudeliter interemptus est. Imperator iterum in Italiā regreditur. Oceanus in partibus inferioribus limitem suum per 12 miliaria, 14 calē. Martij egressus, multa millia hominum utriusq; sexus & diuersæ ætatis, maximè circa fluuium Vueseram, submersit. Eodem anno in die parasceues, 4 uidelicet iduū Aprilis, Alexandro papa, qui & Rolandus, apud Senonas, diuina celebrante, horribiles tenebræ factæ sunt: & dum quidam cardinalis passionem legeret, atq; in eum locū ubi dicitur Consummatum est, uenisset, tam horrendum fulgur cecidit, & deinde tantus fragor in tonuit, ut papa dimisso altari, & diaconus dimissa lectione, & omnes qui aderant, fuga sibi consulendum esse iudicarent. Hoc ipso anno Victor papa apud Lucam obiit, ibiq; sepultus est. Cui Vuido Cremenensis episcopus, 10. calen. Maij, ab Henrico Leodiensi episcopo ordinatus, Paschalis tertius appellatus est. Eodem anno Conradus archiepiscopus Moguntinus (de quo supra diximus) Alexandro papæ & contra uoluntatem imperatoris, fide & iuramento confœderatus est, atque ab imperatore & eius antipapa recessit. Vnde indignatus imperator de archiepiscopatu Moguntinensi eum expulit, & fugere ad ipsum patrem Alexandrum coëgit. Quo pulso, in locum eius fuit ordinatus Christianus, quem ante ipsum electum à Moguntinensibus, supra diximus. Huius Christiani archiepiscopi ad sanctā Hildegardem extat epistola, in qua se orationibus eius commēdans humilimè, rescriptum eius & diuinam admonitionem petit & impetrat. Tandem uerò post Christianum

*Vir doctus fuit.*

*Abbas Schonaugiensis fuit.*

*Hæreticū de Cardona conuicit.*

*Episcopus Saltzburgensis interfectus.*

*Mare terminos suos egreditur.*

*Horrendas tempestates aëris.*

*Victor papa obiit Paschalis succedit.*

*Conradus archiepiscopus Moguntinus expellitur, Christianus eligitur.*

Itianum Conradus iterum ad archiepiscopatum suum Moguntinum est reuersus. Eodem anno Conradus comes Palatinus Rheni, frater Imperatoris Friderici primi, diocesin Coloniensem incendio ex præda petens, bellum eis indixit, posito termino secunda feria Rogationum in campo Adernacensi. Colonienfes statuto die ad certamen præparati cum 125000. armatorum in prædicto loco conuenerunt: quorum fortitudine per exploratores recognita, Conradus Palatinus non ausus est uenire, licet ab illis per dies 12, fuerit expectatus. Eodem anno cal. Octobris Imperator de Italia reuersus curiam in octauis S. Martini celebrem apud Bambergam habuit, ubi inter Conradum comitem Palatinum fratrem suum & Reinoldum electum & Colonienfes pacem reformauit.

Conradus comes palatinus:

Anno Manegoldi abbatis 8, qui fuit dominicæ natiuitatis 1165. S. Thomas archiepiscopus Cantuariensis in Anglia, dum libertatem & iura ecclesiæ suæ fortiter contra tyrannidem regis Anglorum defenderet, ab eo patriâ simul & archiepiscopatu pulsus est, ueniensq; in regnum Francorû primò in cœnobio Pontiacò moratus est, Postea Senonis in monasterio S. Columbæ regijs expensis sustentatus est. Eodem anno natus est Imperatori filius nomine Henricus apud Nouiomagû. Ipso quoq; anno Imperator curiam celeberrimâ in Herbipoli celebrauit ad diem Pentecostes, ubi tam ipse Imperator quàm ceteri principes omnes iurauerunt, quòd papa suum Paschalem nûquam defererent, nec ad partes Alexandri aliquando transirent. Ibi tunc primùm Reinoldus Colonienfis electus, sabbato quatuor temporum, cum alijs multis nouiter electis, in presbyterum ordinatus est. Postea uerò 6. nonas Octob. in archiepiscopum Coloniae electus est à Philippo Osna-burgensi episcopo, Imperatore Friderico, unâ cum sua Imperatrice præsentibus. Eodem quoq; anno in die ad uincula Petri, quæ est calend. Augusti post meridiem, Manegoldus abbas huius cœnobij Hirsaug. decimusseptimus, anno ætatis suæ nono & sexagesimo, abbatia uerò octauo cum menses quatuor & diebus sex. Consummato ex hac uita ad Dominum migravit, & ante altare S. archangelî Michaëlis sepultus est. Vir certè memoria dignus, qui etsi fratrum suorû aliquando murmuraciones sustinuit, quæ admodum prædiximus: tamen causa displicentiarû non ex malo, sed potius ex bono regularis disciplinæ descendit zelo. Amator liquidè monasticæ conuersationis feruētissimus erat, qui cum delinquentes monachos durius secundum regulam monasticam corrigeret, infirmorû contra se odiû prouocauit. Verum posteaq; per S. Hildegardem semel admonitus est, seueritatē in pietatē maximam cōmutauit, & pax inter eum & fratres summa, usq; ad mortē eius cōualuit.

S. Thomas:

Curia principû Herbipoli celebratur.

Manegoldus abbas obijt.

Regularis disciplinæ amator, ut diximus, fuit.

DE RUPERTO, HUIUS MONASTERII XVIII ABBATE, QUI præfuit annis 11. & de eius conuersatione, certisq; gestis illius temporis.

Anno dominicæ natiuitatis 1165, altera die post festum ad uincula Petri, quæ fuit 4. nonarum Augusti, mortuo atq; sepulto (sicut diximus) Manegoldo uenerabili abbate, cōuenientes in unum fratres huius monasterij, ut sibi de pastore nouo prouiderēt: multis quidē & necessarijs tractatibus inter se habitis, post humilē inuocationē gratiæ spiritus sancti in abbatē unam nimitè elegerunt uenerabilē uirū Rupertū, eo tēpore priorē in Schonrē. Electus autē cum difficultate maxima, uix tandē induci à fratribus potuit, ut cōsentiret, quippe qui experiētia docere cognouerat, plus periculi inesse prælatuæ claustralij q̄ honoris. Fuerat enim antea (sicut dicemus) abbas in Gotzauu. Vnde quanta necessariò patiatur, prælatus monachorû in multis admodum fuit expertus. Renuit ergo suscipere huius magni & insignis cœnobij abbatiam, q̄ se in minore, quæ tanti nominis nō extitit tãtas passū iniurias animo re-

Rupertus:

Diu suscipere abbatiam renuit.

*Vita Ruperti ab-  
batis.*

*Rupertus fit ab-  
bas in Gotzau.*

*Abbatiam suam  
in Gotzau Ru-  
pertus dimisit.*

*Prior ad Schon-  
rem ordinatur.*

*Abbas Hirsaug.  
constituitur.*

uoluebat intento. Victus tandem precibus fratrum, postquam diu reluctatus esset, consensum præbuit, & onus pastoralis curæ portandum pro amore Dei humiliter suscepit, in quo per annos undecim Domino strenuè militauit. Munus benedictionis, quod in Gotzaugiensi abbacia quondam susceperat, etiam in ista sufficiebat. Qui ex Francia orientali honestis parentibus ortus, ad studiū literarū in pueritiā positus, moribus bonis & scientia scripturarum cum ætate annorū non segniter profecit, & in breui tempore multos ex cogtaneis suis in utroq; superauit. Deinde crescentibus annis diuina in spiratione attractus, sub Volmaro abbate in hoc cœnobio monachus factus est, ubi se spirituali exercitio totū dedit, ita ut in multis etiā senioribus, iuuenis exemplar uirtutum existeret. Fuit autē quantū ad dispositionē corporis attinet, homo satis decorus, statura procerus, uultu pulcher & iocundus, incessurarius & firmus, uoce sonorus, sermone maturus atq; disertus. Moribus uerò compositus & placidus erat, consilio promptus & cautus, & in omnibus actionibus circūspectus. Mitissimæ ac tranquillissimæ inter fratres conuersationis extitit, & nullum unquam per iniuriā offendit. Deniq; cum tanta se diligētia ad seruiendū omnipotentī Deo cōtulit, ut semper in choro cū primis intraret, exiretq; cum ultimis, & die noctuq; lectioni scripturarum, meditationibusq; sanctis & orationibus, fermè continuus uacaret. Tandem cū se uirtutū eius fama circumquaq; etiā ad extraneos diffunderet, fratres Gotzaugiensis cœnobij, quod quatuor ab Hirsaugia miliaribus distat, eius nomine & opinione prouocati, cū essent pastore uiduati, eum in abbatē super se unanimi electione postulātes impetrarunt. Qui post humilē excusationē, tandē abbatē sui cōstrictus imperio, onus ipsum pastoralis curæ suscepit, & per episcopū Spir̄ensem ordinatus secundū cōsuetudinē solēniter fuit. Ordinatus autē abbas, omne studiū suum pro instauratione monasterij sui prænominati Gotzaugiēsis in utroq; statu iam iamq; labētis adhibuit, & in tēporaliū rerum reductione nō mediocriter profecit. In spiritualibus autem rebus non usq; adeo proficere potuit, tum propter fratrum quorundā importunitatē, tum etiā quod seculariū amicorū eorundē proteruia non parum oblisceret. Cumq; proteruia monachorū obliscente se parū proficere cerneret, relictis illis, quos incorrigibiles nouerat, abbatiam resignauit posteaquā illā per annos aliquot gubernasset, malens cū fratribus suis Hirsaugiēsis abiectus & in humilitate cōsistere, quā in abbacia sine fructu cū reprobis monachis præsidere. Dimissa igitur abbatia præfati monasterij Gotzaugiensis, ad Hirsaugiā reuersus est, & à fratribus cum magna charitate receptus, priorē locū obtinuit, & uitā inter eos tranquillā, ut antea consueuerat, sine reprehensione cōtinuauit. Postea uerò ad monasteriū Schonrem, supremus prior & rector cōsilio & assensu fratrum huius cœnobij per Volmarum abbatē ordinatus est, ubi per annos fermè decē satis utiliter præfuit, & ipsum prioratū non minus in spiritualibus quā in tēporalibus rebus ampliavit. Tandē post decessum Manegoldi abbatis, cū inter fratres Hirsaug. eo nō reperiretur utilior, cōmuni cōsilio & unanimi omnium cōsensu in abbatē huius monasterij electus est, anno supradictō natiuitatis Christi 1165. indict. 13. 4. nonas Augusti, & præfuit (sicut diximus) annis 11. Erat autem in obseruantia regularis disciplinæ satis admodum zelosus & feruidus, sed quia dies mali erant, fuitq; necessarium redimere tempus, non sicut uoluit, sed ut potuit, fratres gubernauit. Cœperant enim iam tunc à feruore primæ institutionis tepescere, nec facile erat diffluentes nimium, tam subito reuocate. Multos ergo labores pro instauratione monasticæ perfectionis adhibuit, multasq; propterea iniurias ab infirmis subditis recepit. Vnde necessitate compulsus, ne ex malis de-

lis deteriores fierent, tacuit, & prudenti moderamine quantum licuit, pro meliori dissimulauit. Quantum uero ad statum rerum temporalium pertinet, substantiam monasterij non minuit, sed ampliauit; & præter donationes à fidelibus suo tempore factas complures, quæ in libro Donationum habentur, etiam ipse, prædia & prata non pauca ad usus fratrum comparauit. Ipse quoque abbas Rupertus in maiori cœnobio Hirsaugiensi, ad plagam septentrionalem capellam pulchro tabulatu construxit in honorem S. Nicolai magni archiepiscopi Myreorum, in qua & frequentius missarum solœnia celebrare consuevit. Quam quidem capellam post annos 278. Vuolframus abbas nimia uetustate penè collapsam de consensu & permissione Reinhardi Spirensis episcopi destruxit, & altare ipsum in ecclesia monasterij ad sinistram latus aræ sanctæ crucis, transferens in honorem sanctorum Petri Apostoli, Nicolai, Vdalrici, & Aurelij pontificum, & Galli abbatis, per ministerium Petri episcopi Myrensis, præfati Reinhardi præfulis, in Pontificalibus uicarij generalis consecrauit, quemadmodum suo loco dicemus.

*Disciplina fratrum Hirsaugiensium hoc tempore tepuit.*

*Capella S. Nicolai fundatur. Vuolframus abbas.*

Anno Ruperti abbatis primo currēte, qui fuit dominicæ natiuitatis 1162. sancta & Deo dilecta uirgo Elisabeth monialis nostri ordinis, magistra uirginum Christi in Schonaugia Treuerensis diœcesis, soror Eckberti abbatis ibidem in cœnobio monachorum, de quo supra fecimus mentionem, anno ætatis suæ sexto & tricesimo, conuersionis ad ordinem quarto & uigesimo, uisitationis autem cœlestis gratiæ tertio decimo, uocante domino nostro Iesu Christo, ex hoc mundo transiit ad ipsum sp̄sum suum, quem puro semper corde amauit, sepulta in monasterio uirorum, ibidem in ecclesia principali ad Aquilonem: cuius uitam, conuersionem, miracula & reuelationes frater eius præfatus abbas Eckbertus, ad multorum ædificationem descripsit. Hæc uirgo cum esset annorum duodecim, ad monasterium pauperum uirginū Christi in Schonaugia Domino Deo sub regula S. patris nostri Benedicti, & monasterio Hildelini primi abbatis & fundatoris utriusq; cœnobij, monachorum uidelicet & monialium syncerè famulantium, à parētibus tradita fuit, ubi tam sanctè, tam purè, tam religiose uixit, ut multis mirandis reuelationibus diuinitus meruerit crebrius in hac mortalitate consolari.

*S. Elisabeth monialis prophetissa obiit.*

*Vita eiusdem sacræ uirginis.*

Anno namq; conuersionis suæ undecimo, qui fuit ætatis tertius & uicesimus, manus Domini super eam facta est, & cœpit mirabiles habere uisiones, chorisq; interesse angelicis, & arcana mentium diuinitus illustrata reuelare. Et quandiu deinceps uixit, diuinis reuelationibus recreata fuit, & hoc maximè diebus dominicis, & in festis sanctorum, tempore diuinorum in choro, ubi maior omnium feruebat deuotio. Modus autem uisionum, seu reuelationum is erat. Cadebat super eam quædam passio præcordiorum, ita ut lapsa repente in ecstasi uelut exanimis perduraret, quieta iacens, sedens immobilis, nullusq; in ea sentiri halitus posset. Quo durante excessu, spiritus rapiebatur ad diuersa loca, & angelicis interea locutionibus informabatur. Tandem uero post longum excessum, resumpto spiritu sanctissima uerba proferebat, aliquando in lingua Teuthonica, quæ illi patria fuit aliquando uero in Latina, cum Latini sermonis penè nullam haberet intelligentiam. Spiritus enim qui loquebatur in ea, ut uoluit uerba formauit. Tota uita eius quasi longū quoddam martyriū fuit, quippe quæ sub regulari disciplina constituta, iugū dominicū multiplici flagello passionū longo tēpore portauit. Manus enim Domini super eam semper fuit extēta, & flagellū pijs cōditoris nunquā ei defuit, premens animum & cōterens debile corpus infirmitate continua. Quæ quamuis læguoribus uexaretur continuis, semper

*Reuelationes multas habuit.*

*Modus uisionum eius fuit.*

*Quasi semper fuit infirma.*

*Tituli & nomina  
librorum eius*

*Variarum quoque  
revelationum.*

*Epistola S. Elisabeth ad S. Hildegardem.*

*Elisabeth revelationes suas caelare uoluit.*

*Ab Angelo percussa fuit. Visiones abbati suas reuelat.*

tamen patiens, semper hilaris & tranquilla mente & corpore extitit, psalms, orationibus, ieiunijs, lachrymisque & uoluntaria castigatione se macerans, sacrificium acceptabile Domino immolauit. Diuinis autem reuelationibus informata, plura ad aedificationem fidelium scripsit, de quibus nos subiecta legimus: Viarum Dei, pulchrum & necessarium opus, in quo plures ponuntur sermones de uia contemplatiuorum, actiuorum, martyrum, coniugatorum & continentium, quod sic incipit: Factum est in anno quinto uisitationis meae &c. Item de historia, origine, inuentione & nominibus undecim milium uirginum opusculum edidit, angelica reuelatione informata, quod sic incipit: Vobis qui pios affectus ad ea quae sancta sunt geritis, ego Elisabeth famula ancillarum Domini quae sunt in Schonauia, aperio ea quae mihi per gratiam Dei reuelata sunt. Item diuersarum reuelationum, in uarijs materijs, causis & propositionibus, tres libros composuit, capitula centum quatuor & quadraginta continentes, in quibus multa pulchra & utilia descripsit, quorum primus sic incipit: Petis a me frater, & ad hoc uenisti, ut enarem tibi misericordias Domini. Secundus uero sic: Benigna est misericordia Dei nostri, Tertius autem sic: Assumpsit me angelus Domini in spiritu, in locum celsitudinis magnae. Item ad interrogata multorum, plures conscripsit epistolas responsales, inter quas una satis proluxa extat ad S. Hildegardem magistram sororum apud Bingios, quam ex certa consideratione de uerbo ad uerbum inferere nobis placuit huic operi nostro, ut sequitur: Dominae Hildegardi uenerabili magistrae sponсарum Christi, quae sunt apud Bingiam, Elisabeth humilis monacha & magistra sororum quae in Schonauia sunt, deuotas cum omni dilectione orationes. Gratia & consolatio altissimi repleat uos gaudio, quia meae perturbationi benigne compassa estis, sicut ex uerbis consolatoris mei intellexi, quem de mei consolatione diligenter commonuistis. Sicut enim uobis de me reuelatum fuisse dixistis, fatear uere quandam perturbationis nubem me nuper in animo concepisse, propter ineptos sermones populi multa loquens de me quae uera non sunt. Sed uulgi sermones facile sustinerem, si non & hi qui in habitu religionis ambulant, spiritum meum acerbius contristarent. Nam & hi nescio quibus stimulis agitati, gratiam Dei in me derident: & de his quae ignorant, temere iudicare non formidant. Audio & quosdam literas de suo spiritu scriptas sub meo nomine circumferre, de iudicii die me prophetasse diffamantes: quod certe nunquam facere praesumpsi, cum omnium mortalium cognitionem effugiat eius aduentus. Sed huius famae occasio est uobis aperiam, ut indicetis utrum praesumptuose quicquam in hac re fecerim aut dixerim: sicut per alios audistis, magnificauit Dominus misericordiam suam mecum, supra quam meruerim, aut mereri ullatenus possim: in tantum, ut coelestia quaedam mihi sacramenta frequenter reuelare dignatus sit. Significauit etiam mihi per angelum suum frequenter, qualia uentura essent super populum suum in his diebus, nisi poenitentiam agerent de iniquitatibus suis, atque ut palam haec annunciarem, precepit. Ego autem ut arrogatiam euitarem, nec auctrix nouitatum uiderer, in quantum potui, omnia haec studui occultare. Cum igitur solito more quadam dominica die essem in mentis excessu, astitit mihi angelus Domini dicens: Quare abscondis aurum in luto, hoc est uerbum Dei quod per os tuum missum est in terram, propter facies distortas: non ut abscondatur, sed ut manifestetur ad laudem & gloriam Domini nostri, & saluationem populi sui. Et hoc dicto, eleuauit super me flagellum, quod quasi in ira magna quinque mihi inflixit amarissime, ita ut per triduum in toto corpore

corpore meo ex illa percussione languerem. Post hæc apposuit digitum ori meo dicens: Eris tacens usq; ad horam nonam, quando manifestabis ea, quæ operatus est Dominus tecum. Ego igitur usq; ad horam nonam muta permani. Tunc significauit magistræ, ut adferret ad me libellum quendam, quem in stratu meo absconderam, continentem ex parte ea quæ fecerat Dominus mecum. Quem cum offerrem in manus Domini abbatis Hildelini, qui ad uisitandum me uenerat, soluta est lingua mea in hæc uerba: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Post hæc cum & alia quædam ipsi reuelassem, quæ scriptis committere nolueram, uidelicet de uindicta Domini magna, quam uniuerso mundo in breui superuenturam ab angelo didiceram, rogauit illum diligentissimè, ut uerbum illud apud se haberet absconditum. Præcepit autem mihi ipse dominus abbas, ut operam darem orationi, atq; à Domino postulare quatenus daret mihi intelligere, utrum ea quæ dixeram, silentio tegi uellet, an non. Cumq; per aliquod tempus pro hac re orationi insistendo me afflixissem, in aduentu Domini, in festiuitate S. Barbaræ in prima uigilia noctis corruui in ecstasi, & astitit mihi angelus Domini dicens, Clama fortiter, & dic heurad omnes gentes, quia totus mundus in tenebras est conuersus. Et dices: Exite, ille uos uocauit, qui de terra uos formauit, & dicit pœnitentiã agite, quia prope est regnum. Hoc igitur sermone inductus dominus abbas cœpit diuulgare uerbum coram magistratibus ecclesiæ & uiris religiosis. Quorum quidam cum reuerentiã exceperunt uerbum, quidam uerò non sic, sed sinistrè de angelo qui familiaris mihi est, locuti sunt, dicentes eum esse illusorem spiritum, & in angelum lucis transfiguratum. Vnde & ipse dominus abbas per obedientiã me constringit, præcipiens, ut cum mihi rursus appareret, per nomen Domini illum adiurarem, quatenus indicaret mihi, utrum uerus Dei angelus, an non. Ego autem præsumptuosum id astinians, cum timore magno præceptum hoc suscepi. Quadam igitur die cum essem in excessu meo, solito more se mihi obtulit, & stetit in conspectu meo. Et dixi tremens ad eum, Adiuro te per Deum patrem & filium & spiritum S. ut rectè dicas mihi, si uerus Dei angelus sis, & si ueræ sint uisiones quas uidi in excessu meo, & ea quæ ex ore tuo audiui. Respondit ac dixit: Scias pro certo, quia uerus angelus Dei sum, & ueræ sunt uisiones quas uidisti, & quæ de ore meo audisti uera sunt, & uerè fient, nisi reconcilietur hominibus Deus, & ego ipse sum, qui diu laboraui tecum. Post hæc in uigilia Epiphaniæ dum orarè, rursus apparuit mihi Dominus meus, sed procul à me stans, & faciem habens auersam à me. Ego autem indignationem eius intelligens, dixi illi cum timore, Domine mi, si molestus fui tibi in eo quod adiuraui te, ne quæso imputes mihi, conuerte obsecro faciem tuam ad me, & esto mihi placabilis, quia constricta per obedientiam feci, neque ausa fui transgredi mandatum præceptoris mei. Cumq; in huiusmodi uerbis multas lachrymas profudissem, cōuersus est ad me dicens, Contemptum mihi fecisti & fratribus meis, quia diffidentiam habuisti ad me. Vnde pro certo noueris, quia ultrò non uidebis faciẽ meam, neque uocem meam audies, nisi placatus fuerit Dominus & nos. Et dixi, Domine mi, quomodo placari poteritis? Et ait, dices abbati tuo, ut in memoriam mei & fratrum meorum celebret diuinum officium deuotè. Cum ergo non semel, sed pluribus uicibus, tam à domino abbate quàm à reliquis fratribus missarum solènia ad honorem sanctorum angelorum celebrata fuissent, simulq; sorores Psalmorum lectionibus eos honorassent, rursus apparuit mihi Dominus meus placido uultu, dixitq; ad me: Scio quoniam in charitate & obe-

*Angelus præcipit uisiones eius publicari.*

*Visiones Elisabeth quidam spreuerunt.*

*Elisabeth angelum apparentem sibi adiurat.*

*Angelus placatus apparuit.*

*Hildelini abbatis  
in Deum deuotio.*

dentia factum est quod fecisti, idcirco ueniā consecuta es, & de cætero frequentius te uisitato quàm hactenus. Post hæc cùm dominus abbas ire disponeret in locum quendam, rogatu clericorum illic manentium ut prædicaret uerbum comminationis Domini in populo, si fortè pœnitentiam agerēt, & auerteretur ira Dei ab illis, primùm aggressus est deprecari Dominū unā cum omnibus nobis, ut nobis reuelare dignaretur ancillæ suæ, utrum sermonem qui iam manifestus esse cœperat, amplius diuulgari oportet, an non. Ipse igitur diuina mysteria celebrante, & nobis deuotissimè orantibus subito dissolutæ sunt compages membrorum meorum, & elangui, & ueni in mentis excessum. Et ecce angelus Domini stetit in conspectu meo, & dixi ad eum, Memento mi Domine, quòd dixeris ancillæ tuæ, uerbum Dei per os meum missum in terram, non ut abscondatur, sed ut manifestetur, ad gloriam Dei & saluationē populi eius. Et nunc indica mihi, quid oporteat fieri de uerbo illo comminationis quod locutus es ad me. Nunquid iam factis manifestum factum est, an adhuc amplius prædicandum? At ille se uero me a spectu intuens, ait: Noli tentare Deum: qui enim tētant illum, peribūt. Et dices ad abbatē: Noli timere, sed perface quod cœpisti. Verè beati sunt qui audiunt uerba exhortationis tuæ, & seruant ea, & non fuerint scandalizati in te. Hoc autem illi suggeras, ut eam formam quam hactenus in prædicatione habuit, non immutet. In hoc enim consiliarius illius ego fui. Dicit ro illi, ut nequaquam attendat uerba eorum, qui ex inuidia dubie loquuntur, de his quæ dicta sunt in te sed attendat quod scriptum est: Quia nihil impossibile apud Deum. Hoc igitur sermone animatus, locum quem adire disposuerat, adiit: & populum qui eius aduētum præsolatus fuerat, ad pœnitentiam exhortatus est, annunciāns iram Dei cunctis superuenturam, nisi pœnitentiæ fructibus eam præuenire studerent. Quales autē plagæ mundo imminerent, nequaquā ueluti diffamatus est, in aliqua prædicatione sua enarrauit. Factū est igitur, ut multi apud quos sermo iste diffamatus est, per totum tempus quadragesimale in timore magno per pœnitentiam sese affligerent, eleemosynisq; & orationibus studiose insisterent. In tempore illo quidam (nescio quo zelo ductus) ad urbem Coloniam in persona domini abbatis, ipso ignorante, Deus nouit, literas direxit, in quibus terribiles quædam comminationes audiente omni populo lectæ sunt. Vnde quanquam ab insipientibus illusum nobis sit, prudentes tamen (ut audiuimus) reuerenter sermonem animaduertent, & pœnitentiæ fructibus Deum honorare non contempserunt. Factum est autem in quarta feria ante diem paschæ, cùm post magnos labores corporis in ecstasi uenissem, apparuit mihi angelus Domini, & dixi ad eū: Domine quid fiet de uerbo quod locutus es ad me? Qui respondit, Noli cōtristari, neq; perturberis, si non in die quem determinauit tibi, euenerint quæ prædixi, quorum multorum satisfactione placatus est Dominus. Post hæc in sexta feria, post horam tertiam cum graui passione ueni in excessum mentis, & rursus astitit mihi, dicens: Vidit Dominus afflictionem populi sui, & auertit iram indignationis suæ ab is. Cui dixi: Quid ergo Domine mi? Nōne ero in derisionem omnibus, apud quos hos uerbum diuulgatum est? Qui ait, Omnia quæ occasione hac euenerint, tibi patienter & beneuole sustineto, illum diligenter aduertens, qui cùm esset totius orbis creator, hominum irrisiones sustinuit. Nunc primùm patientiam tuam Dominus probat. Ecce domina mea, totum ordinem rei uobis explicauit, quatenus & uos innocentiam meam & abbatis nostri cognoscatis, & alijs manifestare possitis. Obsecro autem, ut & orationum uestrarum partici-

*Abbas ad pœnitentiam populū conuertit.*

*Præsumptuosa cuiusdā scriptio.*

*Iterum angelus uirgini apparuit*

*Ad patientiam hortatur eam.*



participem me faciatis, & prout spiritus Domini uobis suggesserit, aliqua mihi consolatoria uerba rescribatis. Gratia domini nostri Iesu Christi uobiscum sit. Amen.

Anno prænotato, quæ sancta uirgo Elisabeth de corpore migravit, qui fuit Ruperti abbatis 1. annus, hyems fuit asperrima, & subsecuta est fames magna cum pestilentia & multis malis. *Hyems dura.*

Anno autem Ruperti abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis 1167. obiit Henricus episcopus Herbipolensis, cui Heroldus succedens præfuit annis 7. mensibus 5. diebus 2. Huic episcopo Heroldo Fridericus Imperator ducum Franconia sub aurea bulla primus confirmauit, cum omni potestate ac iurisdictione ducali. *Heroldus episcopus Herbipolensis*

Anno sequente Arnoldus archiepiscopus Moguntinus, in monasterio S. Iacobi, à ciuibus suis in die S. Ioannis Baptistæ crudeliter occisus est. Huius conspirationis principes fuerunt in clero Godfridus abbas sancti Iacobi, & præpositus ecclesiæ sancti Petri, cum alijs multis in eadem pontificis consentientibus. Peracta cæde uenerandi præsulis, crudeles homicidæ in archiepiscopum elegerunt Rudolphum Conradi ducis de Zeringen filium, qui ut sibi muneribus Imperatorē placaret, omni Ecclesiam spoliavit ornatu. Sed contemptus ab Imperatore, ad sedem pontificatus minimè peruenit. Interea dum Rudolphus Imperatorem in Italia commorantem adiret, Conradus comes palatinus Rheni, ex uno parente frater ipsius imperatoris, Christianum quendam in archiepiscopum sublimauit: uerum utroq; refutato Imperator Conradum fratrem Ottonis comitis Palatini de Vuitelsbach ordinari in archiepiscopum fecit, quem tamen post biennium (sicut dicemus) expulit, & prædictum Christianum in eius locum ordinauit. Post necem Arnoldi uenerandi pontificis, cœnobium S. Iacobi à fautoribus eius destruitur, mansiones monachorum funditus dissipantur, ita quod per annos ferme duo decim nulla in eodem loco diuinæ laudis harmonia celebrata fuit. Monachi hincinde fuerunt dispersi, & abbas eorum Godfridus per Imperatorem de patria proscriptus. Murus etiam ciuitatis Moguntinæ, iussu Imperatoris euersus est in circuitu funditus, ita quod Moguntia per annos 36. sine muro stetit. Ciues autem omnes qui in necē pontificis consenserant, præter pauperes & mendicos ante reditum Imperatoris de Italia se fuga saluarunt. *Arnoldus.*

Anno autem Ruperti abbatis Hirsaugiensis monasterij 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1170. Conradus archiepiscopus Moguntinus, propterea quod Alexandro papæ urbis Romæ tertio, contra sententiam imperatoris adhereret, ab ecclesia sua pulsus est: in cuius locum Imperator Christianum supra dictum fecit ordinari, qui præfuit annis 13. post cuius mortem ad ecclesiam suam reuersus est. Interea fugiens, ad papam declinauit, à quo cum honore susceptus, Sabinensem episcopatum ab eo in sustentationem uitæ suscepit. Vnde quam diu uixit, etiam ad Moguntiam reuersus, archiepiscopum se Moguntinum & episcopum Sabinensem in omnibus literis scripsit. *Rudolphus comes de Zeringeri*

Anno Ruperti abbatis 7. Fridericus Imperator primus Henricum ducem Brunswicensem imperio eatenus rebellem, tam uiribus principum quam imperiali censura subegit, & ad obedientiam uenire compulit. *Conradus Palatinus.*

Eodem anno Imperator pentecosten Moguntia celebrauit unā cum uxore & Henrico filio suo ac principibus multis, & in eodem die in monasterio sancti Albani extra muros ciuitatis, cum magna solennitate coronatus est. Mansit autem ibi diebus octo, & multa pro utilitate reipub. constituit. Ibi Hemino comes Flandria ad obedientiam se Imperatori subiecit, & ipsum comitatum, *Monasterium S. Iacobi.*

*Muri Moguntini destruantur.*

*Conradus.*

*Christianus succedit.*

*Imperator ducem Saxonie uicit.*

*Imperator Moguntiam uenit.*

comitatum, modò sine liberis decederet, Imperatoris filio promisit.

Eodem quoq; anno moritur Ludouicus marchio secundus Thuringiorum, uir magnarum actionum & animo semper inuictus.

Capus s. Irminæ  
transfertur  
ad Spanheim.

Anno Ruperti abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1173. caput sanctæ Irminæ uirginis, filia Dagoberti quondam regis Francorum, quæ fuerat prima ordinis nostri abbatissa in horreo Treuerensi, ad petitionem Domini Craftonis secundi abbatis, ad monasterium meum Spanheimense, Hilino archiepiscopo consentiente translatum est.

Adelgerus fit abbas  
Spanheim.

Anno autem Ruperti abbatis 9. moritur Crafto abbas monasterij mei præfati secundus, 5. calend. Iunij, filius Meginhardi comitis de Spanheim, ætatis suæ 58. in medio chori, cum antecessore suo Bernhelmo in uno sarcophago tumulatus. Cui Adelgerus monachus & custos monasterij mei succedens, præfuit annis 6. mense 1. ac diebus tantum 3. qui ante religionis ingressum, multo tempore scholæ publicæ apud Moguntiacum præfuit, & multos insignes discipulos post se reliquit.

Eodem anno obiit Heroldus episcopus Herbipolensis, cui successit Reinhardus, & præfuit annis 4. mensibus 10. & diebus 15.

Magna imperij  
Rom. turbatio.

Anno Ruperti abbatis 10. qui fuit dominicæ natiuitatis 1175. magna fuit in toto imperio Romano turbatio, propter inobedientiam & rebellionem Friderici Imperatoris primi contra sedem apostolicam. Ipse autem Rupertus abbas & fratres huius monasterij cum sancta Romana ecclesia in primis aperte sentientes, multas à fautoribus imperatoris molestias & iniurias in rebus & in personis susceperunt, quousque tandem amicorum consilio liberati sunt. Vnde cum ingens esset in omni Alemania populorum & cleri maxima turbatio, propterea quòd imperator excòmunicatus persequeretur papam uerbis, scriptis, & armis, omnesq; sentientes cum illo nimium haberet exosos, & tam per se quàm per suos multa illis inferret damna & incommoda, multasq; iniurias fieri permetteret, uiri boni ac Deum timentes in malo se positos cum cernerent, aut fuga se, aut silentio saluare cupiebant. Cum autem Rupertus insignis abbas inter eos qui summo Pontifici consenserant, unus esset non ultimus prælatorum, & plures quotidie ab æmulis sustineret iniurias, timens generalem monasterij propter personale odium Imperatoris iacturam, uolensq; locum iræ concedere, deliberauit abbatiam pro pace fratrum & utilitate monasterij resignare.

Imperator papam  
persequitur.

Rupertus abbatiam  
resignauit.

Anno igitur promotionis suæ 11. qui fuit natiuitatis dominicæ annus 1176. iam senio nimium grauatus & curis, abbatiam ad manus fratrum suorum liberè resignauit, & pro uitæ sustentatione præposituram in Roth à fratribus suscepit, in qua uixit aliquandiu in laboribus multis, tandemq; in Domino quieuit, sepultus ibidem ex præuia sua ordinatione, in limine templi, quatenus pedibus fratrum calcaretur, quod magnum humilitatis eius fuit indicium. Erat enim (ut supra diximus) uir bonus & mitis, qui in omni pace & tranquillitate uiuere inter fratres consuevit. Ob eam causam dudum abbatiam in Gotzauu, in qua non poterat tranquillè conuersari, dimiserat, & ad monasterium suum Hirsaugiense reuersus est. Est autem monasterium Gotzauu nostri ordinis in diocesi Spirësi, in comitatu Vorchem, in Francia orientali, in pago qui dicitur Albegauu, iuxta fluuium qui dicitur Alba, constructum à Bertholdo comite de Hennenberg, anno dominicæ natiuitatis 1010. qui fuit octauus annus uacante abbatia huius monasterij Hirsaugiensis, post obitum Conradi abbatis, in quo Rupertus præfuit annis ferme 10. Qui cum monachos ad obseruantiam regularis disciplinæ compelleret,

Monasteriū Go-  
tzauu fundatur.

qui ni-

quoniam à recto tramite monasticæ conuersationis defecerant, multorum contra se odium prouocauit. Cessit ergo & loco & dignitati, malens inter fratres suos Hirsaugienses humiliter uiuere, quàm inter malos & rebellos monachos sub pastoris onere detrimentum animæ subire.

Eodem anno quo Rupertus abbatiam huius monasterij Hirsaugiensis resignauit, obiit 12. calend. aprilis Clementia monialis nostri ordinis in horreo Treuerensi, filia quondam comitis de Homburg, sanctissimæ conuersationis, quæ diebus ac noctibus intenta orationi ac contemplationi, nihil magis quàm Deo placere in omnibus cupiebat. Hæc sanctissima uirgo à patre comite Adolpho despõsata olim fuerat domino Crafroni, filio Meginhardi comitis de Spanheim, quæ cum haberet sanctæ uirginitatis propositum, de cõsensu sponsi apud Treuiros in præfato cœnobio sanctimonialis facta est. Sponsus uerò eius in meo cœnobio Spanheimensi, sub Bernhelmo abbate primo monachus factus est, eidem in abbatia successit, & in sancta conuersatione quieuit.

*Clementia uirgo  
maritur.*

*Crafo abbas  
Spanheim.*

DE CONRADO, HUIUS MONASTERII XIX ABBATE,  
qui præfuit annis 12. ac de conuersatione certisq; gestis  
eius & illius temporis.

Post resignationem reuerendissimi patris Domini Ruperti abbatis, ne monasterium uiduitatis suæ diu sentiret incommoda, prior & fratres huius cœnobij diem pro electione noui pastoris constituerunt: quo adueniente, omnibusq; electioni interesse debentibus, in loco capitulari conuentionibus, inuocata spiritus sancti gratia, ut moris est, post maturam deliberationem in abbatem unanimiter elegerunt uenerabilem uirum Conradum huius cœnobij monachum, Hermannii comitis de Kilberg fratrem, uirum sanctum & optimum, qui post humilem sui excusationem uictus, tandem precibus fratrum consensum præbuit, & dignitatē cum onere suscepit. Electus ergo communi fratrum assensu, post dies paucos ab episcopo Bambergenis ecclesiæ in abbatem ordinatus est, præfuitq; huic monasterio strenuè annis 12. Ordinari autem ab episcopo Spirēsi noluit, quoniam contra summum pontificem Friderico Imperatori dudum excommunicato adhæsit. Iste Conradus (ut diximus) ex nobili Sueuorum prosapia ortus, filius comitis generosi de Kilberg, & Hermannii comitis frater extitit, qui ab iuuentute sua ætate ad discēdum literas positus, non mediocriter in omni scientia tam diuina quàm humana profecit. Euadens tandem in uirum perfectum, cum diuitijs et honoribus, cum nobilitate generis gloriofus et insignis haberetur, omnia ueluti stercora pro Dei amore contemnens, ad præsens cœnobium se cõtulit, & monachus factus, in omni religione & sanctitate conuersatus fuit. Quanto enim altior & nobilior fuit genere, tanto humiliorē se in omnibus exhibuit in cõuersatione. Neminem unquam contristauit, neminem iniuriose offendit, sed in medio fratrum sine querela uixit, sine offensione incessit. Erat mitis ingenio, & promptus ad obediendum, ita ut similem in conuentu non haberet. Humilitate nanque, obediētia, patientia, & morum honestate, cunctos superauit, & tam corporis quàm mentis continentia singularis castimoniam fuit. Niger erat facie, statura mediocris, incessu grauis, habitu despiciabilis, sed uirtute animi excellens & gratiofus. Ordinatus autem abbas, se formam gregis uerbo & exēplo in omnibus exhibere studuit, humilitatis suæ pristinum modum tam modestè temperans, ut bonis atque beneuolis conuersatione uideretur socius, duris autem & inobedientibus per censuram iustitiæ reuerendus. In omni uita sua castissimè semper conuersatus

*Conradus.*

*Genus Conradi  
abbatis et origo.*

*Ex comite fit mo  
nachus.*

*Deuota Conradi  
abbatis cõuersa  
tio.*

*Dispositio corpo  
ris Conradi abba  
tis.*

*In agendis fuit  
prudentissimus.*

uerfatus est, curam animę maiorem adhibendo quàm corpori. Fuit ingenio mitis, subtilis & placidus, consilio cautus, promptus ac circumspēctus, sermone succinctus, disertus & ordinatus. In disponendis rebus temporalibus magna sagacitate & prudētia uiguit, & subditis suis tam mentis quàm corporis necessaria, secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti copiose ministravit. In mensa corā fratribus & hospitibus satis largus & dapsilis erat, omnesq; aduentantes in Christo cum omni charitate suscipiens, iuxta mandatum regulę largiter tractauit. Charus erat omnibus, & in maxima reuerentia ac honore subditorum habebatur.

*S. Hiltrudis monialis obiit.*

Anno Conradi abbatis primo, qui fuit dominicę natiuitatis 1177. apud Bingos, in monasterio sancti Ruperti, 15. calendas Decembris obiit sancta Hiltrudis uirgo monialis nostri ordinis, filia Meginhardi comitis de Spanheim, & soror domini Craftonis secundi abbatis monasterij mei Spanheimensis: cui B. Hildegardis magistra eius, testimonium sanctitatis & in uita & post obitum perhibuisse dicitur.

*Cœnobium S. Iacobi restauratur*

Anno Conradi abbatis 11. monasterium sancti Iacobi in monte Specioso prope Moguntiam, ante nouem annos propter necem Arnoldi archiepiscopi Moguntini destructū, reedificari cœptum est, permissione Friderici Imperatoris primi, & auxilio Christiani archiepiscopi.

*Godfridus fit episcopus Heribipolensis.*

Eodem anno obiit Reinhardus archiepiscopus Heribipolensis, cui Godfridus successit, & præfuit annis 6. mensibus octo, diebus 24. Iste Godfridus episcopus maiorem ecclesiam Heribipolensem in honorem sancti Chilianii martyris dedicauit, & ecclesiam suam satis utiliter ac strenuè rexit.

*S. Hildegardis moritur.*

Anno Conradi abbatis huius cœnobij 4. qui fuit dominicę natiuitatis 1180. 15. calēdas Octobris obiit sancta Hildegardis monialis, nostri ordinis fundatrix, & magistra cœnobij S. Ruperti iuxta Bingē Moguntinę diocesis, de qua supra dictum est, anno etatis suę 82. sepulta in medio chori monasterij sui ante maius altare, quę multis & in uita & post mortem miraculis claruit. Hęc sanctissima uirgo diuinis reuelationibus à iuuentute sua uisitari meruit, & multa ad utilitatem posteritatis diuina iussione conscripsit.

*Adelgerus.*

Sequenti anno 6. nonas Iulij, obiit Adelgerus tertius abbas monasterij mei Spanheimensis uir bonus atq; doctissimus, qui obseruantiam regularis disciplinae multū & auxit & manu tenuit: de quo in Chronica eiusdem monasterij mei, latiore mentionem. Huic in abbacia successit Baldemarus abbas quartus, & præfuit annis 17. mensibus 11. diebus 17. uir satis bonus, & amator pietatis.

*Alexāder papa.*

Eodem anno obiit Alexander papa tertius, cui successit Lucius tertius, qui sedit annis 4. & mensibus 2. natione uerò Tuscus.

Eodem quoque anno Baldeuinus rex Hierosolymitanus, Ægyptiorum regem Saladinum, non longē ab Ascalona superauit, & in fugam uertit.

*Christianus archiepiscopus Moguntinus obiit.*

Anno Conradi abbatis 6. Fridericus Imperator Italiam cum magno exercitu ingreditur, & multa contra papam & Romanam ecclesiam mala ferro igneq; patrauit. Sequenti anno, qui fuit Conradi abbatis 7. obiit Christianus archiepiscopus Moguntinus: & Conradus, quem Imperator dudum expulerat propter obedientiam sedis Apostolicę, ad sedem suam Moguntinam reuersus, præfuit annis 17. retinuitq; titulum episcopatus Sabinēsis, quem sibi papa contulerat à Moguntia expulso, cum archiepiscopatu Moguntinensi.

Anno Conradi abbatis 9 qui fuit dominicę natiuitatis 1185. obiit Godfridus episcopus Heribipolensis, in peregrinatione constitutus ultramarina ad sea

ad sepulchrum domini nostri Iesu Christi, & in Antiochia sepelitur: cui successit Henricus tertius, annis 12.

Eodem anno mortuus est Lucius papa tertius, natione Tuscus, cui Urbanus tertius natione Longobardus succedens, præfuit annis duntaxat 2. *Lucius papa obiit.* Fridericus Imperator omnes Hetruriæ ciuitates, præter Pistorium, agraria priuat ditione, & multa in Italia aduersus rebelles imperij peragit.

Anno Cōradi abbatis 10, obiit Godfridus ex comite Palatino monachus huius cœnobij Hirsaugiensis, uir quondam in seculo strenuus & illustris, in religione autem feruens & deuotus, qui non parua huic monasterio donaria secum attulit, & post multa bona opera in Domino quieuit 8. iduum Februuar. sepultus non sine opinione sanctitatis in medio fratrum suorum. *Godfridus rex comite Palatino monachus obiit.*

Anno sequenti, qui fuit Cōradi abbatis 11, obiit Urbanus papa 3. cui successit Gregorius 8. natione Beneuentanus, mensibus tantum duobus: quo mortuo successit Clemēs tertius, natione Romanus, annis tribus, mensibus quinque, diebus 16. qui cum Imperatore concordauit. *Urbanus. Gregorius.*

Anno Conradi abbatis 12, & ultimo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1188. 12. cal. Maij obiit in monasterio Schonaugiēsi Cisterciēsis, ordinis, Vormatiensis diœcesis, non lōgè ab Heidelbergā, deuota Christi uirgo Hildegundis nomine, quæ simulato sexu masculinum se fingens, inter monachos ibidē nouiciatus habitum susceperat, ac mutato nomine se Iosephū appellauit, et usq; ad mortē incognita permanit. Huius uitam Cæsarius monachus Hesterbacēsis, in prima Dialogorum suorum distinctione satis diffuse conscripsit. Eodem anno Fridericus Imperator Romanorum, & Philippus rex Francorum, unā cum Richardo Anglorū rege, & Clemente summo pontifice, in subsidium & recuperationem terræ sanctæ magnum exercitum nauigio præmiserunt: quem Saladinus Ægyptiorū rex, anno priore, propter discordiam nostrorum magna ex parte suo subiugarat imperio. *S. Hildegundis in Schonauu obiit.*

Eodem quoq; anno Conradus abbas huius monasterij Hirsaug pro quibusdam causis & negotijs ad cellam S. Gregorij in Richenbach perrexit, quò cum peruenisset, crebris febriū ardoribus pulsari cœpit, & lecto decumbens aliquandū ægrotauit. Morbo autem diutim crescente, se totū ad Dominū intentissimā mente conuertit, & præmissa humili confessione, sumptis cum ingenti deuotione sacramentis ecclesiasticis, tandem quinta diē mēsis Septembris beato fine in Domino quieuit, Cuius corpus per fratres ad Hirsaugiā relatū, in maiori cœnobio ad introitū ecclesiæ ante altare omnium sanctorum cum reuerentia & honore sepultum est, non sine lachrymis subditorum suorū. Eodem quoq; anno obiit Vdalricus 41. episcopus Spirēsis, qui annis præfuerat 8. cui successit Otto episcopus 42. annis 11. *Conradus obiit.*

DE HENRICO, HUIVS MONASTERII ABBATE XX.

qui præfuit annis 8. & de moribus eius ac quibusdam gestis illius temporis.

Conrado reuerēdissimo abbate (sicut diximus) mortuo atq; sepulto, celebratisq; more Christiano exequijs cum solēnitare consueta, prior & fratres diē ad electionem statuta conuenientes ad locum capitularē, post inuocationē spiritus sancti, unanimi cōsensu in abbatē huius monasterij 20. elegerūt Henricū monachū conuentualem, qui cantoris eo tempore gessit officium. Electus autem diū reluctatus est, donec tandem fratrum precibus uictus consensum præbuit electioni, & præfuit annis octo. Hic oriundus ex Francia orientali honestis parentibus natus, in iuuetute ad literas positus non parum temporis successū discendo profecit, & tam in philosophia di-

*Henricus fit abbas  
Genus & uita  
Henrici abbatis.*

uina, quàm in humana, longo exercitio doctus & eruditus erasit. Diuina post hæc inspiratione actus, animo uanitatem huius mundi ac uitæ presentis breuitatem reuoluere cœpit: ac post maturam deliberationē præhabitā, ad Hirsaugiā ueniens, monasticum habitū & mores induendo suscepit. Factus autem monachus, inter fratres sine querela uiuebat, primus semper & ultimus in diuino seruitio, cui se totū mancipauit. Postea cū studiosus uideretur circa obsequia diuina, essetq; Musicæ non ignarus, cātoris suscepit officiū, quod per annos aliquot tam studiose & alacriter adimpleuit, ut cunctis cederet in exemplū & admirationē. Laboribus quoq; manū iuxta regulā S. patris nostri Benedicti, cum maxima diligētia solebat esse intētus, uineas plantādo, colēdoq; hortulos, & diuersi generis arbores inferēdo. Suo etiā studio & labore multū exornauit ecclesiā, & singula altaria oleo cum lā padibus deceter illustrauit. Cumq; in omni uirtute & religione per amplius de die in diem proficeret, omnibusq; fratribus charus & dilectus esset, cœpit se fama nominis eius etiā ad extraneos diffundere, & cum laude duplici mirum in modū ampliare. Cōtiguit interea mori abbatē in Bruuiler, in cuius locum ipse per fratres eiusdē monasterij electus est abbas, & cum multo honore ac reuerētia susceptus. Ordinatus autē abbas in Bruuiler, omni studio curauit monachos ad obseruationē regularis disciplinæ instituere, & uicia cūcta monachorū sub certā cēlura districtius prohibere. Verūm paupertate loci ac fratrum importunitate nimia tædio affectus, cū se proficere minus posse cōspiceret, pœnituit eum tam arduū pastoralis curæ onus suscepisse. Post longā ergo maturāq; deliberationē, statuit susceptā abbatiam deserere, & ad Hirsaugiā unde uenerat redire. Reliquauit itaq; tunc pastoralis curæ officium. Ad monasteriū unde uenerat reuersus, denuo cantor est ordinatus, in eadem perseuerās humilitate post abbatiam, in qua antea fuerat cōuersatus. Post hæc mortuo uenerabili abbate Cōrado (sicut diximus) in locum eius successus præfuit huic monasterio Hirsaugiensi annis 8. uir bonus & ingenio mitis, qui in principio suæ promotionis per annos aliquot satis modestē & regulariter tam suam quàm subditorū suorū uitam instituit, & se in utroq; statu pastore utilem exhibere in omnibus curauit. Sed temporis successu, curis & sollicitudinibus rerum seculariū nimium depressus, animū à rigore sanctæ obseruationis reflexit, factusq; in custodia monasticæ disciplinæ remissior, sancti in se & in subditis feruorē præpositi laxauit. Vnde annis 8. in abbatia exactis, ad memoriā reduxit uitæ transactæ negligētias, metuensq; diuinæ ultionis uindictam, se dignitati abbatali (ut suo loco dicemus) abdicauit, & præposituram in Rhote pro uitæ sustentatione accepit. Erat autem uir quantū ad corporis dispositionē attinet, mediocris staturæ, corpore tenuis, uiribus gracilis, & non multū fortis, raros habens in capite pilos, incessu grauis, sermone aliquantulū diffusus. In cōuersatione sua multum fuit humanus, & in omnibus quadā societate affabilis, qui & citò mouebatur ad iram, poteratq; cita satisfactio placari. Eius tēpore, sanctæ religionis obseruātia non parū in presenti monasterio defecerat, cū ipse totū se curis temporalium immergeret, & non quantū oportuerat de spiritali profectu subditorum suorum sollicitus uideretur. Anno Henrici abbatis 1. qui fuit dominicæ natiuitatis 1189. cū Fridericus Imperator Roman. in terra sancta positus Syriam teneret, & quæ Christianis contra infideles uidebantur necessaria pararet, dum in quodam flumine lauaretur, clausis uitæ meatibus suffocatus est, & uitam uniuersæ carnis miserabiliter ingressus. Quo mortuo, principes filium eius Henricū huius nominis sextū, in regem Ro-

*Cantoris suscepit officium.*

*Laboriosus in omnibus fuit.*

*Resignauit abbatiam suam.*

*Fuit abbas in Hirsaug.*

*Corporis eius descriptio.*

*Fridericus Imperator obiit.*

gem Romanorum assumpserunt, quem Philippus archiepiscopus Colonienſis Aquigrani ex more coronauit, regnauitq; post patrē annis 10. cum quo uiuente annis fermē duobus & uiginti regnauerat. Vxorem duxit Constantiam, Vuilhelmi regis Apuliæ filiam, consilio & dispensatione Clementis papę 3. quia monialis fuerat multis annis, & unica præfati regis filia, cum qua regnum Apuliæ Sicilięq; obtinuit, papa fauorem & auxilium impendente: quæ etsi annorū esset quinquaginta, ei tamen filium peperit nomine Fridericum, postea Imperatorem secūdum, de quo suo loco dicemus.

Anno Henrici abbatis 2. Ida comitissa de Spāheim, monialis facta est ordinis nostri in cœnobio mōtis S. Rupertī apud Bingē, in quo deinceps omnibus diebus uitæ suæ religiosissimē cōuersata est, in orationibus ac meditationibus diuinarum scripturarum continua humilitate & obedientia nulli secunda. Eius soror fuit Margaretha uirgo sanctissimæ conuersationis, quę priorissæ officium multis annis in eodem monasterio strenuē gessit, & miraculis clara tandem migravit ad Dominum, cuius dies commemorationis festus, 4. calend. Nouemb. quando transiuit euita, peragitur.

Anno Henrici abbatis 4. in uigilia S. Iohānis Baptistæ fuit magna & generalis in his terris obscuratio solis, & subsequuta est fames in terra, & agrorum uinearūq; non parua sterilitas. Eodem anno obiit Philippus archiepiscopus Colonienſis, apud Imperatorē cōstitutus in Apulia: cui Bruno tertius maioris ecclesiæ præpositus succedēs, præfuit annis 3, & postea factus est monachus. Hoc ipso quoq; anno Philippus Rex Francorū & Richardus Anglorū inclytus rex, coniuncto exercitu in Syria contra Saladinū prospere primò bellū gerūt. Sed mox discordia inter ipsos diabolo instigāte oborta, Philippus in Gallia est reuersus. Richardus autem inchoatū bellū hoc ipso anno strenuē prosequitur, sed anno sequēti & ipse quoq; domū reuersus est, non sine detrimento Christianorū, quos in terra sancta expositos multis periculis post se reliquit. Eodem quoq; anno obiit Clemēs papa 3. cui Celestinus tertius succedens præfuit annis 6. mēſibus 8. qui 6. cal. Maij sua pontificali coronatione in paschali solēnitāte celebrata, postridie Henricū 6. regem Romę in Imperatorē Romanorū coronauit. His tēporibus ordo Teuthonicorū in terra sancta incepit per quosdā ciues Bremēses & Lubecēses, qui cū Adolpho comite de Holstein sub Friderico Imperatore primò mare transfretantes, pauperos & infirmos peregrinos pro Dei amore in curam suscipientes, quantū eis licuit sub papilionibus nutriendo fouerūt, primam in Accaron huius propositi domum & ecclesiam construētes, quam domū fratrum Teuthonicorum appellantes, nomen ordinī tradiderunt. Huius ordinis est, seruire peregrinis & infirmitatibus. Circa idem quoq; tēpus cœpit ordo S. Trinitatis de redemptione captiuorū, cuius potiora cœnobia sunt in Francia constituta. Huius ordinis est pro redēptione Christianorum, qui apud infideles in terra sancta detinentur captiui, substantiam suam hilariter impendere, ac eis totis uiribus ministrando subuenire. Anno Henrici abbatis huius cœnobij Hirſaug. 4. grauis exorta dissensio propter insolentiā familiarū suorum, qui pacem fratrum nimia importunitate turbabant. Cū autem fratres abbatem sæpe rogassent, ut prauos & inquietos de monasterio seruos efferet, aut certē corripere, & nihil proficerēt, minus offensi animo quidā iuniorū, auxilia exterorū & amicorū inuocantes, quosdā ex familia ipsius abbatis de monasterio uolenter eiecerūt. In quo tumultu unus familiarū abbatis Adelbertus grauiter uulneratus fuit, qui & post dies 8. ex eodem uulnere obiit. Vnde factum est grande inter pastorem & oues dissidi-

Comitissa sancta monialis.

S. Margaretha monialis.

Eclipsis solis.

Philippus.

Expeditio contra Saracenos.

Clemens papa.

Ordo Teuthonicorum cœpit.

Dissensio inter abbatē et fratres

Famuli unius interfectio.

dium, non sine periculo animarum, donec Otto Spirensis ecclesiæ antistes, uices suas cum amicorum consilio interposuit, & concordiam reformauit.

*Visio cuiusdam monachi.*

*Albertus Magnus in Sueuia nascitur.*

*Bruno.*

Anno Henrici abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1193. Rupertus prior monasterij mei Spanheimensis quartus, mirabilem uisionē gaudiorū atq; pœnarum futuræ uitæ conspexit, quam cum minus consulte reuelasset in publicum, mox paralyti grauer perculsus, quasi ad anni spaciū pœnas dedit. Eodem anno natus est Albertus, Magnus postea cognominatus, in uico Sueuiæ, cui Langingen nomen est. Solis quoq; defectio facta est.

Anno sequenti, qui fuit Henrici abbatis 6. Bruno archiepiscopus Coloniensis resignato pontificatu suo in manus Henrici Imperatoris sexti, monachus Cisterciensis ordinis factus est, in cœnobio montis antiqui: cui in archiepiscopatu successit frater eius nomine Adolphus de Altenaë, maioris ecclesiæ canonicus, & præfuit annis 12.

*Imperator Henricus Siciliam obtinuit.*

*Cœnobium monachialium Nauenburg.*

Anno Henrici abbatis 7. dominicæ natiuitatis 1195. Henricus Imperator Rom. sextus, potenti manu obtinuit Siciliam, captumq; Tancredum regni inuaforem, erutis oculis, cum quatuor principibus in Teuthoniam misit, & omne regnum Apulię sibi subiecit. Eodem anno Conradus comes Palatinus Rheni, qui Heidelbergæ morabatur, præpositurā cœnobij ordinis nostri prope oppidum ipsum Heidelberg, quę Nuenburg appellatur, in diocesi Vuormatiensi, in monasterium sanctimonialium eiusdem ordinis nostri commutauit de cōsensu Sighardi abbatis Laurissensis, ad quem præpositura ipsa pleno iure & sine medio pertinebat. Vbi prima abbatissa per eum fuit instituta Cunegundis, uirgo multum deuota & religiosa.

*Henricus abbas eura fatigatus.*

Anno sequenti, qui fuit dominicæ natiuitatis 1196. Cum Hēricus abbas huius cœnobij Hirsaug. uitæ transactæ negligentias & malè commissa ad memoriam reuocaret, & diuinæ ultionis uindictā pauidus cogitaret. tunc dolore cordis intrinsecus, de resignatione abbatiaē cœpit cum quibusdā amicis habere tractatū. Verum etli omnes uno cōstantiā proposito uoluntati eius cōtradicerent, qui se familiares nouerant & amicos, tamē à sententia illum non potuerūt auertere, quo minus cogitationē quam mente cōcepit, opere perficeret. Duabus enim causis ad resignandū abbatiaē potissimū mouebatur: altera, quod se multas in ea dignitate negligētias occasione rerum temporalium cōmisisse non ignoraret: pro quibus, nisi amputata occasione satisfacere quēadmodū cupiebat, minimè posset. Altera uerò, quod stare cum pace & trāquillitate fratrum non posset, propter multas & uarias causas & displicentiā, quas melius est silentio abscondere, quàm ad notitiā infirmorum propalare. Deniq; senio & infirmitate corporali exhaustus multū defecit, nec intēdere rebus monasterij, sicut oportuerat, iā utiliter amplius potuit.

*Causæ mouentes ad resignandum.*

*Henricus abbatiam resignat.*

Itaq; corde cōpunctus & dolēs ac pœnitēs de negligētis præteritis, ut animā saluaret suam, anno regiminis sui octauo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1196. indiēt. 14. in mense decemb. abbatiaē suā in manus cōuentus sui spōte ac liberē corā omnibus resignauit. Resignatione autē facta, præpositurā in Rothe, pro uitę sustentatione à fratribus accepit, ubi per sex fermē mēses in mœrore spiritus & lachrymis cōtinuis superuiuēs, tandē sequēti anno 4. nonas Iunij in Domino quieuit, cuius corpusculū iuxta corpus Ruperti quōdā hīc in eodē cœnobiolo in ipso introitu ecclesiæ cū reuerētia sepultū est.

*H. post annum obiit in Rothe.*

DE MARQUARDO, HUIUS MONASTERII ABBATE

21. qui præfuit annis 8. mensibus 6. diebus 21. & gestis illius temporis.

POST resignationem igitur domini Henrici abbatis, huius monasterij Hirsaugiensis uicelimi, quæ facta est anno dominicæ natiuitatis 1196. indiētione



Indictione 14. ultima die mensis Iunii, hoc est in festo commemorationis S. Pauli apostoli, eodem die fratres inuocata gratia spiritus sancti ad electionem noui pastoris procedentes, post multa consilia unanimiter tandem in abbatem huius cœnobij primum & uigesimum elegerunt. Marquardum monachum conuentualem uenerabilē & prudentissimum uirum, qui confirmatus & ex more benedictus, præfuit huic monasterio strenuē annis 8. mensibus 6. diebus 21. uir magnarum actionum & multarum uirtutū, qui iura monasterij contra tyrannorum incurfus prudenter & fortiter defendit sine timore resistendo. Hic oriundus fuit ex Sueuia nobilissimis patribus procreatus, ex comitibus de monte Solis originem ducens, qui ad literas in iuuentute positus cum ætate discendo profecit, & in omni scriptura tã diuina quàm humana satis doctus euasit. Ab adolescētia sua edoctus uia Domini in timore, cùm ad annos discretionis peruenisset, mundū, parētes, fratres, cognatos, ampliꝫ patrimonij splendorem, simul & nobilitatem generis pro Dei amore contēnens, in præsentī cœnobio Hirsaugiensi sub Cōrado abbate auunculo suo monachus factus est. Qui cognita institutione monastica secundum regulā sanctissimi patris nostri Benedicti, mores suos omnino componere studuit, & sine querela inter fratres etiã infimi generis conuersatus, humilitatis exemplum omnibus ostendit. Ordinatus autem abbas omni studio curauit se dignum ouibus suis exhibere pastorem, & non minus exemplo docere quàm uerbo. Quantum uerò ad dispositionem corporis attinet, fuit homo robustus & fortis, statura pulchrè proportionatus, medio critatem longitudine aliquantulū excedēs, capite sano nec paruo, & multis in circuitu capillis ad nigredinem tendētibus circumfusus, uocē habebat sonorā atq; tubalem, qua uel sola reprobos in terrorē mittere solebat. In dicendo satis erat disertus, siue Latine, siue Teuthonice sermo esset habēdus. Mitissimo fuit ingenio, & qui non facile moueretur ad irā: iratus autem ratione, non citò rem duceret in obliuionem. In omnibus largus, tantæ fuit beneuolentiæ in subditos, in amicos, fidei, charitatis ac dilectionis, ut similit̃ suo tempore alterū non haberet. Nihilominus maculis quibusdam negligētia ac tepitudinis notatus est, in his, quæ ad regularis disciplinæ omnimodā pertinere custodiã uidebātur: propterea uel maximè, quòd multas & cōtinuas in re familiarī occupationes, labores & curas habuit, ac persecutiones, iniurias & tribulationes innumeras tã ab aduocato monasterij comite Adelberto, quàm à diuersis alijs, quibus resistere oportebat, necessariò in principio suæ promotionis sustinuit. Nam præfatus comes Adelbertus huius monasterij aduocatus, sui officij rationē oblitus, familiã & seruos monasterij contra libertatē & priuilegiū à summis pontificibus & Imperatoribus olim cōcessum, grauare, uexare & perturbare cœpit. In tantū enim cœnobij iura & libertates quę defendere debuerat, uiolare ac infringere instigāte diabolo satagebat, ut camerariū monasterij quadā die ante portam caperet, manibusꝫ post tergū ligatis captiuum innocentem & reclamante abbate abduceret uiolenter, ac in ipsum abbatem pro camerario stantē impetum faceret. Vnde necessitate compulsus abbas primò in propria persona Romam perrexit, ac deinde per nuncios semel atq; iterum aduocati uiolentiam examini sacrosanctæ apostolicæ sedis exposuit, consilium & auxilium summi pontificis contra tyrannidem comitis petiuit & obtinuit. Renouato nanque priuilegio libertatis, & de iure aduocati limitato facta declaratione, ipsum comitem autoritate apostolica compefcuit, ac contra cum & emulos uniuersos gloriose triumphauit. Verùm interea quo ipse

Marquardus.

Conuersatio & mores uitæ eius. Dispositio & statura corporis eius.

Homo fuit optimus & humanus.

Aduocatus tyrannus quidam.

Abbas Marquardus Romã proficiscitur.

Dominus Marquardus abbas in itinere fuit ad Rom. curiam, saepe dictus comes Adelbertus quosdam de monasterio fratres expulit, & plura mala fecit, maiora se facturum comminatus fuit. Sed pro his & alijs contumelijs, iniurijs & damnis satisfacere abbati & monasterio, autoritate mandati Apostolici cōpulsus fuit. His ergo alijsq̄ diuersis & uarijs aduersitatibus multipliciter in suo regimine tribulatus, & animo nimirum distractus, non ita potuit intendere disciplinae claustrali, quantum scimus decuisse.

*Aduocatus satisfacere abbati compellitur.*

*Henricus episcopus Herbipolēsis obiit.*

Anno Marquardi abbatis 1. qui fuit dominicæ natiuitatis 1197. obiit Hēricus Herbipolēsis, cui Godfridus de Hoenloë succedens, præfuit mensibus duntaxat quatuor & diebus nouem, uir bonus ciuium, & clerici amator & defensor pijsissimus.

*Henricus olim hic abbas moritur.*

Eodem anno 4. nonas Iunij, obiit Henricus præpositus in Rothe, quondam huius cœnobij abbas, ibidem sepultus iuxta ossa domini Ruperti abbas, qui uix ad unius anni spacium post suam resignationem superuixit, sex menses hęc, & in Rothe totidem.

*Godfridus.*

Anno Marquardi abbatis 2. qui dominicæ natiuitatis 1198. obiit Godfridus episcopus Herbipolēsis, patriæ decus & pater, nimis immatura morte præreptus. Huic Conradus, regius cancellarius successit, & præfuit annis 4. mensibus 11. uir bonus & integer, quem domicelli de Rauerzburg postea occiderunt.

*Henricus Imperator.*

Eodem anno Henricus Imperator Romanorum subsidiarium Christianis mittit exercitum in Syriam, uerum Henrico sequenti anno mortuo. exercitus quem miserat de Syria reuertitur. Quapropter Christiani qui in Syria remanserant, auxilio destituti, id reliquum dominij, quod in ea prouincia possidebant, mox penitus amiserunt.

*Henricus Imperator obiit.*

Anno sequenti, 10. calendas Maij, obiit Henricus Imperator Rom. sextus, & in ecclesia Spirensi cum maioribus suis est sepultus. Liberos enim habuit, & magna in Imperio discordia post eius mortem subsecuta fuit: propterea quod principes antea promiserant Henrico Imperatori præfato uiuenti, quod filium eius in regem Siciliae Fridericum, essent in regem Romanorum electuri. Sed non seruauerunt promissum: illo enim in ciuitate Paenormitana (sicut diximus) defuncto. Nam Adolphus archiepiscopus Coloniensis, & Theodoricus archiepiscopus Treuerensis, electionem regis sui iuris firmantes, habito consilio apud Andernacum cum Bernardo duce, & alijs episcopis comitibus, atq̄ nobilibus pluribus curiam omnibus principibus ad dominicam Oculi mei, in Colonia generalem indicunt, pro noui regis electione celebranda. Interea marchiones orientales, Conradus archiepiscopus Moguntinus, Bernardus dux Saxoniae, archiepiscopus Magdeburgensis, & alij principes superiores apud Erphordiam conuenientes, Philippum ducem Sueuiæ in regem Rom. elegerunt, fratrem uidelicet Henrici Imperatoris defuncti. Statuto igitur die, præfati principes ad Coloniam conuenientes, Bertolfum ducem de Zeringen, quem se promiserant electuros, magno præstolabatur desyderio uenturum, qui cum 11000. marcarum argenti cum ducatu Sueuiæ à Philippo accepisset, electioni q̄ renunciaffet, uenire cōtempfit. Quod cum prædictis innotuisset principibus nimium indignati, Ottonem Pictauię comitem, filium quondam Henrici ducis Saxoniae, in regem Rom. contra Philippum elegerunt, & multiplicata sunt mala in terra, bella, incendia, destructiones urbium, & pauperum neces. Audiens autem Philippus electionem Ottonis, trecentos milites armatos cum multis alijs scutiferis ad Aquisgranum præmisit, quatenus Ottonem ab ingressu sui ciui-

*Dissensio principum grauissima.*

*Philippus dux Sueuiæ ab una parte eligitur.*

*Otto Sueuiæ dux ab altera parte eligitur.*

su ciuitatis arcerent, & sibi urbem ac sedem regni seruarent. Sed Otto cum suis adiutoribus ciuitatē ipsam tempore messis obsidione cingens, uiolenter capiēns obtinuit, atq; in sede regni triduo sedens inde recessit, committens eam suis fidelibus custodiendam. Interim Philippus adunato exercitu intrauit Alsatiam, & quia prope messem erat, omne frumentum in agris repperit annihilaui. Multa itaq; inter ipsum Philippum & Ottonem bella fuerunt per annos ferme octo, quibus Philippus uixit in regno, donec tandem eo mortuo pax terris aliquantulum reddita fuit, quemadmodum suo loco dicemus.

*Ciuitas Aquen, ab Ottone capitur.*

Anno etiam prænotato obiit Celestinus papa tertius, cui successit Innocentius tertius, natione Campanus, & præfuit annis 18. Hic quia Philippum regem propter patrem & fratrem, qui contra Rom. ecclesiam multa commiserant, exosum habebat, partes Ottonis tenebat, ipsumq; (ut postea dicemus) Imperatorem coronauit.

*Celestinus.*

Eodem quoq; anno 10. calendas Iulij, obiit Baldemarus abbas monasterij mei Spanheimensis quartus, cui successit Rupertus abbas quintus, & præfuit annis 14. mensibus 2. qui fuit homo tam in diuinis quam in secularibus literis multum eruditus, & non minus uita quam scientia uenerandus.

*Baldemar.*

Eodem anno commissum est prælium inter regem Philippum & eius aduersarium Ottonem, non longè à Confluentia iuxta Mosellam, sed nihil memoria dignum fuit actum, præter pauperum rapinam & desolationem prouinciæ omnium in circuitu.

*Bellū inter duos reges.*

Eodem anno obiit Otto episcopus Spirensis, cui Conradus de Scharffenneck succedens præfuit annis 25. qui fuerat antea imperialis aulae cancellarius, homo prudens, & in multis rerum uarietatibus longo tempore satis expertus, qui bene suam gubernauit ecclesiam, augendo redditus, & diruta restaurando. Sunt qui scribant eum Metensis ecclesie prius fuisse pontificem.

*Otto.*

Anno quoq; prænotato Marquardi abbatis 3. dominicæ autem natiuitatis 1199. rex Philippus Argentinam obsedit, Rubiacum & multa præsidia episcopi Argentinensis & Adelberti comitis de Dagesburg confringens solo æquauit. Tandem mediantibus domino Bertholdo duce de Zeringen, & alijs principibus, concordia inter eos facta est, ita quod episcopus relictis partibus Ottonis, Philippo ad retinenda gubernacula regni, fauorem pro posse impenderet atq; suffragium. Hoc idem comes de Dagesburg se facturum promisit. Hoc anno in assumptione beatæ Mariæ semper uirginis Rex Philippus magnam curiam principum suorum habuit apud Moguntiam, Conrado eius loci archiepiscopo adhuc in terra sancta cum alijs principibus existente. Ibi archiepiscopus Taretanus loco præfati archiepiscopi Philippum unxit in regem. In eodem conuentu Philippus rex, ut Bohemos sibi faceret obnoxios, Odacharum ducem eorum tunc præsentem creauit in regem, datis ei & uxori coronis. Ipso tempore Constantia imperatrix in Sicilia moritur, & filius eius Fridericus post multos labores regnum Apuliæ tandem obtinuit, atq; Sicilia.

*Argentina per Philippum obsidetur.*

*Curia Philippi apud Moguntiam.*

*Dux Bohemie creatur in regem*

Eodem anno circa initium Octobris Philippus rex unā cum nouo rege Bohemorum, fluuio Mosellæ transito in manu ualida & exercitu copioso, fines Colonienſium contra Ottonem inuasit, Reguuagium, Bonnā cum multis circumiacentibus uillis incendio cremauit.

*Philippus fines Colonienſium inurat.*

Eodem tempore Lotharingi, quos in adiutorium sui Otto uocauerat, circa Andernacū cum Philippo regi non ualentes resistere, pelliq; sue timentes, partes eius occultè fouebant, multa & inaudita scelera in regione illa

perpetrantes, è quibus unum posuisse satis sit, ex quo cætera quæ commiserunt nefanda, pensulari queant. Sanctimoniale[m] quandam omnibus indumentis spoliatam melle perungentes in plumis lectualibus uolubant, sicq[ue] mostruose hirsutam caballo imposuerunt, uersa eius facie ad caudam caballi. Cumq[ue] hoc ridiculosum, imò miserabile spectaculum, per aliquot dies circumduxissent, res Philippo regi innotuit, qui zelo Dei succensus, omnes sceleris huius reos aquæ bullienti tradidit iussit. Andernacense quoq[ue] oppidum exustum est per exercitum eiusdem regis Philippi. Postea reuersus ad sua est. Interea rex Otto cum suo exercitu intrauit Saxoniam, & Goslariam cum cæteris adiacentibus oppidis expugnare cœpit. Sed Philippo rege superueniente, à proposito suo cessare ac retrocedere coactus est. Henricus Palatinus comes Rheni, frater ipsius Ottonis regis, & Landgrauus Hasiæ ac dux Brabantia, cum archiepiscopo Moguntinensi Conrado, de transmarinis partibus reuertuntur, rebus nostrorum ibidem in malis terminis relictis. Verùm præfatus archiepiscopus audiens inter Philippum & Ottonem de regno discordiam, in Italia statuit aliquandiu moram facere, quousque quid sibi esset faciendum in tam graui turbationis reipublicæ negotio deliberaret. Hoc tempore graues discordiæ fuerunt subortæ inter Vuormaciensem episcopum cum sibi adhaerentibus & Vuernerū de Bolant, comitemq[ue] de Lymingen ac sequaces eorum, qui ecclesijs ac monasterijs ciuitatibusq[ue] & uillis adiacentibus multa mala fecerunt. Inter Landgrauum quoq[ue] Hasiæ & Cunonem de Minceberg, eodem tempore grauisimæ dissensiones fuerunt, qui sibi mutuò damna multa inferentes, nihil intactū usque reliquerunt. Otto rex filiam ducis Brabantia desponsauit uxorem. In ætate cum exercitu ascendens, contra Philippum auxilio Coloniensis archiepiscopi & præfati ducis foceris sui, partem Cõfluentia, & in circuitu uillulas exurens, Bopardiam accessit: ubi cum principes ac nobiles quidam illarum partium, qui illum aduocauerant, promittentes se in eius partes cesuros, non uenirent, uidens se delusum & exercitui deficere uictualia, cum suis ad sua reuersus est.

Anno Marquardi abbatis huius cœnobij Hirsaugiensis 4. dominicæ autem natiuitatis 1200. Conradus archiepiscopus Moguntinus reuertens ab Ungaria, quo præcedente anno ad reformandam inter duos fratres contententes de regno pacem, perrexerat, concordia facta in partibus Austria in territorio Patauiensi, carne solutus ad Dominum pro meritis migrauit. Cuius corpus Vuolfherus Patauiensis episcopus, celebratis exequijs ad Moguntiam retulit, ubi cum magno honore sepultum fuit. Interea grauis tumultus oboritur in Moguntia propter electionem noui pontificis. Quidam enim ex uoluntate ac fauore Philippi regis Lupoldum episcopum Vuormaciensem in archiepiscopum eligere statuerunt, alij quibus mens sanior erat Siphridum maioris ecclesiæ Moguntinae præpositum, eligendum consenserunt. Qui ciuitatem exeuntes, propter metum regis Philippi uenerunt ad Bingen, & ibi quam destinauerant de Siphrido electionem, consummarunt. Quod audiens Lupoldus, uenit cum exercitu ualido Philippi regis, & oppido Bingiorum capto, Siphridum cum electoribus suis inde exturbauit. Cernēs autem Siphridus & sui, quod minus proficerent, se cum suis ad regem Ottonem contulit, à quo clementer admissus, regalia ab ea suscepit, & eius autoritate fretus, cum exercitu ad diocesium suam regreditur, cingensq[ue] obsidione præfatum oppidum Bingen cepit, multisq[ue] ex parte Lupoldi captis, & ipso uix per fugam elapso. Confirmatus igitur in archiepiscopum

Nefandum scelus  
Lotharingiorum

Andernacū igne  
crematur.

Henricus comes  
Palatinus Rheni

Rudolphus.

Otto rex ascen-  
dit Bopardiam.

Conradus.

Dissensio in clero  
Moguntino.

Siphridus.

scopum Siphridus annis 25. præfuit, & ecclesiæ multa bona fecit. Hoc ipso anno multi principes, episcopi, duces, comites, nobiles & ignobiles, cum infinita multitudine cruce signati, ad terram sanctam in seruitium dominici sepulchri cōtra Sarracenos profecti sunt. Inter quos fuit Bertholdus comes de Nuuenburg in Brisgau, qui accepta pecuniā comitatum suum Argēti nensi ecclesiæ tradidit in possessionem perpetuam cum omnibus prouentibus suis, & ipse cum filio Hierosolymam profectus, in seruitio dominici sepulchri usq; ad mortem fideliter perseuerauit. Cuius prouocati exemplo multi nobiles & potentes, uenditis prædijs & possessionibus suis, cum uxoribus & liberis perpetuo seruitio sancti sepulchri se deuouerunt.

*Exercitus Christi  
fianorum ad ter-  
ram S.  
Bertholdus comes  
de Nuuenburg.*

Eodem anno moritur comes de Hoënburg apud Bisuntium, & ab incolis illius prouinciæ, propter bonam defensionē plurimum deploratur, præmissisq; exequijs missarum honorificè sepelitur. Eodem quoq; anno Lutoldus episcopus Basiliēsis, Baldeuinus comes Flādrīæ, Adelbertus comes de Spanheim, & alij multi principes cum exercitu magno, per Græciā tendentes ad terram sanctam, Constantinopolim capiunt, & Alexiū Isaacii Constantinopolitani quondam Imperatoris filium, Imperatorē faciunt: quo mox à Græcis interfecto, imperiū suscepit Baldeuinus, præfatus comes Flandriæ. Quo procurante orientalis & Romanæ ecclesiæ unio confirmatur. Imperauit autem super Græcos annis fermè septem.

*Otto comes de  
Hoënburg.*

*Constantinopolis  
à Christianis ca-  
pita.*

Eodem quoq; anno Conradus comes & Zolre & Burggrauus de Nuurenberg in præsentia Ottonis regis constitutus, castrum Rietburg, quod in feudum susceperat ab ecclesia Spirenſi, Conrado eiusdem urbis episcopo & successoribus eius liberè ac sponte in perpetuum resignauit.

*Rietburg castrum  
episcopi Spirenſis*

Anno Marquardi abbatis 5. dominicæ autem natiuitatis 1201. Philippus rex iterato exercitum colligens Mosellam transiuit, Coloniam obsedit, archiepiscopum cepit, & sic ciuitatem ac totam prouinciā in deditiōnem coëgit. Postea ueniens ad Aquisgranum cum multis principibus, unā cum regina in sede regni se collocauit.

*Philippus rex  
Coloniam obsedit*

Eodem anno Philippo rege ad superiores partes prosperè reuerso, rex Otto exercitu congregato, suorum ad superiores partes denuò conscendēs usq; ad Vuifenburg peruenit: sed progredi ulterius non potens, ad inferiores regiones terræ reuersus est.

*Otto ad Vuifenburg uenit.*

Eodem quoq; anno circa festum apostolorum Petri & Pauli ad Coloniam uenit Guido cardinalis episcopus Pnestinus, & excommunicatum denunciauit. Philippum regem ac omnes cum illō sentientes, mandans auctoritate apostolica uniuersis, quatenus Ottonem susciperent in regem, Philippum uerò desererent, sub censura excommunicationis. Ibi tunc primū Siphridus electus Moguntinus in sacerdotem & archiepiscopum ordinatus est, per manus ipsius cardinalis: & cum ipsius atq; Ottonis regis commēdatitijs literis Romam progressus ab Innocentio papa tertio accepto palio, ut moris est, confirmatur.

*Cardinalis uenit  
ad Coloniam.*

*Siphridus.*

Eodem anno Philippus rex conuentum solennem principum celebrauit in Bāberga, ubi multi pontifices, abbates, duces, comites ac nobiles conuenerunt. Ibi ossa sanctorum Henrici & Cunegundis Imperatorum leuata sunt, & multis miraculis claruerunt. Maximus ibi fuit concursus populorū, tam ex remotis quàm uicinis regionibus. His fermè temporibus cœpit ordo fratrum Prædicatorum, per institutionem S. Dominici, uiri eximie sanctitatis, qui oriundus fuit ex Hispania. Eius institutionem Innocentius papa confirmauit.

*Corpora S. Hen-  
rici & Cunegundis.*

*Ordo Prædicatorum  
instituitus.*

Anno

Otto rex conuen-  
tum Masfricht  
habuit.

Anno Marquardi abbat̄is 6. dominicæ natiuitatis 1202. Otto rex & Arnoldus Colonienſis archiepiſcopus, cum quibuſdam alijs principibus, colloquium habuerunt apud Traiectum iuxta Moſam de repub. & diuerſis negotijs regni, & inter alia pacem reformauerunt, inter ducem Brabantix & comitem Gelrix, qui magnis contractis armatorum copijs, non ſine grauiffima pauperum iniuria ſeſe ad bellandum iam parauerant.

Conradus.

Eodem anno obiit Conradus epiſcopus Argentinenſis, cui Henricus de Veringen ſucceſſit, uir bonus, religioſus & deuotus, amator pacis, & clerici defenſor integerrimus: qui anno poſt electionem ſuam quarto, uix potuit ab Innocentio papa obtinere conſenſum, quatenus à Senonenſi archiepiſcopo munus conſecrationis acciperet, quia cum Philippo rege ſentire cogebatur, quod papæ diſplicuit: qui ſemper Ottonem, propter cauſas ſuperius allegatas, curauit.

Bulla Innocentij  
papæ de pœn. iſ-  
tia occiſorum.

Eodem quoq; anno in feſto S. Nicolai Myreorum pontificis, Conradus epiſcopus Herbipolenſis, quondam imperialis aulæ cancellarius, à Bodone & Henrico militibus de Rauēsburg, ſeruitoribusq; eorum Heraldō & Conrado, in publica ciuitatis Herbipolenſis ſtrata crudeliter occiſus eſt, cui Henricus dictus Caſeus, propterea quod caſeum haberet in delicijs, ſuccedens, præfuit annis 4. menſibus 7. diebus 9. homo doctus & multum in omni ſcriptura eruditus, qui ſatis bene ſuam gubernauit eccleſiam. Ipſi autem paricidæ pœnitentiæ ducti Romam petentes, talem à ſummo pontifice tertio poſt biennium ſuſceperunt pœnitentiā, quam in ſuis literis patētibus ita ſonantibus dedit: Innocentius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, uniuerſis Chriſti fidelibus haſ literas inſpecturis ſalutem & apoſtolicam benediſtionem. Quā execrabile facinus & peculiare flagitium perpetrauerint, qui auſu ſacrilego manus impias in Chriſtum Domini nequiter iniecerunt, bonæ memoriæ Conradum Herbipolenſem epiſcopum, imperialis aulæ cancellariū crudeliter occidentes, flere potius libet quā referre. Verū cū diuina pietas humanam impietate excedat, & miſerationibus Domini miſerix hominum comparari non poſſint: cū nolit Dominus mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat, ut pote qui patiens & multū miſericors eſt & præſtabilis ſuper malitia: nos qui licet indigni uices eius exercemus in terris, ſcientes quōd maius gaudium eſt angelis ſuper uno peccatore pœnitentiā agente &c. quantumcunq; huiusmodi deliquerint homicidæ: non potuimus tamen, nec debuimus pœnitentibus aditum ueniæ præcludere: cū nouerimus dixiſſe Dominum per Prophetas: In quacūq; hora peccator conuerſus fuerit & ingenuerit. omnium iniquitatū eius non recordabor amplius. Bodonem igitur, Henricum quoq; uafallum eius, milites cum Heroldo & Conrado ſeruientibus ſuis, ad noſtram præſentiā uenientes, & conſitentes ſe prædictum epiſcopum occidiſſe: cū de ſuis exceſſibus lachrymabiliter pœniterent, & humiliter poſtularent ſibi pœnitentiā à nobis pro tanti ſceleris immanitate iniungi: quia pœnitentibus non eſt indulgentiæ ianua præcludenda, de fratrum noſtrorum conſilio, dilecto filio Hugoni, tituli S. Martini preſbytero cardinali cōmiſimus audientes. Qui conſeſſione illorum audita, poſtquā fecit eos nudos coram nobis in braciſ, tortas habentes in collo diebus aliquot in frequentia populorum aſtare, de mandato noſtro talem pœnitentiā illis iniunxit: ut nūquam de cætero, niſi contra Sarracenos, uel ad deſenſionem uitæ armis utantur. Varium griſeum ermelinum & pannos coloratos non portent. Ad publica ſpectacula non accedant, & coniugati non contrahant matrimonium poſt mortem

Nominat eos qui  
epiſcopum occi-  
derunt.

Hugo Cardinalis  
eos audiuit.

Modus & for-  
ma pœnitentiæ  
agendæ.

mortem uxorū. Eantēq̄ quā̄m citō poterunt in Hierosolymitanam prouinciam, per quatuor annos ibi contra Saracenos Domino seruituri. Bodo uero qui maior existit, tres uel unum saltem in suis expensis secum adducat. Et donec ipsi quatuor execrabiles homicidæ Hierosolymitanum iter arripiunt, sicut publicè pœnitentes discalceati & laneis induti uestimentis incedant. Secundam, quartam, & sextam feriam, quatuor tempora, uigiliāsque sanctorum solennes in pane & aqua ieiuent. Tres in anno quadragesimas uidelicet ante resurrectionem, pentecosten & natiuitatem Domini faciant. Carnibus nisi tantum in eisdem tribus festiuitatibus non uescatur: eaq̄ die qua prædictus episcopus fuit occisus, carnes non comedant in æternum. Orationem dominicam decantent, centies inter diem & noctem, & genuflectiones faciant quinquaginta. Corpus & sanguinem Domini accipere, nisi in ultimo mortis articulo, non præsumant. Cum fuerint ultra mare, quartā & sextam feriam, sanctorum uigiliās & quatuor tempora (sicut dictū est) in cibo quadragesimali ieiuent. Carnes comedent die Dominica & quinta feriā tantum. Orationem dominicam dicant, & genuflectiones semper faciant prætaxatas. Quandoquocūq; aliquam ciuitatem Alemanicam poterunt secure intrare ad maiorem ecclesiam nudī procedant, tantum in braciis cum torra in collo & uirgis in manu, & à canonicis eiusdem ecclesiæ recipiant disciplinam. Si uero quæsitum fuerit, cur hoc faciant, dicant, hoc se facere pro scelere perpetrati iam dicti satisfactione. Si quando fortè in ciuitate Herbipolensi poterunt esse securi, in resurrectione, pentecoste, natiuitate Domini, ac in solennitate maioris ecclesiæ, uidelicet S. Kiliani, exeant ciuitate, & nudī inde cum braciis tantum, tortam in collo & uirgas deferentes in manu: & ad missæ celebrationem maioris, ad ecclesiam cathedralem accedant, & ante episcopum & canonicos prosternentes se in terram, petant humiliter & recipiant disciplinam ab eis. Cum autem de partibus redierint transmarinis, ad Apostolicam sedem accedant, recepturi consilium & mandatum. Datum Laterani, 14. calendas Maij, pontificatus nostri anno sexto, Domini uero 1204.

Anno quoque prænotato Tartari cum uxoribus & filiis, ab Indiæ montibus egressi, per uicinas prouincias prædas agunt, quibus semper fuere assueti. Parthos deinde petunt, & pari terrore Mediam, Assyriam, Persiam, Armeniamque & Sarmatas non longo tempore peruadentes, circa Mœotidis paludes sedes suas demum firmarunt, & multa finitimis Christianis mala fecerunt.

Anno Marquardi abbatis sexto, dominicæ autem natiuitatis 1203. Philippus rex ualido exercitu congregato intrauit Thuringiam, ut Hermannum Landtgrauium humiliaret: ea de causa, quod ipsum reliquisset, & Siphrido archiepiscopo Moguntino contra uoluntatem suam adhæreret, ac foueret, & quod reditus ac prouentus ecclesiæ Moguntinæ in Thuringia cedentes in usus sui hostis, hoc est regis Ottonis, conuertisset. Perpendens autem Palatinum comitem & regem Bohemiæ cum magno exercitu illi in auxilium uenisse, rura quæque incendio consumpsit, & ita se cum suis in Erphordiam contulit. Quo comperto Landtgrauius & Bohemiæ dux ciuitatem obsidione uallantes, se Philippum capturos in ea sperabant. At ille media nocte cum paucis exiens de ciuitate, ad marchiones Misnenses se contulit, ut auxilijs contractis, milites Erphordiæ inclusos liberaret. Principes autem eius discessione cognita, obsidionem quæ nouem diebus durauerat, soluerunt: cauentes, ne Philippo daretur tempus congregandi exerci-

*Peregrinatio  
transmarina inuē-  
giur.*

*In terra sancta  
quomodo debeat  
ieiunare.*

*Nudi ciuitates  
Alemanie intrēt*

*Pœnitentia Her-  
bipoli.*

*Regnū Tartarorum  
incipit.*

*Philippus rex  
intrauit Thuringiam.*

*Comes Palatinus  
rex Bohemiæ.*

*Erphordia obsi-  
dione uallatur.*

exercitum. His ita peractis superuenit rex Otto cum suorū exercitu, quem Guido cardinalis episcopus Prænestinus in festo S. Bartholomæi apostoli apud Marsburg, in regem solenniter consecrauit. Ibi Hermannus Lādigravius & Odacharus Boëmiæ rex, qui à Philippo iam prius defecerant, fidelitatem regi Ottoni denuò iurauerunt.

*Theodericus comes Hollandiæ obiit.*

*Decretales fiunt.*

*Lupoldus.*

Eodem quoq; anno moritur Theodericus comes Hollandiæ, & traditur comiti de Lo, prouincia cum filia defuncti. Quod grauiter ferens Vuilhelmus frater Theoderici, congregatis militibus eundem comitem de Lo, de Hollandia expulit, & fratris filiam tulit. His quoq; tēporibus Innocentius papa tertius quinq; libros Decretales composuit, quos legi in scholis & obseruari in iudicijs ubiq; mandauit: quod factum est, & fit usq; in præsentem diem. Lupoldus episcopus Vuormatiensis qui Moguntinum archiepiscopatum (sicut supra diximus) ambierat, Philippo regi adherēs contra regem Ottonem & Innocentium papam, multa in omni prouincia commisit mala. Omnibus bellis cum Philippo regi suo contra Ottonem personaliter interfuit, ut miles pugnauit, spoliauit pauperes, & neq; monasterijs neq; ecclesijs pepercit. Cumq; milites ad eum dicerēt: Domine, non licet nobis ecclesias & monasteria spoliare. Respondebat: Cū ossa mortuorum tollitis, tunc ecclesias & cœmiteria spoliatis. Tandem ab Innocentio papa excōmunicatus fuit, & à pontificatu depositus, propter innumera scelera quę commisit. Postremò in odium Ottonis regis officio & beneficio restitutus est.

*Philippus rex de nouo Thuringiam intrat.*

*Principes ad Philippum deficiunt.*

Anno Marquardi abbatis 8. qui fuit dominicę natiuitatis 1204. circa mensem Iuliū, Philippus rex maximo exercitu coadunato Thuringiā intrat, & quādam ciuitatem Landtgrauij Vuizense nomine, obsidione uallat: regem etiam Bohemiæ cum maxima multitudine in auxilium ei ueniētem fugat, omniaq; per circuitum oppida igne exurit & deuat. Landtgravius uidēs euerionē terrę suę, & animositatem regis se ferre non posse, interuētū quorundam principum suppliciter ad eum uenit, & eius gratiam postulās promouit. Post hæc archiepiscopum Coloniensem Adolphum, per medium archiepiscopi Treuerensis ac episcoporum Spirensis & Constantiensis, consilium apud Andernacum sibi conciliat: & ut ducem Brabantię, & reliquos Lotharingiæ nobiles fideles sibi efficiat, nouem millia marcarū ei donat, & Salueld ab ecclesia Coloniensi dudum ablatum restituit, ac plurima se datum repromittit. His allectus promissionibus, Adolphus archiepiscopus Coloniensis sacramentum quod dudum fecerat Ottoni parui pendens, periurium & excommunicationē papę non metuens, post festum S. Martini ad eundem Philippum cum duce Brabantię Confluentiam uenit, & ei iuramentum fidelitatis ambo præstiterunt, quod ei postea non successit in prosperitatem.

*Philippus denuò coronatur.*

Anno Marquardi abbatis 9. Philippus rex ad festum Epiphanię dominicę natiuitatis 1205. indictione 8. magnum conuentum principum sibi adhærentium habuit Aquisgrani, ubi cum maximo apparatu archiepiscopus Coloniensis ei occurit. Ibi rex consilio cum suis habito, ut principes suam liberam electionem, secundum antiquitatis institutum non perderēt, regium nomen & coronam deposuit, & ut concorditer ab omnibus reeligetur petiuit & impetrauit. Quem Adolphus archiepiscopus Coloniensis magna solennitate, unā cum Mariā uxore eius, filia Imperatoris Constantinopolitani, rursus iniunxit & coronauit: Ottone languore grauissimo detento, & omnium penē auxilio destituito. Hoc anno æstas fuit sicca, & hyems dura.

Eodem



Eodem anno Marquardus abbas huius monasterij Hirsaugiensis reuerendissimus, posteaquam annis 8, mensibus 6, diebus 21. strenue & utiliter præfuisse huic cœnobio, graui infirmitate quartanarum febrium tactus, ac longa ægritudine ad plenū decoctus, tandemq̄ dissenteria sub sequente dissolutus, 13. cal. Februarij, anno Domini 1205, indict. 8. in Domino quieuit, sepultus nō sine fratrum lachrymis, ante altare S. Nicolai. Multas (ut supra diximus) sui regiminis turbationes à tyrānis sustinuit: sed cū esset uir sapiēs, de omnibus triūphauit. In multis, reditus monasterij ampliavit, & copiā rerum temporalium fratribus moriens reliquit. Duo quoq̄ latera claustrī nimia uetustate collapsa cum alijs structuris multis reparauit, & murum ante fores monasterij præclaro & insigni opere inchoauit, quem morte præuentus non compleuit. Fuit enim uir sanguine, moribus, ingenio & sapientia clarus, regibus & principibus notus, qui tempore schismatis imperij inter Philippum & Ottonem tam prudenter se in omnibus habuit, quod meritum apud Deum & laudem ab hominibus reportauit.

Marquardus  
obijt.  
Optimè rexit mo-  
nasterium.

DE LUTFRIDO, HUIUS MONASTERII ABBATE XXII.

qui præfuit annis 11. diebus 15. & uarijs gestis ac rebus illius temporis.

Mortuo reuerendissimo huius monasterij Hirsaugiensis abbate Marquardo, & anno & die præmissis, corporeq̄ eius cum honore ac reuerentia tradito ecclesiasticæ sepulture; prior & cōuentus, ne tanquam oues sine pastore diutius oberrarent, tertium dehinc diem, hoc est 23. diem mensis Ianuarij, pro electione noui abbatis unanimi consensu statuerunt. Quo adueniente, uocatisq̄ interea absentibus, qui huiusmodi electioni debuerūt interesse, ad locum capitularem omnes mane conuenerunt, & implorata ex more gratia spiritus sancti, post lōgos & maturos tractatus inter se habitos, in abbatem huius monasterij 22. tandem elegerunt Lutfridum, huius cōuentus monachū, uirum mitem & religiosum, qui confirmatus ab Ordinario Cōrado Spirensis ecclesie pontifice, munus benedictionis à Guidone sacrosanctæ ecclesie Romanæ cardinali, Prænestino episcopo & apostolicæ sedis legato per Alemaniam, suscipiēs: præfuit huic monasterio annis 11. ac diebus 15. Benedici enim ab episcopo suo Spirēsi, qui Philippo regi cōtra mandatum summi pontificis fauebat, noluit: & ob id munus benedictionis iuxta priuilegium dudum ab Urbano papa datum, sub Gebhardo abbate, à legato sedis apostolicæ prænominato suscepit. Fuit autem homo tranquillus & pacis amator, qui se non usq̄ adeo rebus temporalibus (ut pleriq̄ faciunt) immergit, sed potius pro necessitate commodauit. Oriundus fuit ex Francia Orientali, liberis ac honestis parentibus procreatus. Qui iuuenis ad literas positus, medio crite studēdo profecit. Non enim ludis populorum oblectari solebat, sed ab ineunte ætate paci ac silentio studens, iam monachum cœpisse uiuere etiā adhuc puer uidebatur. Factus autē ætate prouectior, deliberauit mundū cū suis uanitatibus pro Christi amore deserere, & in tranquillitate mētis & corporis omnipotenti Domino seruire. Venit itaq̄ ad Hirsaugiā, & sub Cōrado abbate monachus factus est, sine querela inter fratres cōuersatus est, probatusq̄ annis q̄ plurib. in quibusdā officijs monachorū minoribus, tadē post obitū Marquardi (sicut diximus) abbas ordinatus est. Eo autē fermè tēpore quo electio eius celebrata fuit in Hirsaugia, uidelicet anno Domini 1205. uenerūt ad Coloniā Siphridus archiepiscopus Moguntinus, et Cameracensis antistes à sede Apostolica cōmissarij & iudices cōstituti, & in maiori ecclesia S. Petri corā clero & uniuerso populo, excommunicatū à papa Innocentio publicè denunciarunt Adolphum archiepiscopum Colo-

Lutfridus abbas  
à Guidone cardina-  
nali benedicitur.

Genus ex origo  
Lutfridi abbatis

Adolphus excom-  
municatur.

niensem, ac ut per omnes conuentuales & parochiales ecclesias eiusdem ciuitatis, per singulos dominicales & festos dies excommunicaretur, præceperunt. Hoc etiam in mandato habentes, ut si infra mensem post denunciationem huiusmodi factam, Romam ad satisfactionem se non conferret, officio & beneficio pontificali destitueretur, & alius in locum eius ordinaretur antistes, qui mādatis obediret apostolicis. Adolpho autem in sua pertinacia per durante, ac summi pontificis censuras contemnente, præfati commissarii denuò Coloniā accedentes, in maiori ecclesia coram clero & populo, in præsentia regis Ottonis, tredecimo calendis Iulij, ipsum Adolphum per sententiā definitiuam ab omni officio & dignitate archiepiscopali, auctoritate apostolica deponentes, canonicis ut alium eligerent episcopum eadem auctoritate præceperunt. Qui mandatis apostolicis obsequentes, Brunonem de Seyn præpositum Bonnensem, in archiepiscopum elegerunt, & securā sunt infinita mala. Adolphus enim regem Philippum, propter cuius adhesionem depositus fuerat, Spire curiam cum principibus tenentem accedens, quæ pateretur exposuit, consilium & auxilium postulauit. Comuni ergo decreto principum, rex contra Brunonem & Colonienses magnum congregauit exercitum, & post natiuitatem B. Mariæ semper uirginis Mosellam transiuit, & in festo S. Michaëlis archangeli Coloniā obsidione uallauit, quam tandem dimissa Nusiā obsedit & cepit, quam Adolpho deposito dedit. Quibus peractis, omnem prouinciā, concremando, spoliando, miserabiliter affligēdo ubiq; deuastauit, & multas munitiones cepit. Castrum etiam Lanscroin nuncupatum, ad domandum Colonienses speciosum atq; fortissimū suo tēpore construxit. Maxima fuit his temporibus in omni terræ cis Rhenanę prouincia calamitas, & nusquā tuta fides, sed mille ubiq; pericula sequebantur, maximè in terra Coloniensi, propter depositionem Adolphi, & in diocesi Moguntina, propter Siphridum qui deposuerat eum.

*Henricus obiit.* Anno Lutfridi abbatis 1. qui fuit dominicæ natiuitatis 1206, obiit Henricus episcopus Herbipolēsis, uir doctus, & sacrarum literarū Magister uersitatis Parisiensis, cui Otto de Ladenburg in episcopatu successit, & præfuit annis 16. mensibus 5. uir magnanimus & princeps, sapientia & dignitate metuendus. Eodem anno obiit Baldeuinus comes Flandriæ Imperator Constantinopolitanus, princeps Christianissimus, qui multa pro defensione Christianorum patrauit. Huic in imperio Græcorum successit Henricus frater eius, & imperauit annis 11. strenuè.

Eodem quoq; anno Philippus rex iterum fines Coloniensium ingrediēs, occurrente sibi Adolpho quōdam archiepiscopo, cum comitibus & magno exercitu, totum episcopatum pro libitu suo cuncta subiiciendo percurrit. Rex autem Otto & Bruno, qui eodem mense à Siphrido Moguntino in archiepiscopum ordinatus fuerat, præsentibus duobus episcopis de Britannia à rege Angliæ missis cum quadringentis equitibus & duobus peditum milibus de Colonia exeuntes, cum Philippo pugnare statuerunt. Congredientes ergo hi duo reges cum exercitibus suis, apud Vuassenburg, Otto & sui terga uerterunt, et Philippus rex uictoriā obtinuit, & inter alios nobiles multos etiam Brunonem archiepiscopum Coloniensem cepit, quem manicis ferreis constrictum secum abduxit, & plus quàm ad anni spacium in arcta custodia tenuit. Inter hæc Colonienses considerātes sibi totum imperium aduersari, & suos conatus ubique frustrari, accepto consilio & auxilio ducis Brabatię, Philippum regem, Bopardiæ commorantem adierunt, & ueniam commissorum postulantes, ad gratiam eius recepti sunt. Qui etiam postea

*Adolphus.**Bruno.**Philippus rex mouet exercitum in Coloniā.**Lanscroin castrū**Henricus obiit.**Baldeuinus imperator Græcorum obiit.**In Philippum et Ottonem bellum**Bruno capitur.**Colonienses Philippo reconciliati*

misso

misso Conrado Spirensi episcopo ad Coloniam, fidelitatis ab eis iuramentum exegit. Per idem tempus Otto rex, de Colonia exiens, ad Brunsvich in Saxoniam uenit, ibiq; ordinatis rebus suis per mare in Angliam nauigio uenit, ubi a rege Angliæ auunculo uidelicet suo, cum honore susceptus aliquid quandiu remansit.

Otto Rex nauigauit Angliam.

Eodem anno 2. calendis Martij, hora diei decima, solis eclipsis fuit & multi humanum se caput in sole uidisse testati sunt.

Anno Lutfridi abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1207. Conradus episcopus Spirensis ecclesiam S. sepulchri Spire, in qua erant moniales, cum omnibus iuribus & pertinentijs suis, in perpetuum tradidit preposito in Deckendorff, ut monialibus que tunc erant in ea defunctis aut aliorum, saluis uitæ necessarijs, translatis, conuentum uirorum suæ possessionis ibidem institueret, qui tamen iurisdictioni Spirensis episcopi pro tempore esset subiectus.

Eodem anno circa festum S. Andree apostoli Philippus rex in Augusta magnum conuentum principum celebrauit, in quo duo cardinales, Hugo uidelicet Hostiensis episcopus, & Leo presbyter S. crucis, missi ad reformandam pacem in regno a summo Pontifice Innocentio comparuerunt, qui interuentu regis, Adolphum quondam archiepiscopum Coloniensem ab excommunicatione soluentes, pro satisfactione ad examen sedis apostolicæ miserunt. Ad eorum etiam preces rex Philippus Brunonem archiepiscopum Coloniensem, quem anno priori ceperat, a uinculis absoluit, & ire cum ipsis Romam ad sedis apostolicæ gratiam permisit. Multa ibi coram principibus inter ipsos & regem, de pace & compositione regum tractata sunt, sed nihil fuit conclusum, quia ad sedis apostolicæ examen omnia media pacis proposita per ipsos cardinales fuerant referenda.

Conuentus principum in Augusta. Bruno.

Anno Lutfridi abbatis 3. dominicæ autem natiuitatis 1208. Philippus rex profecturus in Saxoniam contra quosdam suo rebelles imperio, cum ad ciuitatem Bambergam uenisset, & per triduum copias expectaret absentes, & quodam die cum Conrado episcopo Spirensi cancellario suo, & duobus seruatoribus in camera episcopi Bambergensis post incisionem uenæ quiesceret, uenit Otto comes Palatinus de Vuitelsbach petens introitum, qui in tromissus extracto gladio ipsum regem interfecit, & mox cum suis antequam factum innotesceret, aufugit. Corpus autem occisi regis primo fuit ibidem in maiori ecclesia sepultum, sed ossa per aliquot annos per Fridericum Imperatorem secundum nepotem eius ex fratre, Spiram translata sunt, & in maiori ecclesia cum regibus sepulta. Fuit autem occisus 11. calendis Iulij, & uacauit Imperium usque ad festum sancti Martini. Porro homicida comes Otto profugus de terra proscribitur, & post annos paucos per marscalcum Philippi occiditur.

Philippus rex Palatino occiditur.

Otto Palatinus de Vuitelsbach.

Eodem anno in festo sancti Martini episcopi, procurante Conrado Spirensis ecclesie episcopo, cancellario Philippi regis occisi, qui regalia tunc temporis penes se habebat, maximus principum, nobilium ac prelatorum conuentus apud Franckfordiam celebratus est: ubi Otto rex quondam aduersarius Philippi, ab omnibus denuo unanimiter fuit electus, & in regnum confirmatus, qui & filiam regis Philippi duxit uxorem.

Otto dux Saxonie in regno confirmatur.

Eodem quoque anno Philippo rege occiso Siphridus archiepiscopus Moguntinus, de Roma ubi per biennium ecclesie sancte Sabinæ titulum cardinalatus tenuerat, iubente papa Innocentio ad sedem Moguntinam cum honore reuersus est, eiectione Lupoldo Vuormatiensi episcopo inuatore

Siphridus.

nequissimo, auctoritate domini papæ à cunctis Moguntia cum gloria suscipitur. Lupoldus enim potentia Philippi regis defensus, sedem Moguntinam expulso Siphrido toto biennio occupauerat, excommunicationem papæ contemnens, quia homo sceleratus erat, ut diximus.

*Bruno Colonia reuertitur.*

Eodem quoque tempore Bruno archiepiscopus Coloniensis cum Siphrido Moguntino archiepiscopo prædicto missus à papa, Colonia reuertitur, & in festo sanctorum martyrum Prothi & Iacinti cum maximo tripudio & gaudio, à cuncto populo & clero Coloniensi suscipitur. In cuius aduentu pax reddita est terris, prouincia à prædonibus purgata quieuit, comites ac nobiles terræ eise iuramento ad obedientiam subiecerunt. Adolphus quoque olim archiepiscopus ad eum ueniens, obedientiam ei iuxta mandatum apostolicum promisit. Verum non diu permanit ista prouinciæ serenitas. Nam posteaquàm omnia successerant ei ad nutum, Bruno archiepiscopus languore corripitur, & eodem anno altera die post festum omnium sanctorum ab hac uita migravit, & in maiori ecclesia sepelitur non sine lachrymis multorum, qui se omnes eo uiuente, pacem in prouincia habituros sperabant. Quo autem mortuo, Theodericus præpositus Apostolorum consilio & auxilio regis Ottonis in archiepiscopum electus unanimitè iter præfuit annis sex.

Anno Lutfridi abbatis 4. dominicæ autem natiuitatis 1209. Innocentius papa audiens principes totius Imperij Ottonem in regem elegerunt, & eorum consilio regis Philippi filiam, quamuis cōsanguinitate ei iunctam, propter bonum pacis & concordia illi in matrimonio sociasse, factum laudans, iterum in Alemaniã misit Hugonem & Leonem cardinales, ut illud sua auctoritate confirmarent. Qui in Alemaniã uenientes, ciuitates singulas uisitantes, auctoritate apostolica iusticiam ubique petentibus faciebant.

*Papa legatos misit in Alemaniã.  
Otto rex Italiæ coronandus ingreditur.*

Eodem anno rex Otto cum magno apparatu Italiã intrauit, ubi principes totius Longobardiæ occurrentes, cum gloria susceperunt, ciuitates & castella eius dominio subdiderunt, & infinitam pecuniam uectigalium & tributorum à tempore Henrici Imperatoris reseruatam, ad manus eius tradiderunt. Posthæc Romam progressus, occurrere sibi papa cum cardinalibus & senatu, cum honore suscipitur, & sequenti dominica post festum sancti Michaëlis, hoc est 4. nonas Octobris, in ecclesia maiori beati Petri Apostoli ab ipso papa Innocentio in Imperatorem coronatur. His ferme temporibus sanctus Franciscus ordinem fratrum Minorum in Italia, cum multa religione & sanctitate inchoauit: in quo successu temporis, complures uiri sancti atque doctissimi claruerunt, qui uerbo & exemplo ecclesiam magnificè illustrarunt.

*Ordo Minorum cepit.*

Hoc anno erat æstas tonitruis, fulminibus & imbribus ualde impetuosa, & hyems nimis dura & asperrima, quæ diutius durauit.

*Inter papam & Imperatorem discordia. Causa dissensionis.*

Anno Lutfridi abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1210. inter papam & Ottonem imperatorem quartum, grauissimæ dissensionis fuerunt subortæ propter Marchiam Apuliæ, quam imperator ad imperium, papa uerò ad ecclesiam pertinere Romanam confirmabat, per donationem testamentariam domina Methildis, filia quondam Rutgeri principis Siciliae famosissimi, & uxoris Conradi regis filij Henrici Imperatoris quarti. Hanc donationem per mulierem sine consensu principum ecclesiæ factam, papa ualidam, Imperator uerò inualidam esse dicebat. Tandem quum Imperator ipsam marchiam papæ non uellet concedere, ab ipso fuit excommunicatus, & postremò ab imperio depositus.

Anno

Anno Lutfridi abbatis 6. dominicæ autem natiuitatis 1211. Otto Imperator prosperis utens successibus, totam sibi Apuliam & Calabriam subiecit, ciuitates in deditionem accepit, castra militibus suis custodienda commisit, & Fridericum regē Henrici Imperatoris 6. filium penitus exterminare tentauit, obedire mandatis apostolicis cōtempserit. Vnde cōmotus papa Siphrido archiepiscopo Moguntino præcepit, ut per totam Alemaniam Imperatorem excommunicatum & depositū ab imperio denunciaret: quod & fecit. Quo facto, Hēricus comes Palatinus Rhēni, dux quoq; Brabantiæ, & multi principes alij ac nobiles Ottoni fauentes, totum episcopatum Moguntinum circa festum S. Michaëlis, incendio & rapina deuastare cœperunt, nihil præter ciuitates munitas & fortissima castra intactum relinquentes, sed uillas, ecclesias & monasteria desolando spoliauerunt, totam terram penè in desolationem agunt. Siphridus autem archiepiscopus omnia hæc mala propter obedientiam sedis apostolicæ sufferens, nusquam in patria tutus, ad Hermannum Thuringiæ Landtgrauium confugit, & ibi aliquandiu mansit.

*Imperator totam Apuliam obuiet*

*Ecclesiæ Moguntinæ persecutio.*

*Siphridus.*

Eodem anno circa quadragesimam Otto Imperator ab Italia rediit, excommunicatus à papa, & per totam Alemaniam declaratus.

Anno Lutfridi abbatis 7. Dominicæ autem natiuitatis 1212. Otto imperator circa festum pentecosten, conuentum principum in Nuremberga habuit, exponens principibus causam dissensionis inter ipsum & papam. Post hæc mouit expeditionē in Thuringiam contra Hermānum Landtgrauium sibi aduersantem, ubi duas munitiones Rotenberg & Saltzungen fortissimas destruxit. Inde progrediens, obsidione uallauit oppidum Vuizense, quod etiā præter arcem obtinuit. Ibi tunc primò cœpit haberi usus instrumenti bellici quod Tribock appellatur.

*Imperator Thuringiam ingreditur.*

Eodem anno Leodiū in die ascensionis Domini à duce Brabantiaë Henrico fugato episcopo, Huardo capitur, & maxima præda, inæstimabilesq; diuitiarum thesauri à militibus & Scariatis cum multorum damno diripiuntur. Hoc ipso anno maxima hominū multitudo utriusq; sexus & ætatis, ex omni Germania & Gallia necnon & Burgundia uersus Italiam iter arripuit, senes & iuuenes, pueri & adolescentes, coniugatae ac uirgines, pauperes & diuites, sine ordine, siue duce, sine autoritate, propria præsumptione ducti, cruce se mutuo signantes, contra Saracenos mare transire, & terram sanctam se recuperare uelle dicebant. Verum cum uenissent ad mare, alij fame & inopia perierunt, alij rapti à piratis uediti sunt, cæteri cum ingenti confusione ad propria redierunt, plures corruptionis suæ præmiū reportantes.

*Instrumenti Tribock inuentio.*

*Leodium capitur.*

Eodē anno facta est expeditio cruce signatorum à duce Austriaë & quibusdam terræ Baronibus, alijsq; diuersæ conditionis hominibus, ex Austria, Saxonia, Vuestphalia, Phrysia & Alemaniam tota, in auxiliū comiti de Manfredi, ad impugnandum hæreticos Albienses, qui & Ruptarij uel Coterelli dicebantur, de terra S. Ægidij, papa mādante. Qui audientes tantum contra se uenire exercitum, alij relictis ciuitatibus & castris fugerunt, alij ad unitatem Catholicæ fidei reuersi, obedientiam cardinali ad hoc à papa misso iuramento præstiterunt. His peractis præfatus dux Austriaë Lupoldus cum magno Christianorum exercitu cōtra Saracenos, à Massamuto rege Maroth nauigio missos, in Hispaniā progressus est: ubi cōmisso cum fidelibus ipsis prælio, Christiani obtinere uictoriam, infinita multitudine Saracenorum occisa, cæteris in mari submersis. Eodem quoque anno Otto Imperator in Northusen nuptias celebrauit, ducens uxorem filiam Philippi regis, sibi antea (ut diximus) desponsatā, quæ die quarta post hæc, rebus excessit humanis.

*Expeditio contra Albienses.*

*Bellum Christianorum cum Saracenis.*

Interea uidens papa Innocentius pertinaciam Ottonis, quem prius semper fouerat contra Philippum & in altum sublimauerat: cum neq; pro absolutione, neq; pro aliqua compositione laboraret, misit in Siciliam, & eduxit inde Fridericum supra memoratum, Henrici quōdam Imperatoris filium, & cum literis ac mandatis misit eum in Alemaniam, præcipiens & mādans principibus imperij, ut Ottone excommunicato atq; deposito & abrogato, ipsum in Imperatorem eligerent, susciperent, ac manu tenerent, & in omnibus uiriliter assisterent, sibiq; transeunti per terras quisq; suo loco conductum honorificè præberent. Quod & factum est. Comperiens Otto Friderici aduentum, desistens ab impugnatione Landtgrauij, obuiam illi cum exercitu proficiscitur. Qui dum in partibus Sueuiæ cōuenissent, Otto cum suis cedere compulsus est, & præualere non potuit, quia pro tenacitate sua multi eum relinquebant. Adhuc tamen habens fiduciā in solo duce de Zearingen, descendit usq; ad Brisach regium oppidum, prætolari uolens euentum rei, si quo modo posset habere copiam resistendi. Vbi dum commoratur in præsidio, & familiares sui oppidanos rapinis & iniurijs prouocantes, uinum, pabula & quæq; ad uictum pertinentia uiolenter diriperent, congregati ciues in unum, ipsum cum omnibus suis de oppido eiecerunt, quibusdam uulneratis & membris truncatis. Qui secedens inde reuerus est in Saxoniam, conducentibus ipsum quibusdam terræ illius nobilibus.

Fridericus pro rege suscipitur.

Bellum inter Fridericum & Ottonem.

Brisach oppidū.

Fridericus obsedit Hagenauu.

Curia Moguntina.

Lupoldus.

Post hæc Fridericus cum ab omnibus susciperetur pro rege, & ciues Imperialis oppidi Hagenauu adhuc in Ottonis fidelitate persisterent, obsidione urbem uallauit, & in deditiōnem accepit. Inde progressus de ciuitate in ciuitatē, ab omnibus ut rex cum honore susceptus est, & in breui totum imperij orbem obtinuit. In festo quoq; sancti Andreæ Apostoli, celebrem curiam in Moguntia habuit, ubi multi principes iuramentū fidelitatis ei præstitērūt. Hoc ipso quoq; anno Lupoldus episcopus Vuormatiēsis, interuēntu Friderici regis, permissione papæ ad sedem suam reuersus est, & in gratiam sedis apostolicæ receptus: in odium (ut plerisq; uisum est) Ottonis, qui eum mortuo Philippo rege in exilium papa consentiente proscripserat, & interea Siphridus archiepiscopus Moguntinus, quā diu stetit in gratia Ottonis, etiam Vuormatiensem ecclesiam gubernauit, maximè quoad ordinationes & sacramenta.

Anno Lutfridi abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1213. Fridericus conuentum principum Aquisgrani ad festum sancti Iacobi celebrem habuit, ubi de consensu omnium principum rex appellatus est, & in sedem regni collocatus. Ibi quoq; cum multis alijs cruce signatus est contra Saracenos pro recuperatione dominici sepulchri, crucem prædicante Magistro Conrado tunc decano, qui postea factus est episcopus Hildesheimensis in Saxoniam, uiro sancto atq; doctissimo. Rex autem Fridericus primò duxit in uxorem Mariam filiam regis Arragonum, qui hoc ipso anno Albiensibus auxilium ferendo & comiti Tholosano, fuit occisus. De qua genuit Henricum regem Romanorum, qui obiit ante patrem, & Conradum regem. Mortua prima uxore duxit secundam, filiam Ioannis regis Hierusalem, quæ habuit filium nomine Iordanum. Hac etiam mortua duxit tertiam, Mechthildē filiam regis Angliæ, cuius nuptias in Vuormatia celebrauit. Hac peperit ei duos filios, & duas filias, Fridericum regem Tusciæ, Ericum regem Longobardiæ, Agnetem uxorem Landtgrauij Thuringiæ, & Constantiā uxorem Ludouici Landtgrauij Hasiæ, Ex concubina, Manfredum Siciliae regem genuit.

Friderici uxores & liberi.

Eodem

Eodem anno obiit Lutoldus episcopus Basiliensis, cui Vualterus successit. Eodem quoque anno Philippus rex Franciæ cum maximo exercitu Flandriam intrauit, ut Pherrandum comitem expelleret, & suo terram domino subiugaret. Sed uoluntatem suam implere non potuit, nam plurimis suorum ibidem occisis, cum magno detrimento & ignominia in Franciam redire compulsus est. Circa autumnum etiam dux Brabantiae Henricus cum Leodiensi episcopo dimicans superatur, omnibus ferè suis aut captis, aut occisis. Theodericus autem Coloniensis archiepiscopus mandatis apostolicis contumaciter inobediens, partes Ottonis contra Fridericum manifestè tuebatur, per quod multam suæ diocesis calamitatem induxit. Contingit ipso anno episcopum Monasteriensem uenire Coloniã, qui à quibusdam fautoribus Imperatoris depositi captus, Vuerdenam missus est, & iussu ipsius uinculis mancipatus. Quapropter Colonienses à Siphrido archiepiscopo Moguntino Romani pontificis legato excommunicantur, & diuina officia celebrari Coloniæ prohibentur.

Rex Franciæ à Flandrensi subiugatur. Theodericus. Otto.

Eodem quoque anno 17. calendas Septembris obiit Rupertus, abbas quintus monasterij mei Spanheimensis, cui Iuanus sextus in ordine abbatum succedens, præfuit annis 39. mensibus 3.

Rupertus.

Anno Lutfridi abbatis 9. dominicæ autem natiuitatis 1214. Otto quondam Imperator terram comitis Gelrensis igne ac ferro deuastat. In mense Iulio idem Imperator Otto cum rege Angliæ suo auunculo, Henrico quoque duce Brabantiae, Pherrando comite Flandriæ (cuius præcedente anno fecimus mentionem) & multis alijs, contra Philippum regem Francorum in bellum proficiscitur, à quo facta congressione superatur apud Tornacum. Ibi comes Pherrandus cum multis nobilibus tam Flandriæ quàm Lotharingiæ captus est, qui omnes Parisios missi, uinculis mancipantur.

Otto Imperator superatur à Franciis.

Eodem tempore Fridericus cum ualidissimo exercitu Mosellam transiuit, & suo terrore omnes nobiles terræ illius ad obediētiam sui coëgit. Deinde Mosam transiens Henricum ducem Brabantie bello petere statuit, qui celeri aduentu eius territus, supplex ad eum uenit, fidelitatem cum iuramento fecit, filium cum alijs nobilibus multis obsidem dedit, & ab Ottone Imperatore deposito recessit. Hoc ipso anno, pridie nonis Martij, stella cometes apparuit.

Fridericus rex Brabantiam subdit.

Eodem quoque anno cœpit in Alemania prædicare frater Conradus de Marpurg ordinis prædicatorum auctoritate apostolica, & per annos ferme 19. continuauit, multos comburi ut hæreticos fecit, nullo prohibente. Tandem (sicut dicemus) & ipse fuit occisus. Theodoricus archiepiscopus Coloniensis propter inobediētiam mandatorum papæ & adhæsiōnem Ottoni quondam Imperatori abrogato cōtinuatam, primò excommunicatus est, & postea per Siphridum archiepiscopum Moguntinum Apostolicæ sedis legatum Coloniæ in maiori ecclesia ab omni officio & beneficio pontificali depositus. Qui Romam profectus, gratiam restitutionis diu postulans impetrare non potuit.

Frater Conradus de Marpurg.

Theodoricus.

Anno Lutfridi abbatis 10. dominicæ autem natiuitatis 1215. Adolphus comes de Monte, castrum Vuerden obsidione uallans cepit, & Ottonem episcopum Monasteriensem ibidem ab Imperatore (sicut diximus) uinculis mancipatum, potenti manu liberauit, in uigilia scilicet S. Iacobi apostoli.

Vuerdena captur.

Eodem anno Innocentius papa synodum 130. episcoporum Romæ in ecclesia Lateranensi, recuperandæ Hierosolymæ gratia celebrauit: in qua libellos quosdam Ioachimi abbatis Florentis monasterij de Calabria erro-

neos condemnauit. Missisq̄ literis suis per omnes fines Christianorū, quoslibet idoneos Magistros prædicare crucem præcepit. Vnde per diuersas prouincias innumerabilis multitudo, pro amore Christi & liberatione terræ sanctæ signati sunt. Inter quos fuerunt Fridericus rex Romanorum & Siciliae, Siphridus archiepiscopus Moguntinus, episcopi quoq̄ Leodiensis, Bambergensis, Pictauiensis, & Argentinensis, dux Henricus Brabantiae, dux Merauiae, dux Lymphurgensis, dux de Ancei, comes Palatinus de Tubingē, Marchio de Baden, comes de Los, comes de Iuliaco, comes de Seine, comes de Monte, & alij complures, qui omnes prædicante crucem Ioanne Scholastico Xantenfe Aquisgranī susceperunt.

*Crucis prædicatur  
et nullis signatur*

Eodem anno uenit ad Coloniam Theodoricus archiepiscopus Treuerēsis, & cooperante Henrico duce Brabantiae ciues ad pacem & subiectionē Friderici regis iuxta mandatum apostolicum reduxit, ab excommunicatione & interdicto, quibus per annum & menses quinque subiacuerant, absoluit, & quarta die mensis Augusti missas in maiori ecclesia S. Petri coram omni populo solenniter decantauit.

*Colonienses Fridericum regem  
suscipiunt.*

Eodem die Fridericus ciuitatem ingressus cum honore magno suscipitur, & homagio fidelitatis suscepto per dies 7. commoratur.

*Lutfridus.*

Eodem quoq̄ anno dominus Lutfridus huius cœnobij Hirsaugiensis uenerabilis abbas, confirmationem omnium priuilegiorum per reges & imperatores ipsi monasterio collatorum, à Friderico secundo Romanorum & Siciliae inclyto rege impetrauit, cum ulterioribus indultis: ut patet in literis ipsius confirmationis, quæ datæ sunt in Hagenauu, anno incarnationis dominicæ 1215. 8 idus Iulij, indictione tertia.

*Engelbertus.*

Eodem anno cū Theodoricus quondam archiepiscopus Coloniensis diu Romæ apud papam, pro sui restitutione laborasset, & nihil proficeret, uacuis redire compulsus est, & papa scripsit Coloniensibus, ut alium in archiepiscopum eligerent. Qui conuenientes in unum, Engelbertum maioris Ecclesiae præpositum filium comitis Montensis, in archiepiscopum elegerunt, qui præfuit annis ferme decem, uir optimus, cleri amator, & pauperum defensor: quem Fridericus comes de Isenburg consanguineus eius postea crudeliter interfecit.

*Vualterus.*

Eodem anno Vualterus Basiliensis electus, diffamatus quòd non canonicè intrauerit, à papa Innocentio Romam citatus est, qui cū se de obiectis expurgare canonicè non posset, ab eodē fuit depositus: & Henricus per electionem canonicam succedens, confirmatus est. His temporibus multi in occulto fuerunt hæretici utriusq̄ sexus, qui uarios seminauerunt errores in Alemania, Francia, & Italia, quorum plures deprehēsi flammis exusti sunt. In ciuitate enim Argētinenſi hoc anno plus quàm 80. numero fuerunt comprehensi simul una uice, quorum pauci innocentes reperti sunt. Hos frater Conradus de Marpurg, inquisitor apostolicus, iudicio ferri candentis, si negassent hæresin, probare consueuit: & quos ferrum exussisset, uelut hæreticos iudicio seculari tradere comburēdos. Vnde paucis exceptis, omnes qui semel essent accusati, & ad eius examen perducti, per eum condemnabantur ad incendium. Fuerunt qui crederent, eum plures innocenter damnauisse, propterea quod candens ferrum à peccatis nullum reperisset immunem, etiam si nullius hæresis macula unquam infectus extitisset.

*Hæreticorum in  
Alemania combusio.*

Anno Lutfridi abbatis 11. Dominicæ autem natiuitatis 1216, Innocētius papa 3. obiit, post octauas apostolorum: cui Cincius cardinalis quatuor Coronatorum succedens, dictus est Honorius 3, & præfuit annis 10, mensibus duobus.



duobus. Hic ordines Prædicatorum & fratrum Minorum sancti Francisci confirmauit.

Eodem anno Fridericus rex conuentum principum circa initium mensis Maij Nurenbergæ celebrauit, cui interfuit Petrus sanctæ Potētianę cardinalis missus à papa. Ibi Engelbertus Coloniensis electus, per eundem cardinalem confirmatus in archiepiscopū fuit. Item eodem anno Otto quondam Imperator ab omnibus derelictus, præ mentis dolore infirmatus, post multas angustias mortuus est.

*Conuentus principum in Nurenberg  
Otto Imperator obiit.*

Eodem quoq; anno Lutfridus abbas, morbo correptus & senio, post multos labores, quibus huic monasterio satis utiliter præfuit annis 11, & diebus 15, tandem 5 Aprilis in Domino quieuit, uir mitis ingenio & mansuetudinis singularis, qui tam monachus quam abbas in omni tranquillitate & pacetrum conuersatus est, estructuras uarias fecit, & prouentus non minorauit.

*Lutfridus.*

DE EVERHARDO, HUIVS MONASTERII ABBATE XXIII.

*qui præfuit annis 15. & de uarijs gestis illius temporis in Alemania.*

**V**Enerabili abbate Lutfrido uia uniuersæ carnis ingresso, & tradito iuxta morem ecclesiasticæ sepulturæ, convenientes in unum fratres pastore uiduati, de noui abbatis electione tractare cœperunt. Qui eadem post maturam inter se deliberationem præhabitam, inuocata prius gratia spiritus S. unanimi consensu in abbatem huius monasterij tertium & uigesimum elegerunt, dominum Euerhardum monachum huius conuentus professum, uirum integerrimum, scientia & moribus clarum: qui electus canonicè, ac per Conradum episcopum Spirensem confirmatus, & secundum consuetudinem solenniter ordinatus, præfuit huic monasterio strenuè annis 15, & aliquot diebus. Oriundus autem ex Sueuia, literis & nobilibus parētibus procreatus, in pueritia sua ad discendum literas ab eisdem positus fuit, qui proficiens cum ætate in omnibus studijs bonarum artium doctus euasit. Deinde ueniens ad conuersationem, monachus factus est, & inter fratres omni tempore religiose ac laudabiliter conuersatus. Fuit enim uir optimus, & magno dignus honore, ingenio excellens, consilio profundus, promptus & circumspectus, sermone tam Latino quam Alemanico disertus, & innata quadam authoritate reuerendus. Ordinatus autem abbas anno præscripto Dominicæ natiuitatis millesimo ducentesimo decimosexto, indictione 4, in mense Aprili (sicut diximus) moribus & uita se utilem exhibere pastorem omnino studio curauit, non minus exemplo quam uerbo subiectos suos instituens ad obseruantiam regularem, quam summopere & auxit & continuauit. Tam enim studiosus & diligens fuit circa obseruantiam monasticæ disciplinæ, ut ab his qui uitam eius internam nescirent, nullam de temporalibus habere curam uideretur, tam autem sollicitus & circumspectus in ordinandis exterioribus rebus pro cœnobij ac fratrum utilitate, ut eum uacare internæ conuersationis spiritu nullatenus potuisse palàm testareris. Totus namque fuit intentus obseruantia regulari, totus internus, totus integer ac deuotus, & circa fratrum conuersationes tam sollicitus & circumspectus, ut omnium pastor uerus & diceretur & esset. In cura etiam rerum temporalium multum diligens & prouidus extitit, & substantiam monasterij tempore sui regiminis non mediocriter augmentauit. Apud regem Fridericum ducem Sueuiæ & alios principes, propter sapientiam, doctrinam & morum honestatem in magna reuerentia habebatur, & sæpius consilijs eorum interfuit.

*Euerhardus.*

*Genus & uita Euerhardi.*

Vnde

*Contra præpositum Rothensem adio.*

*Victor abbas contra rebellem euasit.*

*Libertatem fuit acerrimus.*

*Lupoldus.*

*Concursum principum ad terram sanctam.*

*Damiata capitur à Christianis.*

Vnde anno regiminis sui septimo (sicut ibi dicemus) confirmationem priuilegiorum monasterij à Friderico Imperatore secundo præfato, cum ampliori gratia obtinuit, & familiari amicitia illi iunctus fuit. Magnam suo tempore cum episcopo Augustensi pro defensione priuilegiorum ac libertatū præposituræ suæ in Rothen dissensionem habuit, contra quem iure triumphauit. Præpositus enim Rothensis, ab antiquo abbate Hirsaugiensi semper immediate pleno iure subiectus, nescio quo spiritu seducente in superbiam eleuatus, eius obedientiam subterfugere cupiens, præfatæ Augustensis ecclesie pontificem inuocauit: se non abbati, sed episcopo immediate subesse, more cæterorum abbatum diocæsis existimans. Huius præpositi temeritatem abbas Euerhardus iniquo ferens animo se constanter opposuit, & coram præfato episcopo totoque capitulo Augustensis ecclesie per sententiam gloriose triumphauit. Visis enim iuribus & priuilegijs monasterij Hirsaugiensis, ibidem ab omnibus fuit declaratum, præpositum in Roth non episcopo, sed abbati huius monasterij pro tempore existenti, sine aliquo medio esse subiectum: ita uidelicet quod institutio & destitutio illius, secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti abbatem solum respiciat, & de ordinatione eius nemo se alius quicumque aliquatenus intromittat. Fuit enim abbas Euerhardus iurium, libertatum, priuilegiorum, rerum & bonorum monasterij sui defensor acerrimus, nec unquam sustinere aliquam eorundem passus est uiolationem. Constans erat animo, nec facile poterat ab iniuriantibus superari: quippe quem & prudentia reddidit in agendis prouidum, & innata benignitas cum humili patientia in sufferendo gloriosum.

Anno Euerhardi abbatis primo, dominicæ natiuitatis 1217. obiit Lupoldus episcopus Vuormatiensis, de quo Cæsarius monachus Heisterbacensis in secunda Dialogorum suorum distinctione, nono capite, mentionem facit, improbæ conuersationi illius testimonium perhibens. Quo mortuo Henricus præpositus de Nuhusen, filius comitis, de Saraponte successit, & præfuit annis ferme 17.

Eodem anno rex Vngariæ & Lupoldus dux Austriæ cum multis episcopis, comitibus, & nobilibus, copiosaque multitudine cruce signatorum, in subsidium terræ sanctæ, mare pro Christi amore trāseunt. Similiter Vuilhelmus comes Hollandiæ potentissimus, Georgius comes de Vuide, & Ioannes comes de Spanheim, cum luuano monasterij mei abbate sexto, & alijs multis Teuthoniæ hominibus cruce signatis, ad terram sanctam recuperandam profecti sunt. Inter quos fuerunt etiam Bambergensis episcopus & frater eius dux Merauix, Poppo quoque comes de Henneberg, Ludouicus comes de Ottingen & cardinalis unus apostolicæ sedis legatus.

Anno Euerhardi abbatis 2. natiuitatis autem dominicæ 1218. circa dominicam palmarum, dux Austriæ Lupoldus cum legato papæ, templarijs, & exercitu copioso ad fines Ægypti accedentes, Damiatam ciuitatem opulentissimam aliquanto tempore obsederunt, & turrim quæ dicitur Clauis terræ, iuxta littus Nilii munitissimam, in uigilia sancti Bartholomæi expugnando ceperunt, & postea etiam ciuitatem obtinuerunt, quam tamen non diu retinere potuerunt, sicut in actis eorum legitur.

Eodem anno obiit Bertholdus dux de Zeringen, uir fortis & bellicosus, qui multa in uita sua cum aduersarijs bella commisit.

Eodem quoque anno mare terminos suos in Phrysia transiens & procul egrediens, terram in longitudine circumquaque occupauit, uillas integras deleuit, ecclesias, domos, & castella cum oppidis innumeris subuertit, & plus quam

quàm centum milia hominum consumpsit. Sunt qui scribant, huius dilunij causam fuisse quandam irreuerentiam uenerabili sacramento dominici corporis exhibitam à quodam homine temulento, qui hostias de pixide in manu sacerdotis pugno deiecerat in terram, & hinc diuinā sæuissē ultionem.

*Diluuium.*

Anno Euerhardi abbatis 3. dominicæ natiuitatis 1219, regina ciuitatum Hierosolyma, quæ uidebatur inexpugnabilis, destructa est à Coradina filio Saphadini, foris & intus muri eius cum turribus redacti sunt in aceros lapidum, præter templum Domini ecclesiamq; sancti sepulchri, & arcem quam Turrim Dauid appellant.

*Hierusalē à Sara-  
cenis subuertitur*

Eodem anno Fridericus rex pro benedictione imperiali Romam cum maximo apparatu proficiscitur, & ab Honorio papa circa festum B. Cecilie, in Imperatorem unctus coronatur. Qui ulterius proficiscēs in Apuliam, cum magno suorum exercitu multa ibi bella commisit, & omnem terrā cum Sicilia suo imperio subiugauit. Statimq; inter ipsum & Honorium papam dissensiones subsecutæ sunt, quæ multis annis cum utriusq; partis dispendio durauerunt.

*Fridericus Impe-  
rator coronatur  
à papa.*

Eodem quoq; anno dux Lotharingæ consentiente uel dissimulante, episcopo Argentinenſi cum ualido exercitu intrauit Alſatiam, sumpturus de quibusdam iniuriatoribus suis propositam ultionem.

*Dux Lotharin-  
giæ.*

Anno Euerardi abbatis 4, dominicæ autem natiuitatis 1220, Fridericus Imperator in Apulia cōstitutus, multa cum finitimis Saracenis bella commisit, & pluribus ex eis interfectis, reliquos suo dominio coëgit esse subiectos. Henricus autem filius eius puer decem ferme annorum, per Ottonem Herbipolensem episcopum (cuius tutelæ fuerat commissus) cooperante Engelberto Coloniense archiepiscopo, regnum interea Teuthoniæ, genitore absente gubernare dicebatur.

*Fridericus Impe-  
rator Apulia po-  
titur.*

Eodem anno inter Siphridū archiepiscopū Moguntinum & Conradum comitem Syluestrem de Dune, propter aduocatiam in Heimbach grauis discordia fuit: in tantum quòd archiepiscopus excommunicato illo, terrā eius ecclesiastico supposuit interdicto. Tandem amicis se interponentibus concordia tali modo facta est, quòd comes centum argenti marcis à capitulo Moguntino susceptis, aduocatiam resignauit, & à sententia excommunicationis interdictiq; absolutus fuit.

*Conradus comes  
Syluestris.*

Hoc ipso anno nonis Augusti obiit S. Dominicus, ordinis fratrum Prædicatorum primus institutor, uir incomparabilis sanctitatis.

*S. Dominicus  
obijt.*

Anno Euerhardi abbatis 5, dominicæ natiuitatis 1221, Damiatā ciuitas, quam Christiani summo labore & multi sanguinis effusione anno priore ceperant & possederant, Soldano Babylonie pro liberatione captiuorum in regno suo, & Coradini fratris sui, à Christianis est restituta: quòd factū, peccatis eorum demerentibus nequaquam est dubitandum. Nam Saladinus paulò antè pacem Christianorum postulans, regnum Hierusalem se illis rediturum, ciuitatem ipsam reedificaturum, & Damiatam cum adiacente regione ad uiginti miliaria quietè possidendam concessurum, modò ulterius in terram eius non procederent, promisit, & nunc Christiani, eius gratiam quærunt.

Eodem anno in die S. Margarethæ uirginis & martyris, ciuitas Vuormatiensis igne casuali fuit incensa, & multæ domus, maximè circa forum & plateas circumiacentes, fuerunt exustæ: ita quòd mediā pars urbis ferè consumpta fuit, ecclesia quoq; sancti Pauli similiter fuit exusta, & infinita ciuibus damna illata.

*Vuormatia in-  
cendio crematur.*

Hoc

Hoc ipso anno fratres Minores Vuormatiam primò intrâtes, ordinis sui monasterium ex eleemosynis fidelium ibidem construxerunt.

*Husen cœnobio  
Lymburgensi da-  
tur.*

Anno Euerhardi abbatis 6. dominicæ natiuitatis 1222. Conradus episcopus Spirensis audiens moniales in Husen nostri ordinis iuxta Durckheim, à tramite regularis obseruantia nimium declinasse, uitamq; uiuere improbam & nimis turpem, ipsum earum cœnobium de consensu domini Siphridi archiepiscopi Moguntini, monasterio Lymphurgensi eiusdem ordinis uniuert, & titulum conuentus monialium penitus extinxit: ita ut illis que tunc uiuebant mortuis, nullæ deinceps ibidem susciperentur, & abbas Lymphurgensis per suos monachos secundum loci facultatem & prouentus, pro tempore, diuina ibidem faciat celebrari.

*Henricus fit rex  
Romanorum.*

Eodem anno 8. idus Maij, quæ fuit dominica proxima ante dominicam ascensionis, Henricus filius Friderici Imperatoris 2. ab Engelberto archiepiscopo Coloniensi, ad instantiam patris, de consensu principū, adhuc puer in regem Romanorum consecratus est.

*Terræmotus ci-  
uitates subuertit*

Eodem quoq; anno, tertio idus Ianuarij, mane hora prima diei, magnus in Colonia & circa, terræmotus fuit, & multa ædificia subuertit. In Cypro quoque duæ ciuitates eodem anno ex terræmotu multis extinctis hominibus corruerunt. In Italia etiam & Longobardia maximi & horrendi terræmotus hoc anno fuerunt, in tantum quod homines desertis ciuitatibus, in tentorijs habitabant. Ipsa enim die natalis Domini, & per duas hebdomades sequentes, quasi quotidie bis in Longobardia terræmotus horribilis fuit, qui in multis locis ædificia & ecclesias fortissimas euertit, homines cum sacerdotibus oppressit. Brixiam quoq; ciuitatem ferè totam cum populo subuertit, rupes de montibus euulsit, castra deiecit, & multa milia hominum in diuersis locis miserabiliter occidit. Romæ etiam terra sanguine mixta, uisa est de nubibus pluere.

*Rex Daciæ capi-  
tur.*

Eodem quoq; anno Baldemarus rex Daciæ cum filio suo, à comite Henrico de Scuirnk capitur, & per biennium in Dannenberg castro fortissimo ab eodem custodiae mancipatur & retinetur.

*Abbas Euerhardus  
priuilegium  
impetrat.*

Anno Euerhardi abbatis 7. qui fuit dominicæ natiuitatis 1223, Otto episcopus Herbipolensis, nonis Decembris obiit, cui Theodericus succedens præfuit anno uno, mensibus duobus, diebus 14.

Eodem anno Euerhardus abbas huius monasterij Hirsaugiensis, indulta & priuilegia cum gratia ampliori à Friderico Imperatore secundo impetrauit confirmari, sicut in literis patet, quæ datæ fuerunt apud Precimam mense Ianuario anni præscripti.

Eodem quoq; anno mortua uxore Friderici Imperatoris, prima filia scilicet regis Arragoniæ, desponsatur ei secunda filia Ioannis regis Hierusalem, quam non diu postea duxit in uxorem.

*Pestilentia.*

Hoc ipso anno orta est pestilentia pecorum maxima, quæ quasi per triennium durauit, incipiens ab Vngaria totam Germaniam & Galliam suo infecit squalore, adeo ut uix tertia pars pecorum & iumentorum huic tantæ pestilentia subtracta fuerit.

*Henricus episcopus  
Argentinen-  
sis obiit.*

Eodem quoq; anno obiit Henricus episcopus Argentinen-sis, cui successit Bertholdus uir prudens, defensor & fautor ecclesiæ strenuus. Ipso etiam anno Henricus rex, filius Imperatoris Friderici, curiam principum celebrauit in Northusen, ubi ab Engelberto Coloniensi archiepiscopo pro liberatione regis Daciæ multum laboratum fuit.

Eodem anno Philippus rex Franciæ moriens, centum marcarū & quinquaginta

Quaginta milia in terræ sanctæ subsidium legauit. Hoc ipso quoque anno papa Honorius missis nuncijs circumquaq̃, crucem prædicare fidelibus iubet, denunciâns omnibus, ut post biennium in natiuitate sancti Ioannis Baptistæ cum Imperatore Friderico parati sint mare transire, & terram sanctam iterum liberare.

*Cruce iterum prædicatur ubiq̃.*

Eodem etiam anno Honorius papa tertius, ordinem fratrum Minorum sancti Francisci, tertio calendis Decembris de consensu cardinalium confirmauit, biennio ante mortem eiusdem sancti confessoris Christi.

*Ordo fratrum minorum confirmatur.*

Anno Euerhardi abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1224. obiit Conradus episcopus Spirenſis: cui successit Berengerus de Enthringen, quartus & quadragesimus ecclesiæ Spirenſis episcopus, sexto uidelicet calendis April. & præfuit in ea annis ferme nouem.

*Conradus.*

Eodem anno obiit Theodericus episcopus Herbipolensis, cui Hermannus de Ladenburg succedens, præfuit annis ferme 26. multasq̃ instantias & persecutiones à ciuibus suis sustinuit, propter Fridericum Imperatorem excommunicatum, sed uictoriam semper obtinuit.

*Theodericus.*

Eodem quoq̃ anno circa medium mensis Maij, Henricus rex in Franckfordia curiam principum habuit, ubi nuncijs Imperatoris cum literis eius adfuerunt, denunciâtes eum de Sicilia quantocius in Alemaniam esse uenturum, habiturumq̃ cum principibus consilium de recuperatione terræ sanctæ, ac possessione manu tenendo.

*Conuentum principum.*

Eodem anno Honorius papa legatum misit in Alemaniam Conradum episcopum Portuensẽ S. Ruffinæ cardinalem, qui Coloniam descendens per Sueuiam iter fecit, uenitq̃ cum suis ad Hirsaugiam, & ab Euerhardo abbate & fratribus cum honore suscipitur. Per idem tempus Henricus cum præfato sedis apostolicæ legato, & Engelberto Coloniensi archiepiscopo, ac quibusdam principibus, pro liberatione regis Daciæ ac restitutione terræ imperij ab eo iniuste possessæ, in Saxoniam profectus est: ubi per biennium à comite de Scuirin Henrico in firmissimo castello Dannenberg, idem rex cum filio suo captus tenebatur. Venientes autem ad Aluiam fluuium prædicti comites Hermannum magistrum hospitalitatis Teuthonicorum, qui ab Imperatore in Teuthoniam missus fuerat, causa reconciliationis & compositionis faciendæ inter utrosq̃, regem uidelicet & comitem, præmittunt. Quo mediante, inductus est idem rex, ut omnem terram ablatam imperio redderet, coronamq̃ regni Daciæ de manu Imperatoris suscipere, & insuper ceterum milia marcarum pro sui liberatione dare promitteret. Quod cum principes acceptarent, qui cum rege præsentibus aderant, Albertus comes de Vrlamunda, filius sororis regis, & Barones Daciæ hanc compositionem reprobantes, & ea quæ promissa erant cassantes, ascensis nauibus cum indignatione recesserunt, infinitam pecuniam quam ad redimendum regem attulerant, secum deferentes. Et præfati principes, infecto negotio confusi, ad propria redierunt.

*Conradus legatus apostolicus.*

*Henricus rex Saxoniam intrat.*

*Hermannus Magister hospitalitatis.*

*Rex Daciæ.*

*Comes Albertus de Vrlamunda.*

Anno Euerhardi abbatis 9. dominicæ natiuitatis 1225, Henricus rex filius Imperatoris Friderici secundi, curiam principum in Franckofordia celebrauit, in qua multa tractauit.

*Conuentus principum.*

Eodem anno post natale Domini, Albertus comes de Vrlamunda præscriptus, congregato exercitu Henricum comitem de Scuirin aggredi statuit, cui Henricus occurrit, pugnaq̃ commissa cum magna animositate ac multorum sanguinis effusione, ab hora diei prima usq̃ ad uesperam dimicatum est multis ibi cadentibus, ibi etiam comes ipse Albertus cum multis nobilibus Daciæ à

*Bellum inter duos comites.*

comite Henrico captus est, & in castro Dannenberg custodiae mancipatus.

*Fames magna.*

Hoc ipso anno erat hyems longissima & asperissima, Fames etiam magna & inaudita, per biennium durans, in omni prouincia fuit.

*Siphridus.*

Eodem quoque anno idibus Septembris obiit Siphridus archiepiscopus Moguntinus, eius nominis secundus, cui successit Siphridus tertius, & praefuit annis uiginti quatuor, uir magnarum uirtutum & actionum, qui tantae constantiae fuit, ut iussu papae Fridericum Imperatorem publice denunciaret excommunicatum, & persequeretur.

*Engelbertus.*

Eodem anno Engelbertus archiepiscopus Coloniensis, a Friderico comite de Isenburg, fratris sui filio, octo & triginta uulneribus acceptis crudeliter occisus est. Cuius cadaver in maiori ecclesia Coloniae sepultum, mox infinitis miraculis clarescere cepit. Sed interfectore non multo post ante muros rotato, statim miracula cessarunt. Huic in archiepiscopatu successit Henricus de Molenarck Bonnensis praepositus, & praefuit annis 12, qui castrum Isenburg destruxit.

*Henricus rex ducit uxorem.*

Eodem quoque anno Henricus rex Romanorum, filius Imperatoris Friderici secundi, uxorem duxit filiam Lupoldi ducis Austriae, & nuptiae in Nurenberga, cum magna solennitate celebratae fuerunt, ubi sententia capitalis data fuit contra occisorem archiepiscopi Coloniensis.

*S. Franciscus moritur.*

Anno autem Euerhardi abbatis 10, qui fuit dominicae natiuitatis 1226.

*Kirsgartē monasterij fundatio.*

S. Franciscus ordinis fratrum Minorum institutor & princeps, 4 nonas Octobris in Domino quieuit, & biennio postea sanctorum catalogo per Gregorium papam nonum adscribitur. His temporibus Henricus episcopus Vuormatiensis coenobium monialium Cisterciensis ordinis in Kirsgarten extra moenia ciuitatis a fundamentis erexit, moniales imposuit, quibus de necessarijs prouidit. Verum post annos 217, Fridericus episcopus Vuormatiensis expulsis (propter enormitatem uitae) monialibus, regulares sancti Augustini canonicos de obseruantia Vuindeshemensis ad locum earum reposuit, qui locum ipsum inhabitant cum profectu usque in praesentem diem. Inter Henricum praefatum episcopum & ciues Vuormatienses, propter libertatem ecclesiasticam grauis dissensio oritur. Qui cum eius mandato obtemperare contemnerent, supposuit ciuitatem interdicto ecclesiastico, clerum quoque omnem, praeter plebanos, urbem exire praecipit: districtè plebanis interdicens, ne sacramenta conferrent infirmis, nisi promitterent pontifici se uelle obedire in omnibus, si conualuissent. Neque sepeliri corpora mortuorum ad sancta loca permittebantur. Cum autem haec mala ad anni spatium durassent, quidam ex ciuibus taedio malorum affecti, ad partes episcopi declinare coeperunt. Quod uidentes qui consulatui praeerant, ac metuentes experiri peiora, pacem admiserunt.

*Longobardorum collegium contra imperium.*

Eodem anno Longobardi ad suggestionem Honorij papae contra Fridericum Imperatorem rebellantes, collegium fecerunt, quod Longobardorum multo tempore est uocitatum, in detrimentum non paruum Rom. Imperij, ac recuperationis terrae sanctae impedimentum.

*Honorius papa obiit.*

Et eodem anno ipse papa Honorius 3, obiit, cui Gregorius nonus successit, & praefuit annis quatuordecim, mensibus tribus.

*Conuenus principum magnus.*

Anno Euerhardi abbatis 11, dominicae autem natiuitatis millesimo ducentesimo uigesimo septimo, Henricus rex filius imperatoris circa dominicam passionis Aquisgranum ueniens, celeberrimam curiam principum ac nobilium totius ferè Teuthoniae habuit: inter quos fuere praecipui, Moguntinensis, Treuerensis, Coloniensis, & Saltzburgenensis archiepiscopi, cum episcopis multis Bauariae,

Bauariæ, Austriæ, Carinthiæ, Brabantiæ & Lotharingiæ duces, Henricus comes Palatinus Rheni, Landgravius Thuringiæ, comes Flandriæ, qui per annos duodecim Parisios in captiuitate à rege Fraciæ detētus fuerat, & priori anno absolutus, cum multis alijs comitibus atq; nobilibus. In hoc uero cōuentu principum, uxor Henrici regis Rom. filia Lupoldi ducis Austriæ, in reginam consecrata fuit ab Henrico Coloniensi archiepiscopo, & cum magna solennitate in sede regali iuxta regem locata.

*Regina coronatur Aquisgran.*

Eodem anno in die S. Mariæ Magdalenæ, rex Daciæ præuaricator fidei ac iuramenti, priore anno pro absolutione sua præstiti, uindicare se parat: & contracta infinita multitudinē armatorum, Hēricum comitem de Zuuirin bello lacepsit: à quo, adiutorio archiepiscopi Bremensis & Alberti ducis Saxonie superatus, per fugam uix euasit, quatuor milibus uirorum ex sua parte interemptis, multisq; captis ex Danis.

*Rex Daciæ in bello superatur.*

Eodem quoq; anno electa expeditio cruce signatorum ab omnibus Europæ partibus mora, cassatur & dissipatur, Friderico Imperatore (sicut dudum promiserat) non transfretante. Ob quam causam, à papa Gregorio nono fuit excommunicatus, quem archiepiscopus Moguntinus denunciavit. Multi tamen principes Alemaniæ, comites, duces, barones & nobiles, non obstante Imperatoris contumaciâ, mare transire parant. Inter quos fuerunt Ludouicus Thuringiorum Landgravius quintus, primus Marchio Misnensis, maritus S. Elisabeth de Marpurg, princeps pijsissimus, qui tertio iduum Septembris obiit in quadam ciuitate Siciliæ, Ortrant nuncupata: cuius ossa in Thuringiam relata, in Reinhartzbron monasterio nostri ordinis sepulta sunt. Ludouicus etiam de Castele, Ludouicus senior de Stolberg, & episcopus Augustensis, qui & ipse in itinere mortuus est, non sine suspitione intoxicationis.

*Fridericus Imperator à papa excommunicatur.*

*Ludouicus maritus S. Elisabeth.*

Hoc ipso quoq; anno Bertholdus episcopus Argentinenfis, Bernstein castrum obsidione cingens expugnauit & post mensem obtinuit.

*Bernstein captum.*

Eodem anno dominus Henricus comes Palatinus Rheni, & dominus Brunswicensis in Saxonia, Gertrudem filiam suam Ottoni Bauariæ duci dedit uxorem, cum qua Palatinatus postea deuenit ad Bauaros.

*Henricus comes Palatinus.*

Anno Euerhardi abbatis 12. dominicæ autem natiuitatis 1228 Fridericus Imperator iam dudum per plures annos cruce signatus, iter transmarimum tandem cum multis alijs principibus arripuit, quem Gregorius papa nihilo minus interea excommunicatum per totam Alemaniam denunciari fecit, maximè per fratres Prædicatores.

*Imperator Fridericus mare transfecit.*

Eodem anno Odacharus & Vuentzeslaus reges Bohemiæ tale priuilegium dederunt ecclesiæ Moguntinæ, quod consecratio regum Bohemiæ ad archiepiscopum Moguntinum perpetuis futuris temporibus debeat pertinere: quod multis annis ita fuit obseruatum, quousque tandem per quendam archiepiscopum Moguntinensem hoc ius ecclesiæ Pragensi uenditum est.

*Regū Bohemiæ coronatio ad archiepiscopū Moguntinū pertinet.*

Anno etiam prænotato grauis dissensio orta est inter Bertholdum episcopum Argentinensem, & cognatos eius comites de Pfirrite, quæ dum magis ac magis per dies inualesceret, tota penè prouincia per triennium ferme uastata, incēdio & rapinis patuit prædonū. Post multas igitur iniurias suscepras episcopus suorū collecto exercitu, una cū Alberto comite de Habsburg, qui & ipse damna multa sustinuerat, parauit se ad resistendū. Comites ergo Pfirritenses in auxilium habentes Egeonnē comitē de Friburg, & ciuitates imperiales inter Bladoltsheim & Hirnfeld, cū maximo exercitu occurres

*Bellum inter episcopum Argentinensem & comitem de Pfirrite.*

episcopo, facta congressione, ab eo uicti sunt, multis eorum occisis, alijs uulneratis, alijs in captiuitatem abductis.

*Hierusalem Christi-  
aniana traditur.*

*Dissensio inter  
papam & Impe-  
ratorem.*

Anno Euerhardi abbatis 13. dominicę autem natiuitatis 1229. ciuitas sancta Hierusalem cum quibusdam castellis, per Fridericum Imperatorem secundum, sub certis conditionibus à Soldano Ægyptiorum sine omni congressu aut sanguinis effusione recuperata est, & in manibus Christianorum denuò tradita. Ipse autem Imperator Fridericus, in dominica Letare Hierusalem, coronatus intrauit, factisq; cum Saracenis treugis per decennium, altera die ad naues profectus, in terram suam reuersus est. Cùm autem Siciliã intrasset, reperit multa oppida, castella & munitiones ad partes papę declinasse, quę omnia in manu Teuthonicorum ualida recuperans, quędam ex eis funditus euertit, & ex eo tempore graues inter ipsum & papam inimicitię factę sunt.

Anno autem Euerhardi abbatis 14. qui fuit dominicę natiuitatis 1230. inter Henricum regem comitesq; de Pfirrit & Bertholdum Argentinensem episcopum, concordia facta est, & siluit terra à tumultu bellorũ: sed purgari furibus & latronibus non potuit, qui noctu monasteriorum & ecclesiarum ianuis fractis (cùm assueti essent uiuere de rapinis) quicquid inuenire poterant, clam auferebant.

*Rex Legionis im-  
pugnat Sarace-  
nos.*

*Maiorica capitur  
à rege Arrago-  
nię.*

Eodẽ anno in Hispania rex Legionis & filius eius rex Castellę arma contra Saracenos sumentes, magnam terrę partem occupant, ciuitatem Emeritanam cum multis castellis de manibus eorum potenter capiẽtes. Rex quoque Arragonię hoc ipso anno in insulam Maioricam, quę regnum olim fuit, multis annis à Saracenis possessam, armata manu cepit, regem ipsius cum tota domo regia captiuum abducit, & in insulam suis militibus Christianis tuendam commisit, & multa spolia abducit.

Eodem quoq; anno dissensio inter archiepiscopum Coloniensem & ducem de Limpurg oritur, propter aduocatiã monasterij Sigenbergensis nostri ordinis, quam uterq; ad ius suum pertinere contendebat: unde incendia & rapinę sequuntur in circuitu terrarum utriusq;, donec tandem per Henricum regem treugę fuerunt interpositę.

*Imperator absol-  
uitur.  
Lupoldus dux.*

*Longobardorum  
heresis detegitur*

*Errores eorum.*

*Maxima eorum  
multitudo fuit.*

Hoc ipso anno Fridericus Imperator à papa Gregorio, ad instantiam Lupoldi ducis Austrię absolutus, & communioni ecclesię restituitur, qui dux tractatu pacis peracto, apud S. Germanum in Campania moritur, cuius uiscera & carnes in domo capitulari monasterij Cassinensis nostri ordinis sepulta sunt, ossibus in Austriam relatis. Hoc tempore hæreticorũ multorum qui diu in occulto latuerant in Alemania, Italia, & maxime in Longobardia, fuit detecta impietas, & complures ex eis igne combusti sunt. Sectam Nicolaitarum profitebantur, erantq; eis matres, uxores & filię omnibus semper communes. Ecclesiam & praelatos contemnebant: carnes etiam in quadagesima manducabant: & multa mala faciebant, in errorem suum trahentes occultè quoscunque potuissent. Singulis annis ex Alemania, Gallia, & Italia censum annalem transmittere Mediolanum, ubi diuersarum heresium & errorum primatus agebatur, solebant. Capti autem quidam ex eis in ciuitate Argentinenſi, coram omni populo & clero confessi publice fuerunt, quòd tantus errorum esset numerus in omni loco, ut si quis ex eis à Colonia ire Mediolanum statueret, omni nocte hospitem secta eorum inueniret, in cuius domo omnia essent communia, mater, uxor, & filia: habebantq; signa paruula circa ianuas domorum, aut supra tecta, per quę habitationes complicum suorum inuenire poterunt.



Anno Euerhardi abbatis decimo quinto, qui fuit dominicæ natiuitatis 1231. Ludouicus dux Bauarię rediēs à partibus trãsmarinis, cum uenisset ad Kelheim, à quodam nuntio Vetuli de Montanis ad hoc misso, in conspectu familiæ suæ cultro transfossus occisus est, Friderico hoc nefas procurante Imperatore, ut ferebatur. Nam prædictus Vetulus de Mōtanis, princeps Saracenorum Imperatori confœderatus, multas iniurias quas idem dux Imperatori intulerat, uindicare uolēs, seruum suum in necem eius destinauit. Et Imperator contra ducem inimicum gerens animum, ipsum in rebus & persona paulò antè defœdauerat, misso ad hoc nūcio speciali. Porrò Saracenus ille qui ducem occiderat, mox à familiaribus eius gladijs discerptus, interemptus est. Corpus autē ipsius ducis in Bauariã relatum, in monasterio Scheuerin nostri ordinis sepultum est. Huic Ludouico in ducatu Bauariæ Otto filius eius successit, qui habuit uxorem Gertruden filiam Henrici comitis Palatini Rheni Heidelbergæ commorantis, cum qua ipsum Palatinatum post obitum soceri obtinuit, & ducatu Bauariæ coniunxit usque in præsentem diem. Genuit autem ex ea duos filios Henricum & Ludouicum, de quibus postea suo loco dicemus.

Ludouicus dux  
Bauariæ occidi-  
tur.

Otto dux Pava-  
ri & fit comes Pa-  
latinus Rheni.

Eodem anno 3. calendas Decemb. obiit S. Elisabeth filia regis Hūgaricæ, uxor Ludouici Pij Thuringiorum ac Hassionum Landtgrauij quinti, mulier multarum uirtutum & sanctissimæ conuersationis, sepulta in Marpurg oppido Hafsia, quæ statim infinitis miraculis clarescere cœpit. Eius gesta diffuse conscripta sunt. Sanctus quoq; Antonius de Padua, ordinis Minorum, discipulus B. Francisci, uir doctus atq; sanctissimus hoc ipso anno decessit.

S. Elisabeth in  
Hafsia moritur.

S. Antonius Pa-  
duanus.

Eodem quoq; anno Euerhardus huius monasterij Hirsaug. clarissimus abbas post multos labores pro defensione iurium & libertatum loci habitos, in Domino quiescit, uir æterna memoria dignus, qui monasterio tempore sui regiminis per omnia bene fecit. Ornauit ecclesiam, ædificia plura consummauit, ampliauit redditus, libertates & iura monasterij constantissimè manu tenuit: & quod maius est, omnibus regularis disciplinæ obseruantiam tam in se, quàm in subditis studiosissimè conseruauit, uerbo & exēplo se gregi formam bonorum operum exhibens, pro quibus eum credimus in cœlo gloriosum. Obiit autem uir iste gloriosus. penultima die mēsis Decembris, posteaquã præfuit annis 15. mensibus 8. & diebus 20. anno ætatis suæ quinto & sexagesimo, sepultus in maiori cœnobio cum reuerentiã & honore, non sine lachrymis multis filiorum quos reliquit.

Euerhardus obiit

DE ERNESTO, HUIVS MONASTERII ABBATE XXIIII.

qui præfuit annis 13. mense uno, diebus tribus,  
uarij q; gestis illius temporis.

Post mortē reuerendissimi ac deo dilecti abbatis Euerhardi, conuenientes in unum fratres huius monasterij, ultima die mēsis Decembris, quæ fuit altera dies post obitum pastoris, habere inter se tractatum de substituendo nouo abbate necessarium cœperunt. Præmissis igitur orationibus consuetis, tandem unanimiter elegerunt Ernestum quendam huius cœnobij monachum, qui maioris cellarij aliquandiu gessit officium, uirum bonum, & honestis in Sueuia parentibus ortum, qui à Berengero Spirensium episcopo ordinatus in abbatem, huic monasterio præfuit annis 13. mense uno & diebus tribus. Erat autem (sicut diximus) uir bonus & honestæ conuersationis, plus tamen ad temporalia quàm ad monasticæ disciplinæ obseruantiam inclinatus. Vnde factū est, ut disciplinæ integritas sub eo paulatim deficeret, eo minus curate interiora fratrum, sed externa potius sectate. Substantia uerò

Ernestus fit ab-  
bas.

Vita & mores  
Ernesti abbatis.

monasterij temporalis sub eo bene fuit conseruata, propterea quòd in ordinatione rei familiaris satis esset expertus, & in cura negotiorum temporalium singulari attentione sollicitus.

*Fridericus Imperator.*  
*Tentorium mirae fabricatum.*  
 Anno Ernesti abbatis primo currente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1232, Fridericus imperator ad Rauennam manens, bellum contra Longobardos molitur, sed non profecit Longobardis uiam præcludentibus regi Henrico filio eius ac militiæ Germanorum, quam ad se Imperator Rauennam uocarat. Hoc ipso anno Soldanus Babylonie Imperatori misit tentorium mirabile arte constructum, in quo imagines solis ac lunæ artificialiter motæ, cursum suum certis & debitis spatijs peragebant, horasque diei noctis infallibiliter indicabant. Cuius tentorii ualor quinque milium florenorum precium transcendisse dicebatur.

*Bellum inter Moguntinum & Landtgrauium.*  
 Eodem anno inter Siphridum archiepiscopum Moguntinum & Conradum Landtgrauium Hafsie, bellum perniciosum oritur, in quo ipse Landtgrauus Moguntinæ ecclesiæ multa damna fecit. Oppidum Firslariense capiens quasi funditus euertit. In eodẽ quoque bello Henricus episcopus Vuormatiensis, & omnes penè canonici præfati oppidi ab ipso Landtgrauio capti fuerunt. Tandem inter eos concordia facta est.

*Principatus monasterij Lorf. auferitur ab eo.*  
 Eodem quoque anno Fridericus Imperator secundus, principatum monasterij nostri ordinis, non longe à Vuormatia, quod dicitur Laurissa, cum omni honore, uasallis, ministerialibus, oppidis, castris, uillis, iuribus, prouentibus & attinentijs suis, quem abbas eiusdem loci semper habere consuevit, de ipso monasterio abstulit: eumque Siphrido archiepiscopo, & ecclesiæ Moguntinæ in perpetuum donauit, cuius ualor pretium ceterum milium florenorum excedit: quam donationem Gregorius papa nonus, ad instantiam archiepiscopi confirmauit, mandans ei, ut expulsis inde monachis nostri ordinis, Cistercienses in locum eorum reponat. Quod cum fecisset, dolentes nostri se de monasterio suo tam iniuriose per archiepiscopum expulsos, quadam nocte auxilio freti amicorum, ad cœnobium reuertuntur, & monachos Cisterciensis ordinis ibidem repertos, nil tale metuentes, inuadunt, percutiunt, uulnerant, & de cœnobio expellunt, ipsumque locum rursus inhabitare cœperunt. Sed non post multos dies superueniens episcopus, in manu ualida iterum eos de monasterio expulit, & Cistercienses suos denuò reuocauit.

*Cistercienses per nostros pelluntur.*  
 Et ecce quadam nocte sub matutinis cum se Cistercienses crederent esse securos, iterum nostri cum amicis suis ad Laurissam ueniunt, eos denuò inuadunt, cedunt, percutiunt, & iterum expellunt, protestantes se omnes interempturos, si denuò ad ipsum cœnobium Laurissense præsumperint reuerti. Ab ea itaque die non amplius poterant induci Cistercienses, ut ad Laurissam reuenterentur. Vacauit ergo aliquandiu monasterium, cum nec illi, nec nostri se tutò ibidem posse manere cernerent. Tandem Innocentius papa quartus archiepiscopo Moguntino præfato mandauit, anno pontificatus sui 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1246. quatenus monachos cuiuscunque ordinis aut certe canonicos seculares ad cœnobium reponeret, ne diutius uacuum remaneret. Qui consilio accepto, monachos Præmonstratensis ordinis de monasterio omnium sanctorum Argentinensis diocesis ad se uocatos, conuentum ex eis in præfato monasterio instituit, quibus præpositum pro rectore dedit. Et sic nobilis illa Laurissensis monasterij famosa quondam ac notabilis abbatia, sacro ordini nostro ablata, in manus aliorum data est, & principatus eius minus iuste (ut multis uisum fuit) Moguntinæ ecclesiæ traditus, cum nostri ordinis plures potuissent inueniri religiosi, prudentes, no-

*Præmonstratenses Laurissam inhabitant.*

tes, nobiles, ac potētia uiri insignes, qui ipsum cœnobium in utroq; statu reformassent. Hoc monasterium Laurishaimēse, Cancor comes Rheni, filius Ruperti comitis, tempore Pipini regis Francorum, patris Caroli Magni, anno domini 764. construxit & magnificè dotauit. In quo postea S. Ermenoldus huius monasterij Hirsaugiensis monachus, & B. Vulihelmi abbat̄is discipulus, tempore Henrici Imperatoris quinti abbas factus est: licet ipsam abbatiam propter conscientiāe scrupulum resignauerit, & translatus in Bauariam primus abbas monasterij sancti Georgij in Brunfeningen ordinatus sit, ubi multis signis & miraculis claruit, ut in uita eius legitur.

*Quis & quomodo fuerit fundatū S. Ermenoldus.*

Hoc anno æstas fuit sicca & calidissima, uinum creuit optimum.

Anno Ernesti abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1255. Fridericus Imperator Messanam ciuitatem Siciliae sibi rebellantem uiolenter cepit, & omnes rebelles suos in ea igne cremauit.

Eodem tempore in Alemania multi nobiles & ignobiles, clerici, monachi, moniales inclusæ, Burgenles ciues, & rustici, à quodam fratre de Marpurg ordinis prædicatorum (qui generalis inquisitor hæreticorum fuerat à sede apostolicæ constitutus) per diuersa Teuthoniae loca ignis supplicio nimis præcipiti sententia, ut multis tūc fuit uisum, sub heresis nomine sunt ad dicti. Nam, ut quidā scribit, eodem die quo quis accusatus est, siue iustus, siue iniustus, nullius appellationis, nullius defensionis sibi refugio proficiēte, dānatus & crudelibus flammis iniectus est. Inter multos autem qui tum accusabantur, delatus est ad eum comes Seynensis super hæresi falso infamatus, pro cuius expurgatione seu defensione rex Henricus conuentū multorum principum apud Moguntiam habuit. Ob quam causam frater Cōradus, huius in Alemanos persecutionis minister & author, in odium multorum nobilium ac ignobilium deuenit, & à Moguntia discedens cum saluo conductu Henrici regis & archiepiscopi domini Siphridi, nihilominus non longè à Marpurg, à quibusdam nobilibus nullum locum ueniae uel gratia apud ipsum inuenientibus, in itinere fuit occisus. Cuius cadaver in Marpurg iacet humatum.

*Multi in Alemania comburuntur hæretici.*

*Frater Conradus de Marpurg.*

*Comes Seynensis accusatus fuit*

*Frater Conradus occiditur.*

Eodem tempore Henricus rex, de Moguntia cum principibus exiens, in manu ualida intrauit Bauariā, habēs in exercitu suo sex milia hominum pugnantium, quos contra ducem Bauariae in campis Lici fluminis prope Augustam Rhetorum produxit ad bellum, & in breui ipsum ducem cum tota Bauaria in deditiōem accepit. Interea uerò dum hæc agerentur in Bauaria, Theodericus de Montbelgard, fines Alsatia cum armatis intrauit contra abbatem de Murbach, qui ipsum priori anno captiuauerat. Et iam comes quibusdam captis cum præda cœpit abire, cū ecce clamor exoritur, populus terræ fugientes insequitur: comes cum multis denuò capitur, & custodia pontificis Argentinenſis mancipatur. Quem episcopus de expeditione Bauarica reuertens, cautione accepta liberum abire permisit.

*Theodericus comes de Montbelgard.*

Eodem quoq; anno episcopus Curiēſis à quibusdam nefarijs occiditur.

Anno etiam prænotato obiit Berengerus episcopus Spirenſis, cui successit Conradus de Than, fuitq; quintus & quadragesimus in ordine episcoporum Spirenſium, & præfuit annis ferme quatuor satis utiliter.

*Berengerus.*

Hoc ipso anno 3. calendas Martij, facta est concordia inter episcopū & ciues Vuormatienses in oppido Franckofordensi, per Siphridum archiepiscopum Moguntinum, Conradum supra dictum episcopum Spirensem, & Marchionem de Baden, iussu & mandato Henrici regis filij Friderici Imperatoris.

*Vuormatienses.*

*Cruce prædicatur  
contra Stadingen-  
ses.*

Anno autem Ernesti abbatis 3, qui fuit dominicæ natiuitatis 1234. Gregorius papa nonus crucem fecit prædicari contra Stadingenses populos in confinibus Phrysiæ & Saxoniam sitos, in uis paludibus, fluminibus circumcinctos, qui pro inobedientia suisq; excessibus & subtractione decimarum, multis annis à sede apostolica excommunicati & interdicti, contemptores clauium ecclesiasticarum extiterant, & plures cum episcopis, comitibus & alijs nobilibus uicinis confligentes, frequenter uictores & raro uicti fuerunt. Verum exercitu cruce signatorum contra eos ueniente superati & uicti sunt, & plus quam duo millia ex eis interempti, reliqui ad uicinos Phrysones fugerunt, & cessauit confœderatio eorum contra ecclesiam.

*Stadingenses ui-  
di trucidantur.*

Eodem anno ciuitas Vuormatiensis igne casuali succensa, ex magna parte combusta fuit, non sine multorum ciuium damno irrecuperabili. Hoc incendium 10. calendas Iulij in monte cœpit, & biduo durauit.

*Henricus Vuor-  
matis.*

Eodem quoq; anno pridie idus Septembris obiit Henricus de Sarapote Vuormatiensis episcopus, in medio chori maioris ecclesiæ suæ cum honore sepultus, cui Landolphus successit, & præfuit annis 13. qui moniales ordinis nostri de cœnobio Nonnenmonster, uulgariter dicto, in suburbio ciuitatis, propter inordinatam uitam ipsarum expulit, & alias de Cisterciensi illuc introduxit, quæ & ipsum locum inhabitant, usq; in præsentem diem, ut uidemus.

*Nonnenmonster  
nostri ordinis  
transfertur.*

*Henricus rex ad-  
uersus patrem  
conspirat.*

Hoc etiam anno Henricus rex conuentum quorundam principum in Bopardia conuocauit, ubi accepto prauorum consilio, contra patrem suum Fridericum secundum, conspiracy fecit in sui ipsius perniciem, & periculum plurimorum. Ex eo autem die quoscunque potuit, minis, precibus & promissionibus sollicitare cœpit, ut se, relicto patre sequeretur, multosq; obtinuit. Vuormatienses autem reliquos, qui propter iusiurandum noluerunt à patre deficere, multis iniurijs longo tempore tribulauit. Videns hoc Marchio Badensis fidelis Imperatoris, in Siciliam proficiscitur ad Imperatorem, suggerens ei, ut quantocius in Alemaniam reuertatur, alioquin & patria periclitaretur, & ipse perderet imperium, principibus cum filio aduersus eum conspirantibus. Imperator autem hoc nuncio audito, Marchione ad Alemaniam præmisso, se quantocius uenturum promisit. At uero Henricus rex filius Imperatoris ægrè tulit, patrem super his quæ commiserat informatum, eiusq; consilio in Alemaniam esse reuersurum. Vnde collecto exercitu suorum, fines illius ingreditur, & mala in eum gradia machinatur. Marchio autem certus de Imperatoris aduentu, se suosq; fortiter defendit, & exercitum regis fugauit.

*Marchio Baden-  
sis Imperatorem  
reuoocat.*

*Rex marchionem  
persequitur.*

*Comes Hollandie*

Eodem anno comes Hollandie in torneamento quodam apud Corbiam, in diœcesi Ambianensi, suffocatus miserabiliter interiit & expirauit. Item hoc ipso anno Fridericus comes de Pfirith, in captiuitate positus, à proprio filio suo crudeliter occisus est, post longam carceris inedia.

*Comes de Pfir-  
rih.*

*Henricus rex fi-  
lius Imperatoris*

Anno Ernesti abbatis 4, qui fuit dominicæ natiuitatis 1235. Henricus rex filius Imperatoris audiens patrem breui in Alemaniam esse uenturum, ac metuens eum, cœpit sibi adsciscere amicitias principum ac ciuitatum, incipiensq; à Basilea, ab omnibus ciuitatibus quibus erat cœfœderatus in Alsatia obsides accepit, ad cautelam, ne ab eo Imperatore ueniente resiliirent, sed cum eo aduersus patrem in coniuratione cœpta usq; ad finem firmi persisterent. Imperator autem circa natiuitatem Ioannis Baptistæ de Apulia reuertens, per Austriam uenit in Alemaniam, Qui mox iniurijs suis per omne regnum missis, conuentum indixit principibus ad festum Assumptionis beatæ

*Imperator de A-  
pulia uenit in  
Alemaniam.*

beatæ Mariæ semper uirginis in Moguntia celebrandum. Interea Henricus rex qui propter metū patris morabatur in Driuelis munitissimo castro, persuasione Hermāni Magistri hospitalis Teuthonicorum, uenit ad patrem, 6. nonas Iulij in Vuormatia, cum certis principibus existentem. Qui statim posuit eum in custodiam, primò Vuormatiæ, in domo quadam firmissima circa ecclesiam sancti Andreæ Apostoli: deinde in castro Heidelbergensi, sub custodia Ottonis comitis Palatini Rheni ac Bauariæ ducis. Postea de Heidelberga ductus fuit ad Altzeiam, & in postremo Siciliam missus in arcta custodia usq; ad mortem, per annos quinq; detentus est: Deo meritis eius uicem reddente, qui nobile regnum Alemanie p̄donibus fecerat esse commune, qui uiros religiosos & ecclesiasticos uiolenter oppresserat iniustis seruitijs & exactiōibus, qui prouinciam usq; ad eò direptioni exposuit impiorum, ut nulla iam esset itinerantibus pacis securitas. Adueniente autem festo assumptionis beatæ Mariæ semper uirginis, maxima principum, episcoporum, abbatum, comitum ac nobilium multitudo ex omnibus Teuthoniae partibus, apud Moguntiam iuxta edictum Imperatoris conuenit. Vbi Imperator in octaua festi Assumptionis coronatus incessit, & multa pro pace & utilitate imperij ordinauit. In hoc autem conuentu, sunt qui plus quàm duodecim milia hominum nobilium ac militum conuenisse testati sunt. In eodem conuentu, principum discordia, quæ per annos ferme octo, inter Fridericum imperatorem durauerat & Ottonem Saxonie ducem, consilio amicorum sedata fuit. Mortuo enim ante annos 8, Henrico Palatino comite, qui fuit etiam dominus in Brunuico & Lunæburg, duasq; relinquente filias: quarum primam filiam Gertruden, Otto Bauariæ dux (ut supra dictum est) in uxorem ducens, Palatinum Rheni comitatum cum ea obtinuit: secundam uerò duxit uxorem Marchio de Baden, cum qua dominum Brunuicense pro dote accepit, quod Friderico Imperatori prænominato pro certa pecuniarum summa uendit. Cumq; Imperator homines suos, qui emptum nouiter dominium in possessionem acciperent, ad Saxoniam destinasset, Otto dux Saxonie ac Lunæburgensis grauiter ferens primogenitorum suorum hereditatem, quam longo tempore iure possederat, in manus deuenisse Imperatoris, constanter se opposuit: & missos ab illo milites, uiolenta manu de Brunuico exire compulit. Verum dum hæc agerentur in Saxoniam, Imperator in Apulia fuit per annos plures, qui ubi reuertisset in Alemaniam, exercitū contra ipsum ducem in Saxoniam parat. Quod ubi innotuit Ottoni, consilio amicorum persuasus, ad imperatoris gratiam in præscripto conuentu principum apud Moguntiam uenit, ubi concordia inter ipsos tali modo confirmata fuit de consensu principū, quòd idem dux Otto pro se suisq; hæredibus perpetuò obtineret ducatum Brunuicensem & Lunæburgensem. Porro titulum & ducatum Saxonie cum principatu eligendi Imperatorem, donauit Imperator Alberto filio Henrici comitis de Anhalt, qui erat in comitatu Louenburgensi, creans ipsum in ducem Saxonie ac principem electorem. Et ut historie integritas facilius innotescat legenti, nouerit cupiens scire ueritatem, quòd Henricus quondam dux Saxonie, qui propter mirandas res gestas fortitus est nomen Leonis, de quo famosa illa leonis & gryphonis pugna, longaq; in mari ac solitudine peregrinatio eius conficta depingitur, genuit duos filios, Ottonem uidelicet Imperatorem quartum, & Vuilhelmum ducem Saxonie ac Brunuicensem: de quibus nihil ad propositum. Tertium uerò genuit Henricum, qui uxorem duxit Agnetem filiam Conradi comitis Palatini Rheni, quæ peperit ei duas filias,

*Driuelis castrū.**Henricus rex à patre captus custodia.**Conuentus in Moguntia principū.**Concordia Imperatoris cum duce Saxonie & Ottone.**Brunuicis uicus.**Dux uenit ad Imperatoris gratiam.**Albertus de Anhalt fit dux Saxonie.**Henricus Saxonie dux, fit Palatinus Rheni.*

filiis: Gertruden uidelicet, quam Otto dux Bauriæ (sicut diximus) habuit uxorem, cum qua & Palatinatum Rheni obtinuit: & Adelheidē, quam Ericus Marchio Badensis duxit uxorem, cum qua (sicut dictum est) ducatum Brunswicensem obtinuit, quem Friderico Imperatori (ut iam diximus) uen didit. Ille Hēricus, ex ducibus Saxonie comes palatinus Rheni, mortua Gertrudis & Adelheidis filiarum matre Agnete filia Conradi Palatini comitis, secundam duxit uxorem, Agnetem uidelicet filiam comitis de Lāsburg, de qua tamen liberos non suscepit. Facta igitur concordia inter Fridericū Imperatorem & Ottonem ducem Brunswicensem supra dictum in præscripto conuentu principum apud Moguntiam, Imperator principes post missarū solennia in octaua Assumptionis ad epulas inuitauit: quæ propter nimiam populū multitudinem, extra ciuitatem in loco campestri magnis sumptibus fuerant præparatæ, ipso Imperatore cum omnibus lætante, quòd Rom. imperium in creatione noui ducis auxisset. Non multo post archiepiscopus Bisuntinus, uir sapiens & gloriosus, in eodem cōuentu principum apud Moguntiam diem clausit extremum, cuius corpus ad ecclesiam cui præfuerat, relatum est, & more Christiano cum honore sepultum. Post hæc Imperator tertiam duxit uxorem, regis Angliæ sororem, nuptiis in Vuormatia cum magna solennitate celebratis: eamq̄ post nuptias misit ad Hagenauu, in Alsatiam, & ibidem quasi per totam hyemem cum ea permansit cum principibus suis. In festo autem omnium sanctorum Imperator conuentum principum habuit in Augusta, ubi rex Bohemie adfuit, recipiens ab ipso Imperatore decem milia marcarum pro parte ducatus Sueuiæ, quæ iure hereditario ad suam fuerat deuoluta uxorem. Inde ad Hagenauu reuersus Imperator ibidem hyemauit. Ibi inter alios principes fuerunt comes Tholosanus, qui Marchiam ab Imperatore in feudum accepit, præstito (ut moris est) iuramento fidelitatis. Et comes Prouinciæ annum agens quinquagesimū, quem militem Imperator creauit, licet ex parte renitētem, quia comites suæ parentelæ se non credebant diu posse uiuere, posteaquam gradum militiæ essent adepti: nec adhuc in militiam consensissent, nisi rex Franciæ & Angliæ, quorum uterq̄ filiam eius duxerat uxorem, ipsum ad hunc ordinem militiæ coëgissent, indignum reputantes socerum suum non esse militem. Adfuerunt etiam nuntij regis Hispaniæ dextrarios pulcherrimos & præciosa Imperatori munera cum salutatione deferentes.

Anno Ernesti abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1236. in die calendarum Maij S. Elisabeth, in Marpurg, per archiepiscopos Moguntinum & Treuerensem & episcopum Hildenshemensem commissarios apostolicos, de tumba subterranea leuata est in præsentia Friderici Imperatoris, & multorum principum, episcoporum, abbatum, comitum, prælatorum, nobilium & ignobilium, quorum omnium numerus ad duodecies centena milia fuerat æstimatus. Ibi facta sunt coram omni populo infinita miracula ad sancti nominis eius inuocationem. Imperator primum lapidem de sarcophago leuauit, & productam ex thesauris suis coronam auream, sacro capiti S. uidx reuerenter imposuit. Corpus autem eius ad tumbam auream reconditum est, quia per Gregorium papam nonum canonizata est. Post hæc Imperator exercitum in Italiam mouit contra Longobardos, qui sibi à multis

Eodem anno, ante expeditionem Imperatoris præscriptam in Italiam, Iudæi in oppido Fuldensi commorantes, quosdam pueros Christianorum ut sanguinem eorum reciperent, in quodam molendino clam occiderunt. Quo

comperto

Conuiuium imperiale.

Imperator tertiã ducit uxorem.

Conuentus principū in Augusta.

Comes Tholosanus.

Comes prouinciæ

S. Elisabeth canonizatur.

Expeditio Imperatoris in Italiam

comperto facinore, multi ex eis combusti sunt. Corpora autem puerorum Imperatori conspicienda ad Hagenauu presentata sunt, & ibidē quasi martyrum cum honore sepulta, & subsecuta est magna in Iudæos persecutio.

*Iudæi apud Fuldam cremantur.*

Maxima eodem anno uini abundantia creuit, præcipuè in Alsatia partibus, ita ut quartale uini unum pro uno denario emeretur. Imperator itaque cum ualido suorum exercitu ueniens in Italiam, in primo congressu Vincetiam obtinuit, quam incendens pro maiori parte destruxit. Mantua quoque & Padua post longam rebellionem & multa pericula, in eius ditionem uenerunt. Interea dum hæc agerentur in Italia, rex Bohemorum & Bauriæ dux cum quibusdā episcopis iussu Imperatoris terrā ducis Austriæ, cum ualido ingrediuntur exercitu, propter multiplices excessus & grauiā facinora, quibus idem dux fuerat infamatus. Qui cum uenissent in Austriā, adiunctis sibi nobilibus terræ, quos ipse dux antè iniuste oppresserat, uel de terra sua eiecerat, totam Austriam deuastauerunt, præter pauca munitissima castella, in quibus dux sese receperat. At Imperator rebus suis in Longobardia utrunque dispositis, relicta ibidem exercitus sui parte, in Austriam reuersus est: manensq; in ciuitate Viennensi per hyemem, de statu eiusdem ducatus sibi nouiter subiugati ordinare cœpit, suisq; illum communiri militibus, habens secum reductum ex Italia exercitum.

*Bella Imperatoris in Longobardia.*

*Austria in manus Imperatoris deuenit.*

*Imperator ex Italia in Austriam uenit.*

Anno Ernesti abbatis 6. qui fuit dominicæ natiuitatis 1237. Imperator Fridericus in Austria constitutus, Conradum filium suum adhuc puerum de trāsmarina uxore genitum, in regem Romanorum elegi fecit: quem elegerunt archiepiscopi Moguntinus & Treuerensis, Bohemiæ quoque rex & dux Bauriæ, Otto comes Palatinus Rheni, consentientibus cæteris principibus qui aderant. Ipse autem Imperator his peractis, relicto tunc ibi presidio militum, Ratisponam ascendit, ac conuentum principibus apud Spiram indixit. Quò cum uenissent in termino, iterum filium suum Conradum puerū in regem fecit designari. Post hæc, misso in Austriam ad custodiam ciuitatis Viennæ Euerhardo comite de Eberstein cum ducentis militibus, ipse cum reliquo exercitu denuò in Longobardiam profectus est, & circa festum sancti Andreae Apostoli cum Mediolanensibus cōlictum habuit, obtentaq; uictoria, multa millia ex eis cepit & interfecit.

*Conradus Imperatoris filius rex.*

*Conuentus principum in Spira.*

*Imperator Longobardiam reuertitur.*

*Vini pretium.*

Eodem anno ante autumnū, quartale uini pro sedecim denarijs in Alsatia uendebatur: cuius anno priori tanta copia fuit, ut uini quartale pro uno denario (quemadmodum supra dictum est) uenderetur.

Eodem quoque anno Gregorius papa nonus, Fridericum Imperatorem Longobardiam sibi rebellem depopulantem excommunicauit, eumq; per fratres Minores ubiq; denunciari fecit, & secuta sunt infinita mala in omni terra imperio Romano & ecclesiæ subiecta.

*Imperator Fridericus excommunicatur.*

*Bischofsheim.*

Hoc ipso anno Fridericus Imperator in mense Aprili, feudum aduocatiæ uillæ Bischofsheim in finibus Franconiæ, quod nominæ ducatus Sueuiæ ab ecclesia Moguntina tenebat, Siphrido archiepiscopo & successoribus eius, cum omnibus pertinentijs, in perpetuum resignauit.

Eodem anno in fine quadragesimæ obiit Henricus archiepiscopus Coloniensis, cui successit Conradus de Hœnstedem, uir bellicosus. Multa per id tempus in prouincijs, Moguntina, Treuerensi, Coloniensi, & maxime in terra Leodiensi, guerrarum incommoda emerferunt: propter quæ, bellorum incurfus, deprædationes & incendia multa fuerunt, non sine sanguinis effusione subsecuta. In fine huius anni præscripti, in uigilia natiuitatis Christi obiit Conradus de Than, episcopus Spirensis, qui ecclesiam de Didesheim

*Henricus.*

*Conradus.*  
cum

cum omnibus prouentibus suis maioris ecclesie Spirensis canonicis, pro communi usu eorum in perpetuam possessionem donauit. Ad eius quoque instantiam Cuno abbas Vuiffenburgenfis, conuentu suo consentiente, ecclesiam in uilla Bublicken non procul à Landau, cum omnibus prouentibus suis tradidit canonicis ecclesie Spirensis. Sed & abbas cœnobij Clingenmonfter tunc nostri ordinis, nunc autem secularium clericorum, persuasione diuini pontificis ius patronatus ecclesie in Offenbach, Spirensi capitulo donauit. Huic in festo S. Agnetis anni sequentis, successit Conradus filius comitis de Eberstein, & præfuit annis fermè 8.

*Vuiffenburg.*  
*Clingenmonfter.*  
*Conradus.*  
*H. Ladtgrauus.*  
*Alfatiæ moritur.*

Eodem anno Ernesti 7. dominicæ natiuitatis 1238, obiit Henricus ultimus Alfatie Ladtgrauus sine heredibus, qui multa ab Imperio, ecclesiaque Argentinensi & alijs feuda tenuerat, quæ illo mortuo ad suos dominos sunt reuerfa. Porro titulus comitatus prouincialis apud ecclesiam Argentinensem remansit usque in præsens.

*Conradus rex filius Imperatoris*

Eodem anno Siphridus archiepiscopus Moguntinus, Conradus episcopus Spirensis nouiter electus, & alij multi nobiles, in Longobardiam ad Imperatorem cum exercitu profecti sunt, quorum auxilio multa ibidem prælia gessit. Post modicum uerò temporis, Conradum filium suum in Alemanniam cum præfato archiepiscopo Moguntino remisit, commendans illum & negotia regni in fidem, & tutelam eius.

*Henricus Basiliensis episcopus.*

Eodem anno mortuus est Henricus episcopus Basiliensis, cui Lutholdus Rottelnheim per electionem canonicorum legitime successit. His temporibus Tartari de locis suis cum infinita multitudine exeuntes, Ungariam, Poloniam, & Morauiam, omnesque adiacentes terras, incendio, præda & gladio deuastantes, miserabiliter destruxerunt. Contra quorum insultus, multi principes cruce signati apud Mersburg conuenerunt, & cum maximo exercitu contra eos processerunt.

*Ecclesie Moguntine dedicatio.*

Anno Ernesti abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1239 annus, maior ecclesia Moguntinensis de nouo reparata per Siphridum archiepiscopum Moguntinum, cum magna solennitate consecratur.

Eodem anno Solis defectio, quam Græci eclipsin appellant, facta est, & subsequuta est in plerisque regionibus pestilentia magna. His temporibus multa fuit in ecclesia Dei ministrorum eius persecutio, maxime in regno Alemannie, propter excommunicationem Friderici Imperatoris secundi, qui omnes cum papa sentientes persequi non cessauit, spolians ecclesias ornamentis & redditibus suis, prælatos, monachos, & sacerdotes multis iniurijs affecit.

*Celestinus papa.*

Anno autem Ernesti abbatis 9. dominicæ natiuitatis 1240. Gregorius papa 9. obiit, cui Celestinus quartus succedens, præfuit diebus tantum 17. post cuius mortem sedis Apostolica cardinalibus non concordantibus uacauit, anno uno & mensibus nouem, non sine multarum periculo animarum.

*Innocentius papa*

Anno autem sequenti, qui fuit Ernesti abbatis 10. Innocentius papa quartus post Celestinum electus, præfuit annis 11, mensibus 3.

Eodem anno, mons in Burgundia à montibus dehiscens, uallesque coarctans, multa milia agricolarum misere oppressit.

*Theodericus.*

Anno Ernesti abbatis 11. dominicæ autem natiuitatis 1242. obiit Theodericus archiepiscopus Treuirorum, anno pontificatus sui tricesimo, indictione 15. 5. calendas Aprilis, in maiori ecclesia Treuerensi, ante altare S. Martini sepultus: cui successit Arnoldus, maioris ecclesie præpositus, filius comitis de Isenberg, nepos ex sorore præfati archiepiscopi Theoderici, & præfuit

*Arnoldus.*

annis



annis ferè 16. Contra hunc Arnoldum à maiori & saniori parte capituli electum, se opposuit Rudolphus præpositus S. Paulini, natus de Ponte, à paucis electus, adiutorio ducis Lotharingiæ, comitumq; de Lutzenburg, & de Seyn, confidens, & restitit electioni quantum potuit de illo factæ. Tandem concordia inter eos facta, Innocentius papa Arnoldum in archiepiscopum confirmavit, & ut omnia beneficia ecclesiastica, quæ prius habuerat, retinere licitè posset, pro mensa indulfit.

Eodem anno idibus Aprilis hora Vesperarum, ciuitas Vuormatiensis igne casuali incensa, ipso incendio supra medietatem cõsumpta est, & plusquam trecenti homines eodem incendio perierunt.

*Vuormatia incendio perijt.*

Anno Ernesti abbatis duodecimo, qui fuit Dominicæ natiuitatis millesimus ducentesimus quadragesimus tertius, monachi Præmonstratensis ordinis, famosum illud & imperiale ordinis nostri cœnobium Laurishaimense inhabitare cœperunt, sicut in superioribus per anticipationem diximus.

*Laurishaim.*

Anno autem sequenti, qui fuit Ernesti abbatis decimus tertius, & dominicæ natiuitatis millesimus ducentesimus quadragesimus quartus, Fridericus Imperator secundus, in consilio Lugdunensi à papa Innocentio citatus & non comparens, à Casarea maiestate deponitur, & omni dignitate priuatur, uacauitq; deinceps (ut quidam uolunt) Romanum Imperium per annos uigintiocto, usque ad Rudolphum de Habsburg: quamuis tres interea successiue per principes fuerint electi, plures autem in dissensione principibus non concordantibus. Et primò quidem post depositionem Friderici papa mandauit principibus, ut Imperatorem quem uellent, eligerent: quorum aliqui Fridericum sequentes, mandatum papæ non curauerunt: cæteri in unum conuenientes, Henricum prouincialem comitem Hasiæ, in regem contra Fridericum eligentes, partes eius quantum potuerunt, defendebant. Electus autem Henricus, bellum cum Conrado habuit filio imperatoris, in campis iuxta Franckofordiam, & uictor euadens Conradum superauit.

*Fridericus Imperator à papa deponitur.*

*Henricus Landgrauus in regem eligitur.*

Annis igitur quinque nomen gerens regium, nihil memoria dignum patrauit, sed obiit imperij coronam minimè consecutus. Quamdiu enim uixit Imperator Fridericus, per annos fermè sex præualere cõtra eum nec papa, nec aliquis principum potuit: sed non aduertens sententiam papæ, quàm iniustam & friuolam dicebat, se imperatorem gessit, magnamq; principum, nobilitum & ciuitatum adhærentiam habuit usq; ad mortem. Intrauit post depositionem sui Italiam, & tantis malis papam, subiectosq; illi populos afflixit, ut pontificem uiuere tæderet, uoluissetq; se nunquam depositionem illius cogitauisse. Maxima enim partialitas populorum in Italia subsequuta est, quæ usque in præsentem fermè diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis durauit. Enim uerò qui Romani Pontificis sequebantur partes, quorum uotis inditum nomen erat Guelforum: fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni studio, omniq; uirtute persequi & delere penitus satagebant. Nec minore studio Guelfos Gibellini persequerantur. Quid autem Henrico rege mortuo, uel etiam Imperatore defuncto, circa Imperium sit actum, post annos sex, suo ordine dicemus.

*Partialitas magna in Italia.*

Anno autè dominicæ natiuitatis millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, indict. 2. obiit Ernestus cœnobij Hirsaugiensis abbas 24. in die sancti Blasij episcopi, quæ est mensis Februarij dies 3. anno regiminis sui 14.

incipiente, sed minimè completo, ætatis autem fermè 63, uir bonus, tranquillus & pacificus, qui monasterium in temporalibus non neglexit, licet obseruantia disciplinæ regularis tempore eius multum tepuerit, die tunc amplius defecerit.

DE VOLPOLDO, HUIUS MONASTERII ABBATE XXV.  
*qui præfuit annis 20. diebus totidem, & de  
 uarijs gestis illius temporis.*

**E**Rnesto autem uenerabili huius monasterij abbate (sicut diximus) mortuo, & cū reuerētia filiorū, ut moris est sepulto, anno & die præscriptus, prima die oportuna sequente cōueniētes ad locum capitularē fratres pastore destituti, de noui abbatis electione cœperunt tractare consiliū. Præmissis itaq; orationibus consuetis, tandē unanimi consensu Volpoldū huius cœnobij monachum, in abbatem 25. elegerunt, qui per Cōradum episcopum Spirensem confirmatus, & ut moris est cum magna solennitate in maiori ecclesia Nemetensi prædicta ordinatus, præfuit huic monasterio Hirsaugiensi annis 20. & totidem diebus, uir mediocris staturæ, plus ad pinguedinem quàm tenuitatem corporis tendens. Hic natione Sueuus honestis parentibus ortus, cū esset annorum fermè 16. sub domino Euerhardo abbate ad conuersionem uenit, non multum eruditus, sed more illius temporis pro necessitate in Scripturis competēter instructus. Qui monachus factus, quietē ac pacificē inter fratres omni tempore conuersatus est, incedens sine reprehensione coram eis, ita ut amaretur ab omnibus. Ordinatus autem abbas rei familiaris curam sollicitē gessit, & sicut nihil memoria dignum acquisiuisse de nouo scribitur, ita quippiam alienasse minimè inuenitur. Porrò monasticæ conuersationis feruor eo tempore non parum in hoc cœnobio, sicut fermè in omnibus, tepuerat, quem ipse resuscitare nec faciliè potuit, nec etiā propterea multum laborauit.

Anno eius primo currente præscripto, qui fuit dominicæ natiuitatis (sicut diximus) 1245. in mense Nouembri, obiit Conradus de Eberstein, sextus & quadragesimus episcopus Spirensis, cui successit Henricus filius comitis de Liningen, imperialis aulæ cæcellarius, & præfuit annis 27. Iste Henricus electus & nondū confirmatus, auxilio fratris sui comitis de Liningen castrum Starckenberg dictum, quod pertinet ad principatum monasterij Laurishanensis obsidione cingens, armata manu cepit, expulsis inde custodibus ecclesiæ Moguntinæ. Vnde inter ipsum & Siphridum archiepiscopum Moguntinum magna dissensio suborta fuit. Tandem papa Innocentius ad instantiam præfati archiepiscopi causam certis iudicibus determinandam committens pacem reformauit.

Eodem anno in uigilia S. Andreæ Apostoli, in nocte, Otto primus ex ducibus Bauariæ comes Palatinus Rheni obiit, qui in principio sui regiminis pius, iustus & clementissimus princeps fuit. Postea cum Friderico Imperatore sentiens excommunicato & deposito (sicut diximus) & ipse à papa excommunicatus est, cœpitq; persequi clerum in odium papæ, quod ei non cessit in bonum. Cū enim in præfata S. Andreæ uigilia, cum uxore, filijs & familia lætus & sanus esset, in ipsa nocte subitanè & excommunicatus mortuus inuentus est. Reliquit autem filios duos Ludouicum & Henricum, qui principatum eius per decennium fraterna communitate rexerunt. Post annos autem decem, hoc est dominicæ natiuitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, principatum inter se diuiserunt. Ludouicus, qui maior natu erat, comitatum Palatij Rheni cum terris & dominijs certis in Bauaria

*Volpoldus.*

*Vita Volpoldi  
abbatis.*

*Conradus.*

*Henricus.*

*Otto comes Pala-  
tinus Rheni.*

*Ludouicus dux  
Bauariæ comes  
Palatinus.*

Bauaria superiori pro sua portione legitima accepit. Henricus autē Landshutam cum Bauaria inferiori in possessionem iure obtinuit. Ludouicus primò duxit in uxorem filiam ducis Brabantia, nomine Mariam speciosissimam foeminam, de qua liberos non suscepit, sed interfecit eam anno Volpoldi abbatis tertio, propter adulteriū suspicionem, ut ibidem suo loco & ordine dicemus. Henricus autem frater eius uxorem duxit Elisabeth filiam Belæ regis Vngaria, neptem ex fratre S. Elisabeth de Marpurg, de qua genuit tres filios, Ottonem postea regem Vngaria, Ludouicum Stephanum duces Bauarie, de quibus infra ordine suo faciemus mentionem, qui inter se Bauariam diuiserunt.

*Maria uxor Ludouici comitis Palatinus.*

*Henricus dux Bauariae Elisabetha uxor eius.*

Anno autem Volpoldi abbatis 2. currente, qui fuit 1246. dominicæ natiuitatis, Friderico imperatore (sicut diximus) deposito, Conradus filius eius iunior imperium sibi usurpauit, contra quem Henricus Raspe Lãdtgrauis Hassia filius sanctæ Elisabeth, in regem à quibusdam principibus electus, in bellum procedens, ipsum iuxta Franckofordiam superauit, & in Italiam fugauit.

*Conradus rex filius imperatoris*

Eodem anno obiit Ludolphus episcopus Vuormatiensis, & in cœnobio Monialium dicto Nonnenmonster, quod ordini nostro abstulerat, coram summo altari cum magna pompa & honore sepultus est. Post cuius obitum canonici Vuormatienses in pontificem unanimiter elegerunt Cunonem, decanum maioris ecclesiæ Moguntinæ, uirum bonum, & honore pontificatus dignum, qui postea quàm præfuisset diebus 20. morte sublatus, in breui cõsummatum est, & impleuit tempora multa, ne malitia mutaret intellectum eius. Quo mortuo, Richardus de Treueri oriundus, in pontificem electus, præfuit annis fermè undecim, uir bonus & ecclesiæ suæ prouidus gubernator, qui multa bona suo tempore fecit.

*Ludolphus.*

*Cuno.*

*Richardus.*

Anno Volpoldi abbatis 3. qui fuit dominicæ natiuitatis 1247. Ludouicus comes Palatinus Rheni, & dux Bauarie, Mariam uxorem suam propter crimen adulteriū uehementer suspectam, apud Vuerdeam Sueuiæ fecit occidi, quæ sine liberis mira seueritate necata occubuit. Pro satisfactione tanti sceleris commissi, monasterium Furstenfeld in Bauaria postea construi fecit, quod multis bonis & prouentibus magnificè dotauit.

Hoc anno Ludouicus Palatinus comes & dux præfatus, castrum Fridburg dictum pro defensione ducatus Bauariæ contra episcopum Augustensem à fundamentis fortissimum construxit. Post hæc secundam duxit uxorem, Annam regis Poloniae filiam, de qua genuit filios tres, Ludouicum Bauariæ ducem, Rudolphum comitem Palatinum Rheni, & alterum Ludouicum postea Imperatorem Rom. de quibus infra per ordinem dicemus.

*Ludouici comitis Palatinus nephas*

Anno Volpoldi abbatis 4, dominicæ autem natiuitatis 1248. Conradus archiepiscopus Coloniensis homo diues & magnanimus, magnam illam & insignem ecclesiam Coloniensem maiorem construere cœpit, ponens primum lapidem in uigilia assumptionis beatæ Mariæ semper uirginis, quod opus licet quotidie laboribus artificum sumat incrementa, sitq; iam per annos ducentos & quinquaginta quatuor, sine intermissione continuatum, tamen adhuc hodie minimè est completum, propter ingentem sui magnitudinem & excellentiam.

Eodem anno fames maxima Alemaniam oppressit, & multos interfecit.

Anno autem sequenti, qui fuit Volpoldi abbatis quintus, & dominicæ natiuitatis 1249. indictione 7, Siphridus archiepiscopus Moguntinus, 7.

*Siphridus.*

iduum Martij obiit: uir magnorum operum, qui ecclesiam suam honorē ac rebus magnificē ampliāuit, & inter tot mala, tot bella, totq̄ pericula, quibus imperium nutabat, sapientissimē rexit. Huic in archiepiscopatu successit Christianus eius nominis secundus, & præfuit annis duntaxat duobus, uir & ipse bonus.

*Henricus rex & Landtgravius obiit.*

Eodem anno obiit Henricus rex, Landtgravius Hassiæ & Thuringiæ, qui (ut supra diximus) ante paucos annos in regem à quibusdam principibus, iussu Innocentij pape, fuerat electus: licet non omnes in eum consenserint, & ob id ad coronam Imperialem non peruenit. Decessit autem profluvio uentris, in oppido suo Isenach sepultus. Mortuo Henrico Vuilhelmus comes, Hollandiæ, filius Florentij comitis, apud uillam Vuornich, à quibusdam principibus in regem Romanorum electus fuit, contra Fridericum Imperatorem & Conradum filium eius, in præsentia Petri Caputij, ad uelum aureum diaconi cardinalis Apostolicæ sedis legati. Cùm eligeretur, adhuc iuuenis erat annorum 20. & fermè 7 annis regnauit, qui etsi coronam imperij non obtinuit, tamen satis magnam obedientiam habuit. Ultima uero

*Vuilhelmus fit rex Romanorum*

*Aquisgrani coronatur rex.*

die mensis Octobris, regiam ciuitatem Aquisgranum cum magna procerum multitudine intrauit, & sequenti die, hoc est in festo omnium sanctorum, per duos episcopos Mindensem & Monasteriensem, benedicendum archiepiscopo Coloniensi in templo præsentatum: duo alij episcopi Traiectensis & Leodiensis, in modum diaconi Dalmatica induerunt, quem præfatus archiepiscopus Conradus, cum magna solennitate, in regem Romanorum unxit & coronauit. Consecratione autem peracta, idem archiepiscopus locauit eum in sedem regni, dicens: Super thronum sedis gloriose sedear, & iudicium & iustitiam in terra facias. Christianus archiepiscopus Moguntinus cum oleo sanctificato dexteram eius foris inunxit, dicens: Consecrare te dignetur omnipotens Deus, in regem Romanorum, qui Dauid per

*Archiepiscopus Coloniensis. Archiepiscopus Moguntinus.*

*Archiepiscopus Treuerensis.*

*Comes Palatinus*

manum Samuelis Prophetæ inungi iussit super populum Hebræorum. Arnoldus archiepiscopus Treuerorum manus super caput eius imposuit, dicens: Descendat super te spiritus sapientiæ, intelligentiæ, scientiæ, pietatis, fortitudinis & consilij, replearisq̄ spiritu timoris Domini. Ludouicus comes Palatinus Rheni, archidapifer regni, globum aureum in manus illius posuit, dicens: Accipe globum sphericum, ut omnes terræ nationes Romano imperio subiicias, & Augustus gloriosus appellari ualeas. Marchio Brandenburgensis Camerarius regis, annulum in manum tradidit, dicens: Accipe signaculum Monarchiæ, ut Romanum imperium in suo uigore conserues,

*Marchio Brandeburgensis.*

*Dux Saxonie.*

& inuicta uirtute ab omni Barbarorum incursum defendas. Dux Saxonie regis ensifer gladium ei dedit, dicens: Accipe sceptrum regium, ut rebelles se uera correptione potenter affligas, omnesq̄ beneuolos in tranquilla pace gubernes. Rex autem Bohemiæ pincerna imperij, de consensu archiepiscopi Coloniensis, coronam argenteam capiti regis imposuit, dicens: Accipe diadema splendidum, ut sis uirtuosis actionibus adeo choruscus in terris, quatenus merearis coronam æternæ felicitatis habere in coelis. Amen. Octauam post hæc ibidem duxit solennem. Omnes autem inferiorum partium principes & nobiles obedientiam ei præstiterunt, præter quosdam castellanos adhuc Friderico fideles. Inter quos fuit castellanus de Keiserfuuerde, quem rex Vuilhelmus obsidione circumcingens superare non potuit, quoniam se fortiter defendit.

*Keiserfuuerde obsidione uallatur*

*Fridericus Imperator obiit.*

Anno Volpoldi abbatis 6. qui fuit dominicæ natiuitatis 1250. indictio-  
ne 8, obiit Fridericus Imperator secundus apud Tarentum, anno ætatis sue 57.  
relinquens

relinquens duos filios: alterum, regis Hierosolymorum Conradum nomine, quem dudum Rom. regem designauerat, licet de Alemania fuerit expulsus. Alterum, ex concubina, Manfredum nomine, qui regnum Apuliæ patre mortuo inuasit, fratre suo renitente: sed non diu regnavit.

Eodem anno obiit Hermannus episcopus Herbipolensis, cui successit Eringus de Reinstein, & præfuit annis 16. in multa turbatione & discordia, quam habuit cum ciuibus suis Herbipolensibus.

*Hermannus.*

Hoc ipso anno hyems fuit asperissima nimisq; diuturna, niuibus & glacie nimium abundans: quibus tandem resolutis in aquam, maxima inundatio fuit subsecuta, quæ multa ædificia subuertit.

*Hyems longa.*

Anno Volpoldi abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1251. Conradus rex, filius quondam Friderici imperatoris secundi, regnum Apulię suscepit, & proximo deinde anno moritur, ueneno (ut creditur) extinctus, Manfredus suo (ut diximus) fratre procurante.

*Conradus frater rex in Apulia.*

Eodem anno obiit archiepiscopus Moguntinus, cui successit & præfuit annis nouem uir magnanimus & multum prouidus, nomine Gerardus, qui partes Vuilhelmi regis, ut cæteri, tuebatur.

*Christianus.*

Anno Volpoldi abbatis octauo, dominicæ autem natiuitatis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, indictione 10. 14. calendas Aprilis, obiit S. uirgo Iutta, olim pedissequa B. Elisabethæ de Marpurg, Landtgrauia, Thuringiæ & Hafsia, de qua, supra dictum est. Hac sancta uirgo multis signis & miraculis tam in uita quam post mortem claruisse perhibetur, quæ omnium uirtutum & operum dominæ suæ, cum adhuc in humanis ageret, conscia fuit, & studiosa cooperatrix in omnibus, eamq; pro uiribus imitari usq; ad mortem constantissimè curabat.

*S. Virgo Iutta obiit.*

Eodem anno, 4. calendas Decembris, obiit Ibanus monasterij mei Spanheimensis sextus abbas, cui successit Ioannes de Schonberg cantor, & præfuit annis 12. mensibus 4. diebus 21.

*Ibanus abbas.*

Anno Volpoldi abbatis nono, uentus magnus & horribilis fuit, qui in diuersis locis multa ædificia subuertit, arbores robustissimas cum radicibus de terra plures euellit, & cum infinitis damnis multos homines oppressit.

*Ventus magnus.*

Eodem anno Manfredus, Friderici quondam imperatoris, ex concubina matre filius, Conrado priori anno (ut ferunt) ueneno interempto, regnum Sicilia occupauit, & annis paucis uiuens obtinuit.

*Manfredus dux.*

Anno sequenti, qui fuit Volpoldi abbatis 10. dominicæ autem natiuitatis 1254. indictione 12. obiit Innocentius papa quartus, & uacauit sedes Apostolica propter discordiam fratrum annis duobus.

*Innocentius papa.*

Eodem anno, in mense Februario, ciues Vuormatienses & Moguntinenses, qui multo tempore in dissensione mutua steterunt, perpetuam inter se pacem, concordiam & confederationem sanxerunt. His quoq; temporibus Emicho comes de Limingen, frater Episcopi Spirensis, hostilem animum gerens contra Richardum episcopum Vuormatiensem, eum capere omnino studio laborabat: qui ciuium suorum auxilio defensus, & in Vuormatiam intromissus, quamuis ante hac in discordia cum ciuibus fuerit, minas illius euasit. Magnus istis temporibus in regno tumultus fuit, & uariæ dissensiones, quia non omnes Vuilhelmi regis Rom. partes sequebatur. Richenstein castellum iuxta Rhenum, non longè à Bacheracho, eodem tempore cum alijs certis munitiombus in uicino per Vuilhelmum regem supra dictum, & suos fautores, obsidione uallatum, captumq; fuit.

*Mogunt. & Vuormatienses.*

*Emicho comes de Limingen.*

Anno prænotato, cum ciuitates harum partium cum Vuilhelmo rege sentientes,

ut Moguntia, Vuormatia, Franckofordia, Bopardia, Vuesalia, Bingia, Oppenheim, Geilenhausen, Fridberg, Frislaria, & quædã aliæ, ipso in partibus inferioribus existente, non haberet contra suos aduersarios defensores: con filio apud Moguntiam in die S. Margarethæ uirginis & martyris habito, se mutuò firmissima confœderatione iunxerunt, ad defendendum contra quoscunq; omnia thelonea quę habebant pro communi pace deponentes.

Conuentus prin-  
cipum in Vuor-  
matia.

Regina capitur.

Anno Volpoldi abbatis 11. dominicæ autem natiuitatis 1255. rex Vuilhelmus conuentum quorundam principum habuit in Vuormatia, ubi nuncijs ac legati complurium ciuitatum missi adfuerunt. Quadam uerò die cum regina uxor eius de Vuormatia ad castrum Trifels, quod est modò ducis Alexandr. non procul à Landaugia, cum honesta comitiua pergeret per Hermannum militem de castro Rieberg, unà cum comite de Vualdeck, & quibusdam alijs, capta, ad præfatum castellum Rieberg perducta est, quam captiuam aliquandiu tenuit. postea spoliata omnibus clenodijs suis & rebus, abire permisit, in scandalum regis & patriæ totius non modicum.

Alexander fit pa-  
pa.

Eodem anno postea, quoniam sedes Apostolica per biennium ferè uacauerat, non sine multarum periculo animarum, tandem electus est in papam à cardinalibus Alexander quartus, natione Campanus, & sedit annis sex, & mensibus totidem, qui sanctam Claram ordinis Minorum cano- nizaui.

Vuïlhelmus rex  
contra Phryso-  
nes.

Anno Volpoldi abbatis 12. qui fuit dominicæ natiuitatis 1256. Vuïlhelmus rex Romam pro corona imperiali proficisci statuit, cum ecce subito gens in quietissima Phrysonum, tumultu concitato rebellare cœpit, & fines Hollandiæ ingressa, rapinis & incendio omnia deuastare. Verùm cernens rex, eorum ferocitatem non aliter quàm ferro domandam, congregato suorum ingenti exercitu contra eos in fine huius anni, hoc est 5. calendas Ianuarij progreditur, & multa eis incommodorum genera ostendens, eos in manu ualida superauit contra impetum eorum castro Corenburg constructo. Post hæc ulterius progressus, cum hyemis asperitas glaciem aquis superduxisset atq; paludibus, insidens equo, solus exploraturus omnia hostium (ut putabat) secreta, præcessit exercitum: cum ecce glacie fracta, in paludibus uado equusmersus hærebat, non ualens progredi quoquam. Quod Phrysones, qui in arundinetis latitabant cernentes, concurrunt, ipsumq; regem nescientes interficiunt, anno regni eius 7. comitatus Hollandiæ primo & uicesimo, ætatis autem 27. & in domo quadam sepeliunt. Sed postea corpus eius ad Mittelburg translatum, in quodam cœnobio honorificè tumulatum est. Post eius mortem Florentius filius eius, puer sex mensium, comitatum Hollandiæ suscepit, & eum annis fermè 40. gubernauit, mortemq; patris sui uindicauit, multa cum Phrysonibus bella gessit, & plures ex eis cepit & occidit.

Florentius comes  
Hollandiæ.

Principes in ele-  
ctione discordant

Alphonsus rex  
Castellæ eligitur  
in regem Roma-  
norum.

Anno Volpoldi abbatis 13. qui fuit dominicæ natiuitatis 1257. post mortem Vuïlhelmi regis Rom. conuenerunt principes ad nouum regem instituendum: ne si diutius negligenter, impedimētum aliquod iuris sui paterentur, discordantes autem ab inuicem duos elegerunt. Nam Conradus archiepiscopus Coloniensis, & Gerardus archiepiscopus Moguntinus, Richardum Cornubiæ comitem, fratrem regis Angliæ, in regem elegerunt. Arnoldus autem archiepiscopus Treuerensis, cum cæteris principibus sibi adherentibus, Alphonsum regem Castellæ in Regem Rom. eligens, solēnes ad eum nuncios misit, orans, & quantocius pro regni gubernaculis suscipiendis ad Rheni partes uenire dignaretur, promittens se consilium & auxilium pro uiribus

uiribus impensurum. At uerò rex Alphonfus uel contemnens, uel non curans, Rom. imperium donatos magnis muneribus nuncios cum honore remisit. Promittens se oportuno tempore cum suorum exercitu subsecuturū. Verū suo regno contentus, quia Philosophus & Astronomus excellentissimus fuit, ad Alemaniam uenire contempsit, nec se in aliquo de Rom. regno gubernando intromisit, præter solum titulum, quem ob eligentium honorem, ad tempus in literis suis retinuit. Porrò Richardus comes præfatus per Conradum archiepiscopum Coloniensem ex Angliā euocatus, in Alemaniam uenit, & in Franckofordia electus, libens imperium assumpsit, & cum magno suorū tripudio in ecclesia beatæ Mariæ semper uirginis Aquisgrani, ab eodem archiepiscopo in regem cōsecratus fuit. Deinde fauore & suffragio suorum principum à Colonienſibus, Bopardienſibus, Vuesalienſibus, Franckofordienſibus, Vuormatiensibus, Spirensibus, & multis alijs ciuitatibus, pro uero regno cum magno honore fuit susceptus, & cum ingenti pompa in his partibus circumductus: cumq; per omnes ciuitates Rheni ascendens iter faceret usq; ad Basileam, & pecuniæ pro adeptione regni nimis prodigaliter expensæ iam iamq; deficerent, principes relicto eo omnes ad sua redierūt, tacite Innuentes prædam se eatenus secutos fuisse, non regē. Qui cernens se principum auxilio destitutum, nihil amplius proficere posse, commisit Philippo de Falckenstein, cuius sororem ob nimiam pulchritudinem in uxorem duxerat, regnum Vuederauiæ, & Philippo de Hoënfels Bopardiam & Vuesaliam cæterasq; adiacentes ciuitates imperij, assumptaq; uxore in Angliam reuersus est, nec ultra in Alemaniam uenit.

*Richardus Cornubiæ comes in regem eligitur.*

*Rex à principibus describitur.*

Anno præscripto, 6. iduum Nouembris, obiit Richardus episcopus Vuormatiensis, qui multas cum ciuibus suis dissensiones habuit. Aduersarium habuit Eberhardum de Badenbergo, qui in principio à plerisque contra eum fuerat electus, quem Eimicho comes de Liningen manu tenuit, qui omnes redditus episcopales extra Vuormatiam cedentes, manu uiolenta leuauit, & multa in illum mala commisit. Mortuo autem Richardo atq; sepulto, electus fuit in episcopum præfatæ ecclesiæ Conradus de Durkem, maioris ecclesiæ Moguntinæ Decanus, qui præfuit 22. diebus tantum, & obiit, in ecclesia Moguntina ante altare sancti Petri sepultus. Post hunc fratres de capitulo, pro pace & utilitate ecclesiæ unanimiter elegerunt Euerhardum de Badenbergo, præpositum ecclesiæ sancti Cyriaci in Nuhusen, habuitq; cum Vuormatiensibus contentiones.

*Richardus.*

*Conradus electus obiit.*

*Euerhardus.*

Anno Volpoldi abbatis 14. qui fuit dominicę natiuitatis 1258. Gerardus archiepiscopus Moguntinus ecclesiam S. Catharinæ in Oppenheim, in ecclesiam parochialem erexit & fecit, concedens illi omnia iura quæ aliæ in diœcesi parochiales ecclesiæ habent, suamq; diœcesin secundum antiquos terminos à Vuormatiensi in eodem oppido ex testimonijs seniorum declaratos, coram omnibus clarè separauit.

*Ecclesia s. Catharinæ in Oppenheim.*

Eodem anno Richardus Cornubiæ comes, priori anno electus per Conradum archiepiscopum Colontensem, Aquisgrani in regem Rom. coronatus est, præsentibus Gerardo archiepiscopo Moguntino & certis alijs principibus, à quibus post coronationem suam (quemadmodum iam diximus) per omnes imperij ciuitates iuxta Rhenū circumductus, negotia regni tractare cœpit, obedientiam ciuium accipiens, principum conuentus celebrauit, quousq; tandem desertus ab eis fuit.

*Rex Aquisgrani coronatur.*

Anno Volpoldi abbatis 15. qui fuit dominicę natiuitatis 1259. monasterium sancti Disibodi ordinis nostri in comitatu Spanheimensi Moguntinę

diocesis, iuxta oppidum Sobernheim, ab ordine nostro translatum est per Gerardum archiepiscopum & canonicos ecclesie Moguntinensis, & datum Cisterciensis ordinis patribus, quorum primus abbas nomine Ioannes, quasi pro gratiarum actione suscepti beneficii, de consensu fratrum suorum centum maldra siliginis annui census perpetuis temporibus Moguntiam singulis annis prestanda, ex redditibus eiusdem monasterii canonicis prefatae ecclesie repromisit, ut patet ex literis desuper confectis, quarum datum est pridie nonarum Martii, anno prenotato, in Moguntia, coram multis testibus actum.

*Albertus Magnus.*

Eodem anno Albertus cognomento Magnus, ordinis Praedicatorum, conventus Coloniensis, natione Sueuus, uir undecunque doctissimus, prouisione Alexandri quarti factus est episcopus Ratisponensis in Bauaria, cum esset aetate annorum 66, sed non diu postea resignauit.

*Arnoldus.*

Eodem quoque anno Arnoldus de Isenburg, archiepiscopus Treuitorum, in oppido Monsthabor dicto, anno pontificatus sui 17. diem clausit extremum, uir per omnia magnificus, qui multa pace belloque strenue gessit. Thurron castrum fortissimum biennio obsessum cepit. Treuerice urbis magnam partem muro de nouo pulcherrime munuit, monasterium Meinfeldiae Confluentiamque similiter muro cinxit. Quo mortuo, & in maiori ecclesia Treuerensi ante altare S. Trinitatis cum honore sepulto, duo in dissensione a capitulo fuerunt electi, uidelicet Arnoldus de Sleyda, & Henricus de Bolandia: quorum electiones coram se Romae in consistorio contendentium Alexander papa quartus de consilio fratrum cassauit, & Henricum de Vinstingē decanum Metensem, per cardinales (ut dicebatur) electum, in archiepiscopum ordinauit, qui Treuerim ueniens cum pallio & literis apostolicis ab omni clero & populo ciuitatis pro archiepiscopo susceptus est, & praefuit annis 27. uir constans & magnanimus, qui optime rexit ecclesiam suam, dominiaque & redditus ualde ampliauit.

*Henricus.*

*Vuormatia igne crematur.*

Anno quoque prenotato ultima die mensis Aprilis, iterum ciuitas Vuormatiensis igne casuali accensa, circa horam Completorii tota nocte arsit, & cum damno multorum quasi pro medio consumpta fuit.

*Gerardus.*

Anno Volpoldi abbatis 16. qui fuit dominicae natiuitatis 1260. indictione 3. obiit Gerardus archiepiscopus Moguntinus: cui successit Vtiernerus de Falckenstein, maioris ecclesiae praepositus, & praefuit annis 24. mensibus 6. uir excellens ingenio & prudentia, qui ecclesiam suam optime rexit, & prouentibus multum ampliauit.

*Vuormatia.*

Eodem anno duo militares Iacobus de Lapide & Simon de Guntheint inimicitias aduersus ciuitatem Vangionum publicas gerentes, multa ciuibus incommoda simul & damna intulerunt, alios captiuos abducetes, alios spoliantes, seu etiam mutilantes, donec tandem interueniente pecunia, & captiui liberati fuerunt, & inter dissidentes reformata concordia. His enim temporibus cum rex non esset in terris, qui motus praedictum reprimeret, omnia per tumultum, sine lege, sine ordine, pro libitu fiebant.

*Præde.*

*Inundationes.*

Hoc etiam anno magnae & nimium periculosa inundationes aquarum fuerunt, maxime circa Rhenum, quae domos & aedificia multa subuertentes nec hominibus pepercerunt, ita ut plures relictis domibus cum filiis & pecoribus ad montes confugerent.

*Conradus.*

Anno Volpoldi abbatis 17 dominicae autem natiuitatis 1261. indictione 4. obiit Conradus de Hoensteden, archiepiscopus Coloniensis, qui multas cum ciuibus suis contentiones in suo pontificatu habuit, in maiori ecclesia Coloniensi



Coloniensi sepultus, cui Engelbertus secundus de Valkenburg, præpositus S. Gereonis, per electionem capituli succedens, præfuit annis ferme, quatuordecim, qui & ipse multas & continuas dissensiones cum Coloniensibus habuit.

Eodem anno obiit Alexander papa quartus, cui Vrbanus quartus natione Gallus succedens præfuit annis 3, mense uno, diebus 14, qui festum corporis Domini nostri Iesu Christi quinta feria post octauas pentecostes quorundam celebrandum per totum Christianum orbem instituit, & indulgentias in eius fauorem dedit. Regnum quoque Siciliæ, quod Manfredus dux Sueuiæ filius quondam Friderici Imperatoris secundi, post Conradi fratris sui obitum (sicut diximus) occupauerat, Carolo comiti Prouinciæ, fratri regis Francorum contulit, eumque per legatos de Gallia in Italiam euocauit, qui Siciliam fugato Manfredo, non sine multorum sanguine occupauit.

Alexander papa.

Vrbanus papa.

Manfredus à Sicilia pellitur.

Anno Volpoldi abbatis 18. qui fuit dominicæ natiuitatis 1262. obiit Richardus eremita, sacerdos quodam & monachus nostri ordinis in Alsatia, in eremitorio suo iuxta Paffenborn calendis Nouembris, hoc est in festiuitate omnium sanctorum, qui multis annis duram in arctissima pœnitentiâ duxerat uitam.

Richardus eremita obiit.

Eodem anno Vuernerus archiepiscopus Moguntinus Philippus de Hoënfels, quem Richardus rex reuersus in Angliam capitaneum in partibus Rhœni constituerat, excommunicauit, supponens terram eius ecclesiastico interdicto, propterea quod curtes & bona clericorum Moguntinensium in dominio suo sita, nouis & inconsuetis exactiõibus & precarijs nimium grauaret, sæpiusque admonitus nolisset desistere. Verum postea mutato proposito, iniustas exactiões cleri præsumptas remisit, factaque inter eos concordia absolutus fuit.

Philippus Hoënfels excommunicatur.

Anno autem Volpoldi abbatis 19. qui fuit dominicæ natiuitatis 1263. ciues Colonienses post longas contentiones, bella & damna Engelbertum archiepiscopum suum in ciuitate existentem, nihilque tale suspicantem, unâ cum Theoderico de Valckenburg fratre eius, in quadam domo subito concludentes, ad conditiones pacis compulerunt, quanquam nulla fuerit deinceps concordia inter partes illæsa conseruata.

Eodem anno inter præfatum archiepiscopum & comitem Iuliacensem magna discordia fuit, quæ usque ad arma succreuit. Ad bellum itaque partium copiarum procedentes, archiepiscopus auxilio Henrici Traiectensis episcopi & Hollandinorum fretus, Iuliacenses superauit multis occisis.

Comes Iuliacensis

Anno sequenti qui fuit Volpoldi abbatis 20. dominicæ natiuitatis 1264. fratres eremitæ regulæ sancti Augustini, quos uulgus Augustinenses appellat, Vuormatiâ intrantes conuentum & cœnobium sui ordinis, ibidem construxerunt, episcopo Euerhardo consentiente, ciuibusque auxilia & subsidia conferentibus.

Augustinenses intrant Vuormatiâ.

Eodem anno 11. calendas Maij, obiit Ioannes septimus abbas monasterij mei Spanhemensis, cui successit Petrus abbas octauus, & præfuit annis 25. & mensibus 4, qui ecclesiam in Genzingen, cum iure patronatus, decimis & omnibus prouentibus eius, anno regiminis sui primo donauit canonicis maioris ecclesiæ Moguntinæ, in perpetuam possessionem pro augmento præbendarum eorundem.

Ioannes abbas.

Eodem quoque anno obiit Vrbanus papa quartus, & uacauit Apostolica sedes mensibus quinque, usque in sequentem annum, propter discordiam fratrum.

Vrbanus papa.

*Clemens papa.* Anno sequenti qui fuit Volpoldi abbatis 21. inchoatus: dominicæ autem natiuitatis 1265. posteaquàm sedes Apostolica quinque mensibus uacauerat, in summum pontificẽ electus fuit Clemens papa quartus, natione Narbonensis, ex uilla sancti Ægidij, & præfuit annis 3. mensibus 9. diebus 21. uir sanctæ conuersationis & prophético spiritu (ut dicebatur) illustratus, qui. Haduwigem quondam ducissam Poloniae, uiduam miræ sanctitatis, canonizatam, sanctorum catalogo cum magno honore ascripsit.

*Volpoldus.* Eodem anno Volpoldus abbas graui tactus infirmitate, 5. calendas Martij diem clausit extremum, bona confessione & sacramentis ecclesiasticis salubriter præmunitus, anno regiminis sui 20. cum diebus totidem expleto, uir modestæ conuersationis, & multum circa statum rei familiaris sollicitus: licet monasterium in utroq; statu suo tempore, etiam sub alijs quibusdam abbatibus non parum defecerit, quemadmodum in sequentibus dicemus.

DE IOANNE, HUIUS MONASTERII ABBATE XXVI.

qui præfuit annis 10. mensibus 3. diebus 4.

& uarijs gestis illius temporis.

*Ioannes abbas.*

*Vita & origo  
Ioannis abbatis.*

*Ordinis nostri  
deformati.*

**M**ortuo atq; sepulto Volpoldo abbate, anno ac die præscriptis, iuxta morem ecclesiasticæ traditionis, fratres huius monasterij, ne uiduitatis suæ diu cogerentur deplorare incommoda, diem pro noui pastoris electione constituentibus, penultimam mensis Februarij, in ipsa conuenerunt, præmissisq; orationibus cõsuetis, & reliquis quæ in actu electionis fieri consueuerunt, post uarios inter se tractatus habitos, tãdem maior & sanior pars Ioannem priorem huius cœnobij in abbatem elegit, cæteris in diuersos, alios diuisis, qui tamen electioni maiorum cedentes, omnes in eum unanimiter consenserunt. Electus autem, & per episcopum Spirenses Hêricum de Liningen confirmatus, ac secundum laudabilem consuetudinem solenniter ordinatus, præfuit huic monasterio Hirsaugiensi in ordine abbatum sextus & uigesimus, annis 10. mensibus 3. & 4. diebus. Hic natione Bauarus erat, qui sub Euerhardo huius cœnobij abbate 23. monachus factus, ac dein de prior sub Volpoldo prædecessore suo constitutus, disciplinam debilem quam reperit, continuauit. Tandem uerò abbas ordinatus, regularis obseruantia integritatem parum curauit, sed potius externa sequebatur, pompas imperij & gloriæ uanitatem. Inter abbates sui temporis non erat ultimæ reputationis, propter famam percelebrem monasterij Hirsaugiensis, quam priorum abbatum sanctitas, non facile debilem dudum multis laboribus & abstinentijs acquisiuit. Ordinis enim nostri sacratissimi patris Benedicti obseruantia, tempore huius abbatis, in omnibus penè monasterijs Germanicæ nationis usq; adeò defecerat, ut pristinae institutionis uestigium nullum in moribus cerneretur. Omnia corrupta erant, omnia collapsa, monachi simul cum abbatibus in præcipitium uiciorum corruerunt. Nemo hanc ordinis nostri deformationem curabat, nemo cõdoluisse uisus est, non rex, non papa, non principes, non deniq; præsul ullus de monachorum reformatione quippiam cogitauit. Tam enim publicæ fuerunt transgressiones monachorum, ut licitæ putarẽtur. Vnde factum est, ut abbatum huius monasterij gesta & actitata, ad nostram memoriam abhinc usq; ad Fridericũ abbatem 37. paucissima sint deducta, propter temporum obscuritatem & negligentiam, ignorantiamq; monachorum.

*Ciuitas Herbipolensis.*

Anno prænotato, quo Ioannes electus fuit in abbatem, Iringus episcopus Herbipolensis & clerus, multas iniurias à ciuibus sustinuerit, pro quibus tandem

tandem ipsi ciues in ducentis & duobus milibus argenti marcis satisfacere & ad obedientiam redire compulsi sunt.

Anno Ioannis abbatis 1. qui fuit dominicæ natiuitatis 1266. obiit præfatus Iringus de Reinstejn, primus & quadragesimus episcopus Herbiopolensis, uir constans & bellicosus & magnanimus, cui successit Bertholdus de Sternberg, & præfuit annis quasi 18.

*Iringus episcopus Herbiopolensis obiit.*

Eodem anno Carolus rex Siciliæ ab Urbano papa constitutus, Manfredum regem & Sueuiæ ducem Friderici Imperatoris secundi filium, non longe à Beneuento superatum, crudeliter interemit. Quo mortuo Conradus quem Itali Cōradinum appellabant, Friderici quondā Imperatoris ex Conrado filio nepos, adolescens pulcherrimus, dux Sueuiæ ultimus, regnū Apuliæ iure paternæ hæreditatis repetijt, sed per Clementem papam 4. & Carolum Prouinciæ comitem (de quo supra diximus) cum iniuria repulsus, ad regnum non peruenit, imò post biennium ab ipso Carolo miserabiliter occisus fuit.

*Manfredus rex interimitur. Conradus dux Sueuorum.*

Anno autem Ioannis abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1267. fundatum est in ciuitate Spirenfi monasterium fratrum prædicatorum S. Dominici, elemosynis ciuium ac aliorum fidelium, cum cōsensu Henrici eiusdem ciuitatis episcopi.

*Cāuentus prædicatorum Spire.*

Eodem anno maxima inter ciues & consulatum Coloniensis ciuitatis seditio fuit exorta. Nam cū rectores ipsius urbis ciues grauare uiderentur insolitis precarijs & exactiōibus, ciues prauorum consilio usi, se consolatui temere opposuerunt, & concitata seditione grauissīma, prouentesque ad arma, se mutua congressione in ipsa ciuitate petentes armis uulnerarūt, non paucis utrobique occisis.

*Coloniensium ciuium seditio.*

Anno Ioannis abbatis 3. dominicæ natiuitatis 1268. Conradus Friderici Imperatoris ex Cōrado filio nepos, dux Sueuiæ ultimus, collecto ex Alemania, & undecunque potuit auxiliatorū exercitu, Apuliam contra Carolum ingredi statuit, & regnum recuperare paternum. Quem Carolus in finibus Albanī agri superatum cepit, & nobilissimum iuuenem crudeliter interfecit. In quo illustrium Sueuiæ ducum genealogia defecit, in qua Romanum imperium plusquàm centum & uiginti annis tutò quiescens, incrementa sui accepit.

Eodem anno pridie nonarum Iunij, obiit Henricus Traiectensis episcopus, anno pontificatus sui 25. cui successit Ioannes de Nassauu. His temporibus milites ad inuicem dimicantes nocturno tempore in partibus Hollandiæ cum armis in aère apparuisse feruntur. Quòd prodigium magna gentis illius calamitas subsecuta fuit. Surrexit enim uulgus indomitū contra principes & nobiles, terræ, & conspiratione facta omnes extinguere ac penitus delere nobiles unanimi consensu decreuit, sibique omnimodam uindicare libertatem. Conuenientes igitur in maxima multitudine armati, exercitum ingentem produxerunt: uenientesque Traiectum, à ciuibus ut defensores libertatis libèter admissi sunt, qui statim omnes nobiles de ciuitate cum ignominia eiecerunt, bonis eorum in pauperes & egentes distributis. Inde progredientes oppida, castella & munitiōnes nobilium multas obtinuerunt, & quasdam funditus destruxerunt. Deinde cū oppidum quoddam Harlem nomine in Gelria situm fortiter obsidione uallarent, oppidani industria cuiusdam militis, auxilioque pontificis Traiectensis præfati & comitis Gelrensis usi, confœderatos illos Sotulariæ factionis bello uicerunt, multis captis, pluribus occisis. Et sic ad nihilum redacta Sotularia rusticorum societas euauit.

*Episcopus Traiectensis.*

*Bellū rusticorum.*

*Confœderationis Sotulariæ finis.*

*Pe'lum apud  
Kitzingen.*

nuit. Anno Ioannis abbatis 4. dominicæ autem natiuitatis 1269. magna inter Bertholdum episcopum Herbipolensem & comites de Henneberg, castello, & Hoënloe, dissensio fuit exorta, quæ successiue nimium crescente, tandem ad arma uenerunt, in totoq; certamine iuxta oppidum Kitzingen multi ab utraque parte uulnerati ceciderunt.

*Proscripti ex  
Coloniensibus.*

Eodem anno quidam de ciuitate Coloniensi proscripti, ad Engelbertum Bonnæ morantem confugerunt, à quo benigne sunt recepti, pro eo quod cum Coloniensibus non bene concordaret. Qui consilio accepto Coloniã noctu accedentes per occultum meatum sub terra, per quendam precio factum intrare uolentens, ciuitatem tradere in manus ipsius pontificis laborabant. Sed consilio detecto nihil profecerunt, licet multi hac occasione mala perierunt.

*Clemens papa  
obijt.*

Anno Ioannis abbatis quinto, dominicæ natiuitatis millesimo ducentesimo septuagesimo, Clemens papa quartus moritur, uacauitq; sedes ferè ad biennium.

Eodem anno inter Engelbertum archiepiscopum Coloniensem & ciues, pax & concordia, mediante Alberto Magno Ratisponensi episcopo, facta est.

Hoc ipso anno multæ seditiones in ciuitatibus diuersis, & bella inter principes terræ plura fuerunt, non solum in Alemania, sed in omnibus prouincijs adiacentibus, & multa milia hominum ceciderunt.

*Gregorius papa.*

*Consilium sit  
Lugdunense.*

Anno sequenti, qui fuit Ioannis abbatis 6. dominicæ autem natiuitatis 1271. indictione 14. post biennalem uacationem sedis apostolicæ, cardinales in pontificem Romanum elegerunt archidiaconum Leodiensem, Theobaldum nomine, eo tempore in Asia cum exercitu Christianorum contra infideles pugnantem: quem Viterbium euocantes papam creauerunt, diuvsq; est Gregorius decimus, & præfuit annis 4. uir tanto dignus honore, si tamen mortalis homo dignus censeretur tenere in terris locum & uicariatum Domini nostri Saluatoris in cælo præsidentis. Consilium generale Lugduni celebrauit anno pontificatus sui secundo, in quo multi cardinales, archiepiscopi, episcopi, abbates, alijsq; diuersi gradus prælati comparuerunt: multa ad electionem summi pontificis, ad expeditionem in Sarracenos, ad unionem Græcæ Latinæq; ecclesiæ, & ad pacem Christianorum pertinentia maturè statuentes. Ibi comparuit Palæologus Imperator Constantinopolitanus cum magno comitatu, quia tertiadecima uice in sententiam Romanæ ecclesiæ Græcos suos toties deficientes consilio necessario pertraxit.

*Henricus Spirensis  
obijt.*

Anno Ioannis abbatis 7. dominicæ natiuitatis 1272, obijt Henricus de Liningen episcopus Spirensis septimus & quadragessimus, in die S. Priscæ uirginis, hoc est 15. calendas Februarij: sepultus in maiori ecclesia Spirensi, sub marmore albo: cui successit Fridericus de Bolandia, ex sorore nepos. 4. nonas Martij, & præfuit annis fermè 30. uir bonus & strenuus, qui bene rexit ecclesiam.

*Engelbertus.*

Eodem anno obijt Engelbertus secundus, archiepiscopus Coloniensis quinquagesimus primus, Bonnæ in ecclesia sancti Cassij sepultus. Cui successit Siphridus de Vuesterburg, & præfuit annis 24. mensibus 5. uir laborum patiens & belli non ignarus.

Anno Ioannis abbatis 8. dominicæ autem natiuitatis millesimo centesimo septuagesimo tertio, Gregorius papa 10. audiens dissipationem Rom. imperij, & spolia de prædationesq; in Alemania nimias, quæ Imperatore nullo

nullo existente fiebant, mandauit principibus, ut infra tempus certum, iuxta facultatem sibi traditam, regem imperio idoneum eligerent: alioquin ipse Romano uellet imperio de rectore prouidere. Conuenientes ergo anno præscripto apud Fräckofordiam principes, post multos uariosq; tractatus, in regem Rom. tandē unanimiter elegerūt Rudolphū de Habsburg, tunc absentem, & Basileam cum magno exercitu obsidētem. Qui mox ut audiuit se in regē Rom. electū, soluta obsidione, cum magno apparatu ad Franckofordiam uenit, descendensq; cum principibus ad Aquisgranū, munus consecrationis ex more suscepit. Ibi principes iurata pace & obedientia in manibus noui regis, sua ab eo feudalīa susceperunt, promittētes ei contra quoscunq; firmam fidelemq; pro uiribus assistentiā. Rudolphus itaq; regno susceptus strenuē regnauit annis 18. & mēsis 10. Pacem reformauit in terra, prædones cōpescuit, & multa eorū præsidia munitionesq; destruxit, reparauit collapsum pro uiribus imperium, & plura quæ fuerant alienata à regno, in breui suo labore & industria recuperauit. Vxorem habuit Elisabeth filiam Burchardi comitis de Haierloch, de qua genuit filios tres & quatuor filias. Primus filius fuit Albertus, quem postea ducē Austriæ fecit, qui Adolpho in regno Rom. successit, ut suo loco dicemus: à quo Maximilianus rex noster illustris, cum omnibus Austriæ ducibus qui in terra fuerunt, descendit. Secundus filius Hartmannus, non longē à Basilea in Rheno fuit submetus. Tertius filius fuit Rudolphus comes de Habsburg, & dux Sueuiæ, qui filiam Odachari regis Bohemiæ duxit uxorem. Prima autem filiarū nupsit Vuenceslao fratri regis Bohemiæ. Secunda nomine Mechtildis, Ludouico comiti Palatino Rheni. Tertia, Alberto duci Saxonie. Quarta uerò, regi Apulie. Rudolphus itaq; rex inclytus de ciuitate in ciuitatē cum exercitu progrediens, ut uerus dominus ubiq; suscipitur. Pater autem Rudolphi regis fuit Albertus comes de Habsburg, qui quondā fuit Landtgrauius Alsatia, capitaneusq; ciuitatis Argentinēsis, uir bellicosus, cuius multa feruntur bella fortiter gesta: post cuius mortē in locum eius ipse consurgens, sicut leo in medio pastorum, ita cunctos aduersarios superauit sine timore. Comitatum Kyburg, Baden, & Mersburg, de manu comitis Sabaudia bellico apparatu adhuc comes uendicauit, & Molenberg, Gretzingē, Durlach, & magnā partem Sueuiæ obtinuit. Anno Ioannis abbatis 9. qui fuit dominicæ natiuitatis 1274. Euerhardus comes de Vuirtemberg, comes de Monsfort, comes de Helffenstain & comes de Dockenberg, cum alijs undecim comitibus, certisq; nobilibus, Rudolphū regem conspiratione facta aut capere, aut interficere summopere laborabant. Contra quos magnum produxit exercitum: omnesq; uicit, & ad obedientiam sibi & imperio perpetuo obligauit, pacemq; in omni terra circumquaq; ab Italia usq; in Angliam itineratibus firmissimā restituit. Cumq; principes ad instantiā Romani pontificis regem sæpe admonerēt, quatenus pro corona imperij Romam proficisceretur, respondēbat: Multos Alemanorū reges Italia consumpsit, non ibo Romam, Rex sum, Imperator sum, nec minus pro utilitate reipub. me facturū cōfido, quàm si Romæ fuissē coronatus. Regnans itaq; annis (ut diximus) ferme 19. imperij coronam à summo pontifice non accepit, ex causa quam dixit.

Anno Ioanis abbatis 10. dominicæ autē natiuitatis 1275. Rudolphus rex circa festū assumptionis B. Mariæ semper uirginis, cū magno exercitu profectus est in Bohemiā contra Odacharū regem, terras imperij occupātem. Mortuo enim priori anno sine liberis duce Austriæ, ducatuq; ipso cum comitatibus Thirolis & Carinthiæ, Romano imperio uacante, Bohemorum rex prædictus, terras ipsas quodam iure hæreditario allegato, sine imperij

Rudolphus rex  
Roma eligitur.

Filius Rudolphi regis.

Filia regis.

Albertus comes  
pater regis.

Kyburg comitatus.

Expositio regis  
in Bohemiam.  
Ducatus Austriæ  
in imperio uacat.

authoritate inuadens occupauit. Rudolphus autem in regem Rom. sublimatus, ipsum per literas admonuit, ut iniuste ablata imperio restitueret, alioquin periculum expectaret. Cuius mandata contemnens, astantibus dixit: Videte rem nouam, comes de Habsburg, qui exercitus nostri capitaneus et seruus maiestatis nostrae fuit, nobis mandata direxit ut dominus. Per coronam nostram, non erimus obedientiarum eius. Vnde commotus rex Rudolphus, producto in Bohemiã exercitu, eum bello superauit, & ad pacta subiectionis coegit, quem postea (sicut dicemus) promissa uiolantem, anno regni sui quarto rursus praelio superans occidit, & ducatum Austriae filio dedit.

Rudolphus rex  
Bohemiae superauit.

Gregorius papa.

Eodem anno Gregorius papa 10, obiit, Aretin sepultus: cui in pontificatu successit Innocentius 5, & praefuit mensibus tantum sex, uir optimus, de quo omnia bona sperabantur. Hic Petrus de Tarantasia, fuit antea uocatus, ordinis fratrum Praedicatorum S. Dominici, Theologus doctissimus, qui super quatuor libros Sententiarum, & quaedam alia, profundissime scripsit, & papa factus omnistudio pacem reformare in Italia studuit.

Ioannes abbas.

Anno quoque dominicae natiuitatis praenotato, Ioannes huius cenobii Hirsaugiensis abbas sextus & uigesimus, febrium graui molestia tactus, tertio die nonarum Iunij, ab hac mortali uita migravit ad aeternam, anno regiminis sui decimo, cum tribus mensibus, quatuorque diebus exacto, cuius corpus in maiori monasterio est humatum.

DE VOLANDO, HUIUS MONASTERII ABBATE

27. qui praefuit annis 6. mensibus 8. diebus 14. ac uarijs gestis.

Volandus.

Post mortem Ioannis 26. huius monasterii abbatis, quae contigit (sicut diximus) tertio nonas Iunij, anno dominicae natiuitatis 1275. eodem die post sepulturam eius, conuenientes ad locum capitularem fratres pastores carentes, post multos uariosque tractatus inter se habitos, Volandum quendam eiusdem loci monachum, in abbatem elegerunt: qui mox confirmatus & ordinatus a Friderico de Bolandia episcopo Spirensi, praefuit huic monasterio annis 6. mensibus 8. diebus 14. homo penitus inutilis, dissipator substantiae monasterii, qui uoluptates sectabatur & solatia carnis: cui de obseruatione regulari non erat cura, de regimine publicae honestatis & profectus cogitatio nulla. Natione fuit Alsaticus, non longe ab Argetina oriundus, qui de monasterio Gengenbach, sub domino Ioanne abbate, nescio qua occasione uenit ad Hirsaug. susceptusque a fratribus ad conuentum, unus ex ipsis factus est. Mortuo autem abbate Ioanne, ingenio & arte in eius locum suffectus, male rexit, & multa bona monasterii in paucis annis distraxit impignorando, uendidit & alienauit.

Origo & uita  
Volandi abbatis.

Anno namque regiminis sui 2. uti dicemus, decimam ualde proficuum alie nauit iniuste, ac sine consensu dioecelani & fratrum.

Odacharus rex  
Bohemiae occiditur.

Comites de Habsburg, sunt duces Austriae.

Anno Volandi abbatis 1. qui fuit dominicae natiuitatis 1276. Cum Odacharus rex Bohemiae pacta, quae anno priore Rudolpho regi Rom. promiserat, non seruaret, denuo ipse rex Rudolphus cum magno exercitu Bohemiã ingressus, Odacharum bello superans occidit, & totum regnum suae ditioni subiugauit. Porro ducatum Austriae, imperio (ut supra diximus) unam cum Stiria & Carinthia, filio suo primogenito nomine Alberto contulit, ipsumque de consensu principum, ex comitum numero in collegium ducum collocauit: & sic domus Austriae ducatus, ad comites de Habsburg imperiali munificetia deuenit, & peneseos manet usque in presentem diem. Ab hoc Alberto duces Austriae usque ad Maximilianum qui hodie regnat, & filium eius Philippum Brabantiae ducem, omnes per ordinem descenderunt, quemadmodum in sequentibus dicemus.

Innocentius papa obiit.

Anno praenotato obiit Innocentius papa quintus, ordinis fratrum Praedicatorum

dicatorum, Romæ in ecclesia Lateranensi sepultus. Huic in pōtificatu successit Othobonus patria Genuensis, S. Hadriani diaconus cardinalis, Innocentij papæ nepos, dictus Adrianus quintus, & præfuit mense uno, diebus decem, & obiit Viterbij ante munus consecrationis, in conuentu fratrum Minorum ibidem sepultus. Iste pontifex Rudolphum regem per literas & nuncios in Italiam uocat, ad comprimendam Caroli regis Siciliæ potentiam: qui oblitus beneficiorū Innocentij papæ 4. qui regnum legitimis ablatum hæredibus Conrado & filio eius Conradino, sibi contulerat, Romæ omnia pro arbitrio agebat, Deo iniuriam illorum uindicante. Verum Rudolphus Bohemico implicitus bello, pontifici satisfacere non potuit. Adriano quoque infra dies 40. mortuo, Petrus episcopus Tusculanus, patria Vlixibonensis, in pontificatu succedens, Ioannes 21. est uocitatus, & præfuit mensibus 8. quo tandem mortuo, Viterbij noua super eum camera ruente, sedes Apostolica sex mēibus uacat. In medicinis & philosophia doctissimus erat, & multa scripsit. E quibus summula quædam extat, quam Thesaurum pauperum appellant, opus profectò iucundum, delectabile, & in medicinis non inutile.

Adrianus papa.

Anno Volandi abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1277. ipse Volandus abbas conuiujs & uoluptatibus nimium deditus, monasterij substantiam prodigaliter amicis suis & consanguineis alijsq̃ inutilibus personis distribuendo expēdens, cum pecuniæ deficerent, res cœnobij immobiles detrahere & alienare cœpit. Et in primis quidē decimā cum omni prouentur in Elmendingē & Vuyl partem mediā uendidit. in graue & perpetuum huius monasterij dispendium: ipsamq̃ pecuniā in usus suorū expendit, non ad profectū posteritatis, quemadmodum oportuerat. Alia quoque nonnulla monasterij bona immobilia, tēpore sui regiminis alienauit: quorū nomina in obliuionem duxit nimia intercapedo temporis subsecuti. Enimuero hoc æuum ignauia plenum erat: nec curabant monachi, res gestas ad notitiam posteritatis per scripta ducere, sed ignari & carnales effecti, uana & inutilia mundi sectabantur.

Volandus abbas.

Eodem anno Henricus de Vistingen archiepiscopus Treuerensis, castrum iuxta Mosellam quod Berncastel nuncupatur, construxit: & uillam ipsam muro circumcinxit, quæ montibus alioquin altissimis, ab Oriēte, Meridie & Aquilone, ac Mosellæ fluuio ab occidente circūsepta, natura protegente inexpugnabilis poterat uideri.

Berncastel iuxta Mosellam.

Eodem anno Hartmannus adolescens, filius Rudolphi regis Rom. tertio genitus, non longè à Basilea in Rheno submersus est, & cum genitrice in ipsa Basiliensi ecclesia sepultus.

Hartmannus regis filius submersus.

Anno etiam prænotato Euerhardus episcopus Vuormatiensis in Italia constitutus, obiit, cuius corpus in Alemaniā relatū est, & in monasterio Otterburg Cisterciensis ordinis humatum: cui Fridericus in pontificatu succedens, præfuit annis ferè 6. Eodem anno in die S. Heriberti episcopi Vuilhelmus comes Iuliacensis, cum tribus filijs, & 468. nobilibus militibus & armatis Aquisgranis de fero circa nonā horam occultè intrauit, uolens ciuitatem capere ac suo dominio subiugare. Quo cognito, ciues ad arma concurrentes, ipsum cum omnibus suis in medio fori, bello congressi occiderunt, ita ut ne unus euaderet: pro cuius facti expiatione grauius postea multati sunt. Nam tertiam partem oblationum in ecclesia beatæ Mariæ semper uirginis, ex deuotione peregrinorum, uel undecunque cedentium, comitibus de Iuliaca dare perpetuò, tandem coacti sunt. Institutionem quo-

Euerhardus.

Comes Iuliacensis Aquisgranis occiditur.

*Siphridus.*  
*Ioannes dux Brabantie.*  
 què præpositi Aquensis ecclesiæ, comites Iuliacenses, qui modò sunt duces, ex illo tempore acceperunt usq; in hodiernum diem. Vuilhelmo autem comite Iuliacense mortuo, Siphridus archiepiscopus Coloniensis eius dudum inimicus, Aquensibus confœderatus, terram illius destitutam principe armata manu ingreditur, omnia ferro & igne demolitur, oppida capit, obtinet munitiones, totumq; in suam potestatem redigit comitatum. Contra quem dux Brantiæ auxilio consanguineorum & amicorum comitis occisi, exercitum duxit, sed parum profecit. Tandem Martino papa quarto uices suas interponente, concordia facta est, & archiepiscopus omnia quæ abstulerat dominia, oppida, castra, & uillas restituit.

*Nicolaus papa.*  
*Bickelnhaim.*  
 Anno quoq; prenotato, posteaquam sedes apostolica uacasset mensibus 6. tandem cardinales elegerunt Ioannem Caietanum, patria Romanum, familia Ursinum, in summum pontificem, qui Nicolaus tertius appellatus, præfuit annis 3. mensibus 9. diebus 20.

*Cœnobiū monialiu in Hocheim.*  
 Anno Volandi abbatis 3. dominicæ autem natiuitatis 1278. Henricus comes de Spanheim castrum Bickelnhaim, non longè à meo monasterio Spanheimensi, cum castrensibus uendidit Vuenero archiepiscopo Moguntino, pro mille & quadringentis marcis denariorum Aquensium, quod fratri eius comiti Ioanni in tantum displicuit, ut publicus archiepiscopi hostis factus sit. His quoq; temporibus sub Friderico Vuormatiensi episcopo, fundatum est cœnobiū monialium ordinis Prædicatorū in Hocheim iuxta Vuormatiā, in honorem B. Mariæ semper uirginis, per Dirolphum militem & Agnetem cōthoralem eius, qui unicam filiam cum omnibus bonis mobilibus & immobilibus eidem cœnobiō tradiderūt Domino, in sancta uirginitate perpetuò inibi seruituram.

*Comites capti fuerunt.*  
 Anno Volandi abbatis 4. dominicæ natiuitatis 1279. inter Vuernerum archiepiscopum Moguntinū & Ioannem comitem de Spanheim atrox bellum in campo iuxta Sprendelingen, miliario à Creutzennach geritur, in quo comes cum suis superatur, multis captis, pluribus ex utraq; parte occisis. Inter præcipuos autem quos de parte ipsius comitis archiepiscopus præfatus duxit, captiuos fuerunt comes Rheni, comes Emicho de Liningen, et comes de Vtelingen, cum multis alijs nobilibus & præstantissimis uiris, qui omnes ad biennium in captiuitate fuerunt detenti, quousq; inter archiepiscopum & comitem prædictos conueniat: tandem per Rudolphum regem Romanorum apud Moguntiam concordia facta est, anno Domini 1281. indictione 9. 12 die Decembris, in qua captiui omnes, facto iureiurando pacis, dimissi fuerunt.

*Henricus comes Veldentia.*  
 Eodem anno Henricus comes Veldentia, dapifer ecclesiæ Moguntinæ, foedus perpetuum pro se & hæredibus suis inijt cum domino Vuenero archiepiscopo Moguntino & successoribus eius, in quo sibi mutuò fidelem assistentiam contra quoscunque iniuriatores promiserunt: ut patet in literis eiusdem confœderationis, quæ datæ fuerunt anno præscripto calendis Septembris in Moguntia.

*Albertus Magnus obiit.*  
 Anno Volandi abbatis 5. dominicæ natiuitatis 1280. obiit Albertus Magnus ordinis Prædicatorum, quondam episcopus Ratisponensis in Bauaria, anno ætatis suæ 87. Colonia in medio choro conuentus sui sepultus, non sine opinione sanctitatis.

*Confirmatio priuilegiarum.*  
 Eodem anno Nicolaus papa tertius, anno pontificatus sui tertio, confirmauit omnia priuilegia, libertates & bona huius monasterij Hirsaugiensis, ad instantiam abbatis & conuentus, dans eis bullam sub plumbo in Auinio ne, ut



ne, ut moris est, 8. calendas Decemb. Aliam quoque bullam confirmationis priuilegiorum dedit eisdem Romæ apud S. Petrum, 13. calendas Ianuarij, anno pontificatus sui primo.

Anno autem Volandi abbatis 6. dominicæ autem natiuitatis 1281. Rudolphus rex Romanorum, rebus in Austria & Bohemiâ prosperè gestis, datâ filia sua in matrimonium Vuentzlao filio regis Bohemiæ Odachari, quem uita & regno (sicut supra diximus) priuauit, & assignato illi cum filio regno paterno, ad negotia imperij reuersus est. Et primo quidem in Nuremberga, deinde in Franckofordia cõuentum principum celebrauit: omnia castella & latibula prædonũ in circuitu destruxit. Post hæc magnum exercitũ duxit in Burgundiã contra comitem illius terræ, mandatis suis inobedientem, & Bisuntinam ciuitatẽ obsidione cingens obtinuit. Comitem quoque ipsum cum magno exercitũ ad bellum occurrentem superauit, & in deditio nem coëgit. Rediens autem de Burgundiâ Colmariam, Thurregum, Beronam & Hagenau, ciuitates in rebellionem cõiuratas expugnando cœpit, authoribus rebellionis partim accisis, partim proscriptis, & siluit terra coram eo in pace.

Rudolphus rex in Bohemia prosperatur.

Rex Burgundiam subijcit. Colmaria, Thurregum, Beronam, Hagenau.

Eodem anno obiit Nicolaus papa tertius Romæ, apud S. Petrum, cum honore sepultus, & uacauit sedes Apostolica mensibus quinque, propter discordiam cardinalium: quibus elapsis tandem elegerunt Simonem sanctæ Cecilie presbyterum cardinalem, natione Gallum, ex ciuitate Turonensi oriundum, qui 10. calendas Aprilis coronatus, & Martinus quartus uocitatus, præfuit annis 4. mense uno, uir sanctissimæ conuersationis, qui miraculis claruisse fertur.

Nicolaus papa.

Martinus papa.

Anno sequenti, qui fuit dominicæ natiuitatis 1282. cum Volandus abbas malo suo regimine, insigni huic monasterio, tam in spiritalibus quam temporalibus damna grauissima intulisset, fratres insolentiã eius & nimiam prodigalitatẽ diutius ferre non ualentes, consilijs amicorum usi, eum tandem ad resignationem abbatie, quam utiliter gubernare & regere non uoluit, induxerunt. Resignauit ergo abbatiam ad manus fratrum, duodecima calendas Februarij anno Domini 1282, indict. 10. posteaquam eam malè rexisset annis 6. mensibus 8. diebus 14. non sine damno cœnobij.

Volandus abbas deponitur.

DE DOMINO CRAFTONE, HUIUS MONASTERII  
abbate 28. qui præfuit annis 11. & de uarijs gestis  
illius temporis in Alemania.

VAcante itaque monasterij huius abbatia, per resignationẽ Volandi quondam abbatis, ne damna ex diutina uacatione in aliquo pateretur, cõuenientes ad locum capituli fratres, de substituendo pastore maturũ coeperunt habere consilium: ne si minus consultè, ut prius contigit, eligerent, grauiora mala sustinerent: post uarios itaque tractatus inter se necessariò habitos, tandem elegerunt Craftonem monachum, & maiorem huius monasterij tunc temporis cellarium, uirum maturum, & in negotijs tẽporalibus expertum, natione Sueuum, honestisq; parẽtibus ortum, & fuit octauus & uicesimus huius monasterij abbas: qui cõfirmatus à Friderico de Bolãdia episcopo Sprensi, & ex more benedictus, præfuit annis 11, & aliquot mēsis: qui cum esset experientia doctus in cura rei familiaris, satis utiliter & modestè singula disposuit. Veruntamen collapsam regularis disciplinæ obseruantiam, reducere ad pristinum feruorem non potuit.

Crafto.

Anno autem prænotato, Rudolphus rex Richenstein & Schonek castra prædonum munitissima, uiolenter cepit, ac funditus subuertit.

Richenstein & Schonek.

Eodem quoque anno secunda feria post festum dominicæ resurrectionis ciues Moguntini seditione facta in Iudæos, multos interfecerunt, & reliquos omnibus bonis spoliatos de ciuitate eiecerunt, moxque generalis Iudæorum persecutio in Alemania tota secuta fuit.

*Suartzach.*

Anno Crafftonis abbatis primo completo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1283, in die S. Potentianæ uirginis, comites de Henneberg exercitum contra Bertholdum episcopum Herbipolensem producentes, fortissimum oppidum Suartzach iuxta Mogonum igne combusserunt, & monasterium S. Fœlicitatis nostri ordinis ibidem extra muros situm spoliantes, omnia quæ inuenerant deportarunt.

*Conuentus principū Herbipoli.*

Eodem anno Martinus papa quartus, legatum de Latere misit in Alemaniā episcopum Tusculanum, qui ueniēs ad Herbipolim in præsentia Rudolphi regis Roman. & multorum principum, episcoporum, abbatum, ducum, comitum atque nobilium conuentum celebravit: ubi inter alia legatus ipse nomine papæ, contributionem decimi denarij à clero, & rex ab uniuerso populo imperij instantissimè exigere cœperunt, multis principibus in eorum sententiā consentientibus, Siphridus autem archiepiscopus Coloniensis & Henricus archiepiscopus Treuironum, contra insolitam ac nimis grauem exactionem se fortiter opposcentes, negotium penitus reuocarunt.

*Fridericus.*

Anno Crafftonis abbatis 2. dominicæ natiuitatis 1284, obiit Fridericus episcopus Vuormatiensis: cui successit Simon de Schoneck, & præfuit annis 8. mensibus tribus, diebus 14. uir iustus & miræ probitatis, qui multa bona fecit.

*Vuernerus.*

Eodem anno secunda die mensis Aprilis obiit Vuernerus de Falckenstein archiepiscopus Moguntinus in maiori ecclesia sepultus, & uacauit sedes Moguntina ferme per triennium: duobus in diffensione electis, uidelicet Petro canonico Basiliensi maioris ecclesiæ præposito, qui fuerat medicus Rudolphi regis Romanorum, & Gebhardo de Ekstein archidiacono Treuerensi: quibus apud sedem apostolicam de archiepiscopatu per triennium contententibus, tandem Honorius papa quartus utroque abrogato, Henricum Basiliensem episcopum ordinis Minorum, in archiepiscopum ecclesiæ Moguntinæ præfecit, & Petrum præfatum medicum, in episcopum Basiliensis ecclesiæ ordinauit.

*Sedes Mogunt. uacat.*

*Bertholdus.*

Eodem anno obiit Bertholdus 42. episcopus Herbipolensis, in maiori ecclesia sepultus: cui successit Mangoldus de Nuenburg, & præfuit annis 12.

*Moguntia.*

Anno Crafftonis abbatis 3. dominicæ natiuitatis 1285, ecclesia beatæ Mariæ semper uirginis in Moguntia, dicta Ad gradus, cum una turri maioris ecclesiæ contigua & nouis apothecis crematur.

*Herbipolis.*

Eodem anno 6. iduum Ianuarij, ciues Herbipolenses, canonicos omnes & clerum omnibus bonis spoliantes de ciuitate expulerunt.

*Ludouicus comes Palatinus obiit.*

Hoc ipso anno obiit Ludouicus comes Palatinus Rheni & Buarie dux, filius Ottonis, qui primus ex ducibus Buarie Palatinatum obtinuit, sicuti in præcedentibus dictum est. Sepultus est autem Ludouicus in monasterio Furstenfeld in Bauaria, quod ipse in Bauaria de nouo construxit, in satisfactionem interfectæ uxoris. Duos filios reliquit Rudolphum comitem Palatinum Rheni, qui uxorem duxerat Mechtildem filiam Adolphi regis Roman. de qua genuit Rudolphum, Rupertum & Adolphum, de quibus postea dicemus: & Ludouicum ducem Buarie postmodum Imperatorem Rom. qui duxit uxorem Margaretham, sororem Philippi regis Fræcorum.

Alj

Alij dicunt ex filia neptem, quæ peperit ei Ludouicum marchionem Brandenburgensem, Stephanum ducem Bauariæ in Lanshuta commorantem. Albertum ducem Bauariæ in Staubingen residentem, Vuilhelmum comitem Hollandiæ, Selandiæ & Hannoniæ ac Phrysiæ dominum, Ottonem dictum Romanum, quia Romæ natus fuerat, & Ludouicū alium ducem Bauariæ. Mater autem præscriptorum ducum Margaretha, sororis regis Franciæ & Vuilhelmī comitis Hollandiæ filia fuit, quæ patre sine filijs mortuo, comitatum paternum Hollandiæ, Hannoniæ ac Selandiæ obtinuit, eumq̄ Vuilhelmo filio, quemadmodum suo loco dicemus, assignauit.

*Comitatus Hollæ  
diæ, Hannoniæ.*

Eodem quoque anno obiit Martinus papa quartus Perusij, in maiori ecclesia sepultus, ad cuius sepulchrum multi ualitudinarij delati, cæci perducti, muti & claudī pristinam ualitudinem receperunt. Huic in pontificatu successit Honorius quartus patria Romanus, Iacobus antea uocitatus, diaconus cardinalis, & præfuit anno uno, diebus undecim, uir bonus & integer, scientiæ & honestatis uerus amator.

*Martinus papa  
quartus obiit.*

*Honorius papa.*

Anno Crafronis abbatis 4. dominicæ autem natiuitatis 1286. Honorius papa prædictus, cassata electione canonicorum Moguntinensium, quam fecerant ante biennium de Petro Medico & Gerardo de Epstein, Henricū episcopum Basiliensem (sicut supra diximus) ordinis Minorum in archiepiscopum ecclesiæ Moguntinæ ordinauit, qui præfuit anno uno, mensibus undecim, diebus quinque.

*Henricus.*

Eodem anno Rudolphus rex Rom. pecuniæ auidus, rem principē turpem commisit: cancellarium suum in Italiam misit, qui accepta pecunia populos omnes liberos faceret, eos potissimū qui se pretio redimerent. Lucenses ob eam rem duodecim millia nummūm auri persoluerunt, Florentini uerò sex millia. Qui statim liberi omnino facti, Magistratum quem priores artium uocant, addito uexillifero iustitiæ creauerunt. In hunc modum & reliquæ ciuitates pleræq̄ sese pecuniā interueniente in libertatem contulerunt.

*Rudolphi regis  
factum turpe.*

Anno Crafronis abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1287. Iudei quædam puerum Christianum ex uilla Vuamraid oriundum, nomine Vuernerum, furtiuè rapientes, ad oppidum Vuesaliense iuxta Rhenum secum abducunt, eumq̄ pro recipiēdo sanguine eius, 13. calendas Maij acubus & cultris pungentes post longum martyrium crudeliter occidunt, cuius corpusculum in oppido Bacherach humatum, usq̄ in præsentem diem in quadā capella ostenditur incorruptum, & ab incolis loci pro martyre ueneratur, signisq̄ claruisse multis dicitur.

*Vuernerus à Iu-  
deis occiditur.*

Anno prænotato obiit Honorius papa 4. & uacat Apostolica sedes mensibus 10. Ipse ordinem Carmelitarum non satis in consilio probatum, mutatis chlamydis uirgulis in albas, & ordinem eremitarum sancti Augustini apud Parisios improbatum confirmauit. Sepultus est Romæ in ecclesia sancti Petri.

*Honorius papa.*

Anno Crafronis abbatis 6. dominicæ autem natiuitatis 1282. 15 calendas Aprilis obiit frater Hēricus ordinis Minorum archiepiscopus Moguntinus, in maiori ecclesia Moguntię sepultus: post quem iterum duo in dissensione electi fuerunt, Gerardus de Epstein canonicus Moguntinus, & archidiaconus Treuerensis, quem ante Henricum electum contra Petrum fuisse diximus, & Emericus de Schoneck scholasticus Moguntinus. Verum dum hæc apud Moguntiam fierent, Apostolica sedes Honorio papa mortuo (sicut diximus) uacauit: propter quod, causa eorum non poterat neque in partibus, neque Romæ terminari. Interea Hēricus archiepiscopus Treuerensis mori

*Henricus obiit.*

tur, & Gerhardus prædictus contra Bohemundum ab una parte capituli in archiepiscopum postulatur: qui tandem Nicolao papa quarto creato, Romam cum duplici electione profectus, contra Emericum Moguntinum & Bohemundum Treuerensem, archiepiscopus Moguntinus ab ipso papa ordinatus est, & præfuit annis 16. uir prudens & magnanimus, qui bene & utiliter ecclesiã suam rexit, & multa strenuè pace belloq; gessit. Bohemudus autem in archiepiscopum Treuironum ordinatus, præfuit annis 11. qui & ipse multa probè gessit, & iura ecclesiæ defensauit.

Gerhardus.

Bohemundus Treuerensis.

Dux Limpurgensis obiit.

Dux Brabantie ducatum obtinuit

Arox bellum iuxta Vuoring.

Comes Gelrie Reinaldus captus.

Nicolaus papa.

Rex iterum in Burgundiam.

Comites sex obierunt.

Henricus dux Bavarie moritur.

Anno prænotato obiit dux Limpurgensis sine liberis, pro cuius ducatu magna inter Ioannem ducem Brabantie & Reinhardum comitem Gelrie dissensio orta fuit. Tandem uenitur ad bellum, Dux Brabantie habuit in sua parte Godfridum fratrem suum Brabantie ducem, Adolphum comitem de Monte, Henricum comitem de Vuindeck, Vualramum comitem de Iuliaco, Gerhardum fratrem eius comitem de Iuliaco, Euerhardum comitem de Marca, & fratrem eius, comitem quoque sancti Pauli, comitem de Lofs, episcopum Leodiensem, ciues Colonienses, aliosque nobiles multos & fortissimos. Porro cum Reinaldo comite Gelrie fuerunt Siphridus archiepiscopus Coloniensis, Henricus comes Lutzenburgensis, & frater eius Vualramus, Ioanes quoque dominus de Limpurg, Hericus comes de Vuesterburg, comes quoque de Falckenburg, & alij complures, conferto prælio, 5. die mensis Iunii, circa uillam Vuoring dictam, in Coloniensi diocesi, multi ab utraque parte ceciderunt: tandemque Ioannes dux Brabantie uictoriam obtinuit. Ibi inter alios nobiles multos ceciderunt Henricus comes de Lutzenburg, & Vualramus frater eius, Reinaldus Gelrie comes à duce Brabantie captus, non solum iuri suo ad ducatum Limpurg cedere, sed pro sui etiam liberatione multa castra, dominia & ingentem pecuniarum summam dare coactus fuit. Siphridus quoque archiepiscopus Coloniensis, ab Adolpho comite Montensi captus, per septem annos in custodia detinetur: nec prius dimitti potuit, quam se pecunijs, castris & prouentibus multis, cum graui dispendio ab eo liberauit. Capti fuerunt & alij multi, plures uero interempti. Sunt qui scribant, in eo prælio centena hominum millia ad certamen belli conuenisse.

Eodem anno posteaquam sedes apostolica decem mensibus uacasset, cardinales tandem Perusij congregati, Hieronymum S. Sabinæ presbyterum cardinalem, ordinis fratrum Minorum, in papam elegerunt, qui Nicolaus quartus nuncupatus, præfuit annis 4. mense 1. diebus 8. uir bonus, amator religionis & pacis.

Anno Craftonis abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1289. Rudolphus rex iterum exercitum duxit in Burgundiam, & primò quidem ciuitatem Paterniacum obsidens cepit: postea comitem Burgundie rebellem & periuurum capiens, ad uincula coniecit. Comitem quoque Sabaudie, & comitem montis Bellicardi similiter capiens, in ditionem suam iurare coegit.

Eodem anno Emicho comes de Liningen, Dietherus filius Euerhardi comitis de Katzenelenbogen, Vualterus comes de Geroldeseck, Gerlacus senior dominus de Limpurg, comes quoque de Vuelingen, & comes de Reineck, uno tempore apud Nigram syluam miserè obierunt.

Anno Craftonis abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1290. obiit Henricus dux Bavarie filius Ottonis primi, ex ducibus Bavarie Palatini comitis, frater Ludouici, de quo supra dictum est: qui habuit uxorem Elisabeth, filiam regis Belæ Vngarie: quæ peperit ei Ottonem Vngarie regem, Ludouicum

uicem & Stephanum duces Baurariæ: qui duo, mortuo patre, dominium in Lanshuta tenuerunt.

Eodem anno, 6. nonas Maij, obiit Petrus, monasterij mei Spanheimensis abbas octauus, cui successit Ioannes secundus, & præfuit annis 7. mensibus 11. qui omni studio ecclesiam exornare curauit, quam etiam anno suo primo dedicari à nouo cum altaribus fecit. His temporibus Siphrido Coloniensis ecclesiæ archiepiscopo, sub custodia comitis de Monte, per septennium (sicut diximus) captiuo, Vualramus comes de Iuliaco per terras ecclesiæ Coloniensis, ferro debacchatur & igne, multa damnorum incommoda pauperibus intulit. Castrum ecclesiæ fortissimum, Zulph dictum, inter alia cepit, ac funditus destruxit. Simili uesania concitatus Euerhardus comes de Marcha, cum suorū ualido exercitu intrauit Vuestphalam, & Angariæ ducatum ad dominium ipsius archiepiscopi pertinentem, incendio & rapina deuastauit, & multas munitiones terræ, castra & oppida sibi subiugauit.

*Petrus abbas.*

*Comes Iuliacensis Vualramus.*

*Euerhardus comes Marchiæ.*

Anno Craiftonis abbatis 9. dominicæ autem natiuitatis 1291. Rudolphus rex Rom. conuentum principum solēnem celebrauit in Franckofordia, ubi multis precibus, uis et modis, principes conabatur inducere, ut filiū suū Albertum ducem, in regem eligerent: quod tamen obtinere non potuit, licet post mortem Adolphi de Nassau, idem filius tandem rex fuerit factus, ut suo loco dicemus. Rudolphus igitur cum amicis suis Argentinam se conferens, animi recreandi gratia, in infirmitatē incidit, quæ curati nequiuit. Vnde cum festinatione Spiram se duci fecit, ubi antecessores sui Reges & Imperatores sepulti erant. Quò cum peruenisset, mox anno prenotato, in octaua diuisionis Apostolorum obiit, ibique in maiori ecclesia sepultus fuit, & uacauit imperium quasi anno uno, propter discordiam principum.

Eodem anno in mense Decembri obiit Nicolaus papa quartus Romæ, in ecclesia S. Mariæ maioris cum honore sepultus, & uacauit sedes Apostolica annis duobus, mensibus 3. diebus 18.

*Nicolaus papa.*

Anno Craiftonis abbatis 10. dominicæ natiuitatis 1292. in principio mensis Maij conuenerunt principes in Franckofordia, postquam imperium ferme ad annum uacauit, ut Rom. regem eligerent. Qui multis inter se consilijs & tractatibus habitis, Adolphum comitem de Nassau regem decernunt, uirum insignem, sed milite ac pecunijs parum abundātem, qui regno suscepto imperauit annis 6. Contra hunc Albertus dux Austriæ filius Rudolphi regis defuncti, se quorundam principum auxiliō erexit, dicens imperium ad se pertinere iure paterno, neque aliū eligendum quā diu de regali prosapia idoneus aliquis ad regnum potuerit inueniri. Vnde cunctis diebus quibus uixit Adolphus, in sensum illum habuit, donec tandem desertus à principibus in agro Vuormatiensi ab eo interfectus fuit.

*Adolphus comes de Nassau sit rex.*

Anno præscripto Gerhardus archiepiscopus Moguntinus synodū præuincialem suffraganeis & prælatis suis, in Asschaffenburg celebrandam indixit, ubi conuenerunt episcopi Eistertensis, Spirensis, Augustensis, Herbipolensis, Bambergensis, Hildeshemensis, & Vuormatiensis, cum alijs multis abbatibus, præpositis, decanis atque presbyteris, qui multa & uaria in negotijs ecclesiasticis utilia statuerunt. Soluta consilio, cum unusquisque suo proficisceretur itinere, Gerhardus episcopus Traiectensis, filius Euerhardi comitis de Katzenelenbogen, Fridericum episcopum Spiresem in uia iuxta uillulam quæ prope Mogonum sita (Kesterbach nominatur) cepit, captiuumque abduxit, quousque interueniente concordia pacto dimissus ab eo fuit.

*Synodus Mog.*

*Vuormatia con-  
ocentur.*

Anno Craſtonis 11. dominicæ autem natiuitatis 1293. Vuormatiæ ciuitatis magna pars denuò incendio horribili conflagrauit.

*Simon.*

Eodem quoque anno in die ſancti Othmari abbatis, obiit Simon epiſcopus Vuormatiensis, & in monasterio Schonaugiensi ſepultus eſt. Quo mortuo in ſucceſſorem electus fuit Gerhardus filius comitis Hirſuti, uulgariter dicti Rugraffi: qui priuſquam confirmari poſſet, Apoſtolica ſede uacante immatura morte præuentus eſt. Poſt hunc electus fuit anno ſequenti Euerhardus de Stralenberg, qui præfuit decem menſibus duntaxat, & mortuus eſt.

*Adolphus rex.*

Eodem quoque anno Adolphus rex Rom. nonus, exercitum duxit contra Marchiones Miſnenses, ipſamque marchiam Romano imperio ſubditam fecit, atque cum ſuis principibus obedientem. Inter Philippum regem Gallorum, Eduardumque regem Anglorum, hoc ipſo anno bello quod aliquot annis cum ingenti amborum clade durauit, initium ſumpſit, non ſine multorum ſanguine. His etiam temporibus Euerhardus comes de Vuirtenberg cum Alberto Auſtriæ duce ſentiens, Adolphum regem Rom. perſequitur, multa illi damna inferens, multaque recipiens illata. Comes iſte Euerhardus homo quietis impatiens, amator belli, ſemper in motu, ſemper inquietus, cum omnibus regibus, qui ſuo tempore Rom. gubernabant imperium contentiones habuit: omnibus inſeſtus, omnibus rebellis & contrarius fuit. Rudolpho primò confœderatus, quatuordecim comitibus (ſicut ſuprà diximus) rebellauit. Poſtea perſequenti Adolphum, duci Alberto firmiſſimè adheſit. Deinde mortuo Adolpho, non minus Alberto cõtrarius erat, quam alios ante eum reges pro uiribus fuerat perſequutus.

*Euerhardus comes  
Vuirtenber.*

*Rudolphus rex.*

*Craſto obiit.*

Anno prænotato moritur Craſto huius monaſterij Hirſaug. octauus & uigeſimus abbas, anno regiminis ſui 11. completo, uir quidem ſuo tempore bonus, ſed antiquis patribus zelo & feruore monaſticæ integritatis minimè comparandus, quippe qui collapſam regularis diſciplinæ obſeruantiam & reperit & dimiſit.

DE GOTFRIDO, HUIVS MONASTERII ABBATE

29. qui præfuit annis 7. & de uarijs geſtis  
illius temporis in Alemania.

*Gotfridus abbas.*

Craſtone uenerabili abbate mortuo atque ſepulto, ad electionem noui paſtoris fratres huius monaſterij ad locum capitularem conuenientes, præmiſſis orationibus cõſuetis, maturum inter ſe cõperunt habere tractatum. Qui tandem poſt multa conſilia unanimiter elegerunt Gotfridum uenerabilem ſenem, qui longo tempore cuſtodis officium tenuit, natione Sueuum, honeſtis ſecundum ſeculum parentibus ortum, qui à Friderico epiſcopo Spireniſi cõfirmatus, & ex more benedictus, in ordine abbatum huius monaſterij nonus & uiceſimus, præfuit annis 7. Erat autem homo magnæ ſtaturæ & elegantis perſonæ, de militari genere procreatus, in agendis promptus & idoneus, ingenio ſubtilis, conſilio cautus & prudens, eloquio diſertus, actione præcipuus, uita & conuerſatione maturus. Collapſam regularis diſciplinæ obſeruantiam libenter ad priſtinum integritatis ſuæ ſtatum reduxiſſet, ſed obſiſtentibus ſibi monachis tam dudum in laxitate conſuetis, ac malitia temporum reclamante, ſanctum reformandi propoſitum debito mancipare affectui non potuit. Occaſione tamen huius uoluntatis multas rebelliones & moleſtias eorum ſuſtinuit, qui cum eſſet uir prudens, omnes conſilio facilè ſuperauit.

*Vita & mores  
Gotfridi abbatis.*

Anno eius primo currente, qui fuit dominicæ natiuitatis 1294. poſteaquam ſe

quàm sedes apostolica biennio, & fermè quatuor mensibus uacasset, diuina tandem (ut credebatur) ordinatione, in papam fuit electus Celestinus quintus, eremita, sub regula S. patris nostri Benedicti professus: à quo Celestinorum ordo sumpsit initium, uir sanctissimæ conuersationis, Petrus ante pontificatum uocatus, qui præfuit mensibus tantùm 5. & renunciavit papatu. Cui successit Bonifacius 8. & præfuit annis 8. mensibus 9. diebus 17. cuius machinatione Celestinus resignauerat. His quoque temporibus magna inter Philippum regem Franciæ & Eduardum regem Angliæ dissensio fuit suborta, cuius occasione atrox bellum inter ipsos committitur. Rex Angliæ Adolphum de Nassau, regem Rom. pro centum milibus argenti marcis ea conditione in auxilium uocat, ut diuisa inter principes imperij pecunia, communi suffragio ei contra Francos assisterent. At uerò rex Adolphus acceptam pecuniam, in proprios usus contèptis principibus retinuit. Vnde ab eis quoque spretus, seruare promissa regi Anglorum non potens, magnam confusionem incurrit.

Celestinus ordo.

Bonifacius.

Rex Francorum.

Rex Anglorum.

Rex Romanorū.

Anno sequenti, qui fuit Gotfridi abbatis 2. dominicæ autem natiuitatis 1295. indictione 8. Albertus dux Austriæ filius Rudolphi quondam Imperatoris, regnum ambiens Rom. Adolphum regem totis uiribus persequitur, multa inferens ei damna. Quem cum rex priuare ducatu statuisset, principum illi adhærentium terrore uictus, propositum mutare compulsus est.

Albertus.

Adolphus dux

Austriæ Adol-

phum regē perse-

quitur.

Siphridus.

Eodem anno Siphridus archiepiscopus Coloniensis post septennium suæ captiuitatis, multo tamen pretio de manu comitis Montensis liberatus est. Non diu postea idem archiepiscopus arte & industria usus, contra iuramentum fœderis, ipsum comitem nil tale metuentem cepit, & duro carceri usq; ad mortem mancipauit. Captus autem comes, & in maxima afflictione detentus, omnia se redditurum archiepiscopo quæ ab eo extorserat, maioraq; pro sua liberatione additurum liberaliter ac sponte pollicitus est: sed à pontifice non fuit exauditus, quin potius impropèrater tale respòsum ab illo recepit: Habet S. Petrus, quo sine tuis rebus promissis suos enutriat famulos, ideoq; me uiuente non dimitteris, sed mortem in carcere subibis, discesq; quemadmodum archiepiscopum debeas tenere captiuum. Itaq; comes in custodia moritur.

Eodem etiam anno Ioannes dux Brabantia in hastiludio occisus est.

Dux Brabantia.

Anno Gotfridi abbatis 3. dominicæ natiuitatis 1296. obiit Manegoldus episcopus Herbipolensis, cui Andreas de Gundelsingen succedens, præfuit annis 22. qui & ipse multas contentiones habuit cum ciuibus suis, à quibus uarias iniurias suscepit.

Andreas.

Eodem anno Florentinus, comes Hollandiæ, anno regiminis sui 42. à suis traditus, in manus aduersariorū crudeliter occisus est, 5. calendis Iulij: cui successit Ioannes filius eius, qui in uxorem duxerat Elisabeth filiam Eduardi regis Anglorum, de qua liberos non suscepit, rexitq; Hollandiam duntaxat annis tribus, & mensibus sex, multaq; bella & prælia commisit.

Florentius comes

Hollandiæ occidi-

tur.

Eodem quoque anno Bonifacius papa 8. Ioanem episcopum Traiectensem ad ecclesiam Tullensem transtulit, & Vuilhelmum de Mechlinia natum, causarum in Romana curia auditorem, in eius locum pontificem ordinauit, qui præfuit annis 5. in tribulationibus & bellis multis, tandemq; in bello fuit occisus.

Vuilhelmus.

Anno Gotfridi abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1297. Ioannes comes Hollandiæ, magno suorum ac Selandinorum congregato exercitu, intrauit Phrysiam, & 6. calendis Aprilis conferto cum Phrysonibus prælio,

Phrysones occisi.

iuxta

iuxta Alckmariam, 4. eorum milia interfecit, Phrysiamq; sibi subiicit.

*Adolphus rex  
Rom.*

His quoque temporibus Adolphus rex Romani imperij, multas in terra calamitates & dissensiones inter pacem habentes, eius namq; iussu Hermannus comes de Geroldseck, & quidam alius comes prefecti prouinciales in Alsatia constituti, Conrado de Lichtenberg Argentineni episcopo, cum ceterisq; Alsatia populis nimium molesti, multas iniurias, contumelias & damna intulerunt. Vnde ad impatientiam prouocati, predictus episcopus, ciues quoq; Argentineses, comites de Lichtenberg, comites de Ochsenstein, Ladtgrauus Alsatie, comes de Friburgo, comes de Zuueibrucke, et comes de Holo ch, cum multis alijs principibus, comitibus, nobilibus ac populis, contra Adolphum regem unanimiter conspirarunt: eiusq; mandatis & iussionibus contemptis, omnia que aduersus eum potuerunt, ubiq; terrarum agere coeperunt. Nec destituerunt a cepto proposito, quousque multis principibus in eandem sententiam accedentibus, eum a regno tandem deponentes, uita simul & honore priuarunt, uti suo loco dicemus.

*Vuichboldus.*

Anno Gotfridi abbatis 5. qui fuit dominice natiuitatis 1298. obiit Siphridus archiepiscopus Coloniensis in ecclesia Bonnensi sepultus, cui successit Vuichboldus maioris ecclesie decanus, & praefuit annis ferme 4. quem Bohemundus archiepiscopus Treuerensis senio morboq; grauatus, mox in coadiutorem suum assumpsit.

*Albertus dux Au-  
striae uocatur ad  
imperium.*

Eodem anno cum rex Adolphus imperium extenuaret, discordia & bella nutrirer, populumq; tributis insolitis grauaret, foueretq; predones & oppressores pauperum, principes contemneret; Gerardus archiepiscopus Moguntinus, cum certis alijs principibus, Albertum Austriae ducem ac comitem de Habsburg, filium Rudolphi quodam regis Rom. ex Austria ad Moguntiam euocauit, promittens eum abrogato Adolpho in regem Rom. eligendum. Quibus cognitis dux Albertus cum maximo suorum exercitu uenit ad Rhenum, cui principes Alsatiae & comites supradicti, una cum Euerhardo comite de Wuirtemberg, cum magno exercitu apud Argentinam occurrentes auxilium contra Adolphum promiserunt. Argentinenses autem quatuor ei milia pugnatorum in auxilium dederunt, tam equitum quam pedum, qui eum apud Friburgum, cum magno honore suscipientes, Argentinam deduxerunt. Audiens haec Adolphus rex, mox Rubiacum obsidione uallauit, sed infecto negotio discedens, in ciuitatem Spirensis se contulit, rei nouae praestolaturus euentum. Interea dux Albertus cum exercitu magno ducum, comitum, nobilium & militum ex Austria, Bohemia, Vngaria, Sueuia, & Alsatia congregato, comitantibus cum episcopo Constantiensi, episcopo Argentineni, prouinciali comite Alsatiae, alijsq; praenominatis comitibus, nullo resistente, uenit ad Moguntiam: ubi Gerardum archiepiscopum Moguntinum, Vuichboldum electum Colontensem, cum alijs quibusdam principibus congregatos reperit. Ibi ergo in uigilia natiuitatis S. Ioannis Baptistae, principes Adolpho rege, propter graues excessus a regno per sententiam deposito, ipsum Albertum ducem, in regem unanimiter elegerunt, eiq; fidelitatem, obedientiam & assistentiam contra quoscuque aduersarios promiserunt. Quibus in Moguntia cum magna solennitate peractis, Albertus rex nouus cum uniuerso exercitu suo transiit ad Alzeiam oppidum, in medio itinere a Vuormatia ad Creutzennach constitutum, ipsum praeter castellum totum destruens, ibidem fixis tentorijs resedit contra Adolphum regem pugnaturus. Interea rex Adolphus audiens se regno priuatum, & Albertum a principibus electum, animo consternatus est &

*Adolphus: rex  
Rubiacum obsedit.*

*Albertus eligitur*

*Alzen destruitur  
a rege Alberto.*



est, & congregans magnū exercitū pugnantiorū ex ciuitatibus sibi fidelibus, Spira, Vuormatia, Oppenheim, Frackfordia: unā cum principibus suis, Rudolpho uidelicet comite Palatino ac Bauariæ duce genero suo, comite quoque de Isenburg, comite de Spāheim, comite Hirsuto, & multis alijs in Oppenheim se contulit, & diebus decem, auxilia amicorum quibus scripserat expectauit. Verū diebus decem euolutis, antequam promissa uenirent auxilia amicorum, moræ impatiens, inconsultè & nimis præcipitanter contra Albertum uiribus impar, ad bellum inter uillam Gillēheim dictam, & cœnobium monialium Rosendal, non procul ab agro Vuormatiēsi processit: ubi conferto prælio acriter pugnatum est, & multi ab utraq; parte ceciderunt. Ipse quoq; Adolphus rex manu propria fortissimè pugnauit, cui cum uictoria iam accedere uideretur, sui fugere cœperūt, qui desertus in medio aduersariorum, in eodem loco fuit occisus, & filius eius captus, comes quoq; de Isenburg, in eius parte capitaneus fortissimus, fuit occisus cum alijs multis. Otto quoq; comes de Ochsenstein capitaneus Alberti supremus ibidē cecidit cum sexaginta comitibus, & nobilibus terrę præcipuis. Corpus autē occisi regis Adolphi, in præfato monasterio Rosendal fuit humatum usque ad tempora Henrici regis de Lutzenburg: cuius præcepto, Spiram cum honore delatum in sepulchris regum locatum est. Sunt qui scribant, omnes eos qui contra Adolphum regem conspirauerunt, mala morte, diuina uictæ gratia iniuriam eius, perisse. Nam Albertus ipse regni usurpator, à fratris filio fuit occisus, sicuti suo loco dicemus: comes de Holoch, & comes de Ochsenstein similiter fuerunt occisi. Archiepiscopus Mogūtinus super selam sedens, inopinata morte sublatus est. Comes Gemini pōtis, in ripa Gliese dicta, fuit submersus. Conradus episcopus Argentīnēsis, ante Friburgum à quodam rustico gladio interemptus. Comes de Liningen phreneticus & uarijs calamitatibus miser factus est. Cæteriq; penē omnes simili interitu perierunt. Albertus autem uictor euadens cum principibus suis, ad ciuitatem Aquensem proficiscitur, & ibidem à Vuichboldo Coloniēsi archiepiscopo in regem Rom. coronatur, regnauitq; annis 10. uxorem habuit Elisabeth filiam Meinhardi ducis Carinthiæ, de qua genuit filios sex, & filias quinque. Primogenitus fuit Rudolphus rex Bohemiæ. Secundus Fridericus dux Austriae, qui contra Ludouicum Imperatorem quartum fuit electus, ut infra dicemus. Tertius fuit Lupoldus dux Carinthiæ ac Stiræ. Quartus fuit Henricus dux, qui habuit uxorem Elisabeth filiam comitis de Virnenburg. Quintus fuit Albertus dux, qui fundauit monasterium in Gimeneo, per quem linea ducum continuatur. Ultimus filiorū fuit Otto dux, qui habuit uxorem Elisabeth filiam ducis Bauariæ. Filiarum prima Agnes nupsit Andrea regi Vngariæ, & post eum duci Vratislauriæ. Secunda, Elisabeth nupsit Friderico duci Lotharingiæ, cui peperit Rudolphum, qui patri in ducatu successit. Tertia, Anna nupsit Hermannō Marchioni Brandenburgensi. Quarta fuit Catharina, quæ desponsata fuit Henrico Lutzenburgensi regi Romanorum, quo ante nuptias mortuo nupsit Ruperto regi Apulię. Quintam uero & ultimam eius filiam Guttam nomine, uxorem duxit Vdalricus comes de Oetingen, uir strenuus & bellicosus.

Rudolphus comes Palatinus.

Bellum inter duos reges comititur.

Adolphus rex in prælio occiditur.

Rex in Rosendal sepelitur.

Mors conspiratorum pessima.

Albertus consecratur in regem.

Proles Alberti.

Hoc ipso anno quo Albertus in regem Rom. fuit electus, ciuitas Coloniensis, quæ per annos septem, menses totidem ac dies nouem, excommunicationi ac interdictione ecclesiastico subiacerat, propter lites & dissensiones cum Siphrido archiepiscopo habitas, Vuichboldo successore eius consentiente: à Bonifacio papa octauo, fuit absoluta, & diuina officia denuo cele-

Colonienses ab interdictione soluntur.

*Ioannes abbas.*

brari in ea permiffa. Eodem quoque anno 5. calendas Aprilis, obiit Ioannes secundus, monasterij mei Spanheimensis nonus abbas, cui Dietlibus quondam cancellarius Ioannis comitis de Spanheim successit, præfuitque annis 10. & mensibus 6. qui regularis disciplinæ obseruantiam quasi penitus collapsam denuò renouauit.

*Bohemundus.*

Eodem anno 5. iduum Nouembris, obiit Bohemundus archiepiscopus Treuerensis, qui castrum Numagen, prope Wittenheim uillam natiuitatis meæ, circa Mosellam, à fundamentis de nouo cõstruxit: sepultus in Hemelrad, monasterio Cisterciensis ordinis. Post quem Dietherus de Nassauu frater Adolphi quondam regis non electus, nec postulatus, sed in odium regis Alberti à papa Bonifacio octauo, in archiepiscopum ordinatus, Treuerim missus fuit, & præfuit annis fermè 8. Fuit autem ordinis Prædicatorum, qui etsi Alberto semper fuerit contrarius, nihil tamen potuit.

*Emicho obiit.*

Eodem quoque anno, in uigilia sancti Iacobi Apostoli obiit dominus Emicho episcopus Vuormatiensis, in maiori ecclesia, sub habitu (ut ferunt) monastico sepultus, cui successit Eberuinus de Kronenberg, præfuitque annis tribus & mensibus 9. qui ad instantiam ciuium suorum consensit, quod de communitate uiri sedecim, ad consiliũ senatus admitterentur, quod antea non fiebat. Eius temporibus cœnobium monialium ordinis Prædicatorum, quod dicitur Lebennauu, extra muros ciuitatis Vuormatiensis iuxta Nuhusen, per quendam ciuem nomine Iacobum Engelmari fundatum est, & bonis necessarijs pro sustentatione famularum Christi abundè prouisum, ipsaque fundatio per eum confirmata est.

*Monasterium Lebenauu fundatur*

Anno Gotfridi abbatis sexto, qui fuit dominicæ natiuitatis millesimus ducentessimus nonagesimus nonus, Bonifacius papa octauus, hæresin eorum qui se Fratricellos appellabant, damnauit, & ubique funditus destruxit.

*Hæresis Fratricellorum damnatur.**Ioannes comes Hollandiæ obiit.*

Eodem anno, 4. calendas Nouembris, obiit Ioannes comes Hollandiæ apud Harlam, sine liberis. Quo mortuo, Ioannes comes Hannoniæ filius Adelheidis sororis Vuilhelmi quondam regis Rom. iure propinquitatis ducatum assumpsit, Hollandiamque totam suo dominio coniunxit: qui uxorem duxerat Philippam comitis Lutzenburgensis filiam, de qua genuit Ioannem primogenitum, Vuilhelmum successorem Hollandiæ comitem, Ioannem dominum Bellemontis, Henricum Cameracensis ecclesiæ canonicum, Margaretham comitissam Atrebatensem, Adelheidem comitissam Claremontensem, Mariam comitissam de Burbon, & Mechtildem comitissam de Nyede. Contra hunc Ioannem, rex Albertus conuentum principum habuit, asserens comitatum Hollandiæ Romano uacare imperio, quem tamen ei principum consilio in feudum concessit.

*Gotfridus.*

Anno Gotfridi abbatis 7. dom. autem natiuitatis 1300. Bonifacius papa 8. iubileum plenariæ remissionis & indulgentiæ omnium peccatorum à peccata & culpa primus Romæ instituit, quem ad annos centum denuò celebrari mandauit. Res prius inaudita & noua, ut pro huiusmodi indulgentijs priori anno per uniuersum orbem denunciatis, tanta populi multitudine ex omni Germania Romam proficisceretur, ut infinita penitus innumerabilisque uideretur. Et ex eo tempore Iubilæi usus in ecclesia Romana esse cœpit, cuius nulla prius ratio fuit. Inter multos autem principes, episcopos, abbates, aliosque prælatos, qui tunc Rom. petebant, etiã Gotfridus huius monasterij Hirsaug. nonus & uigesimus abbas, cum certis fratribus, illo pro gratia Iubilæi profectus est sub spe mercedis æternæ. Tanta autem ipso anno undique multitudo hominum Romam uenit, ut uix incedere per urbem amplam quidem & uastam liceret.

Eodem

Eodem anno Albertus rex Rom. in manu ualida intrauit inferiores partes Alemanie, animo & intentione debellandi Ioannem comitem Hannonie, qui Hollandiam (sicut diximus) occupauerat. Cumq; ad Nouiomagium Gelriae oppidum peruenisset, tales per omnem regionem fecit literas diuulgari: Nouerint uniuersi quod Albertus rex Rom. semper inuictus uacantem Hollandiae principatum, Romano potenter incorporauit imperio, quem Carolus imperator olim Magnus Theodorico comiti donauit in feudum. Audiens autem Ioannes regem contra se cum exercitu uenturum, multitudinem armatorum maximam congregauit. Cuius animositatem simul & fortitudinem rex ueritus, cum eo pacem inijt, mediante archiepiscopo Colonienfi, & ei Hollandiae comitatum in feudum semper accipiendum concessit.

*Albertus intrauit Gelriam.*

*Ioannes comes Hannoniae clarus.*

Anno quoq; praenotato, adhuc iubileo Romae durante, obiit dominus Gotfridus huius monasterii Hirsaug, abbas 29. anno regiminis sui 7. aetatis 48. uir bonus, maturus & prudens, qui honeste satis utiliterq; praefuit.

*Gotfridus huius loci abbas obiit.*

DE HENRICO SECUNDO, HUIUS MONASTERII  
abbate 30. qui praefuit annis 17. & de uarijs  
gestis suo tempore.

Mortuo autem Gotfrido abbate atq; sepulto, conuenientes in unum fratres pastore uiduati, in termino adhuc per priorem & seniores constituto, post multa consilia uariosq; tractatus, tandem in abbatem huius loci 30. unanimiter elegerunt Henricum eius nominis secundum: qui confirmatus & ordinatus (ut moris est) per Fridericum de Bolandia episcopum Spiritem, huic monasterio male praefuit annis 17. tandemq; iubente Ludouico Imperatore 4. deponitur, propter uitae deformitatem, & substantiae monasterii profusionem, quemadmodum suo loco dicemus. Fuit autem natione Sueuus, honestis parentibus ortus, qui cum esset annorum duodeuiginti, sub Volado abbate monachus factus est, homo quieti & ocio deditus, uerbis ad quaelibet paratus ac promptulus, opere & actione tardus ineptusq;. Ordinatus autem abbas, licentiose conuersari in omnibus mox coepit, ocioq; & inertiae deditus, rem familiarem unam cum regulari obseruantia turpiter negligens, penes ad nihilum reduxit. Statum enim huius monasterii temporalem, quem in bonis conditionibus reperit, in malis officio cedens tandem dereliquit. Multa namq; bona monasterii impignorauit, multa uendidit, multaq; sine consensu subditorum occulte alienauit, ac precium suis consanguineis leuibusq; personis partim donauit, partim inutiliter consumpsit. Monasterium fuit dissolutum, & totus secularis, quippe qui die noctuq; nihil aliud quam conuiuia & uoluptates in delicijs habere consueuit. Regularis disciplinae obseruantiam, nec in se habuit, nec reformare in subditis curauit. Deniq; suspicionem grauioris criminis non caruit, quia catena uiciorum catenam trahere consueuit. Anno Henrici abbatis 1. qui fuit dominicae natiuitatis 1301. comites in caelo apparuit, & secuta sunt multa mala, seditiones & opinioniones bellicorum in diuersis regionibus. Eodem anno 4. nonas Iulij, Vuilhelmus episcopus Traiectensis, in bello ab inimicis suis occisus est: posteaq; Traiectensem ecclesiam annis ferme quinque in multis tribulationis & persecutionis turbationibus gubernasset, cui Guido canonicus & thesaurarius Leodiensis ecclesiae succedens praefuit annis 16. uir per omnia magnificus: cuius fratres erant carnales, Botzardus episcopus Metensis, Ioannes episcopus Cameracensis, Ioannes comes Hollandiae, & Florentius princeps Morianensis.

*Henricus abbas.*

*Vita huius abbatis.*

*Comites apparuit.*

*Vuilhelmus.*

Eodem quoq; anno in die S. Mariae Magdalene, Henricus comes Lutzenburgensis ciuitatem Treuerensem cum magna pugnatorum turba debella

*Henricus comes Lutzenburgensis.*

urus exercitum retrò ciuitatem iuxta ecclesiã S. Crucis locauit: omniaq; in circuitu, uillulas, domos, uineas, torcularia, pomeriaq; desolauit: ulterius progressurus, nisi omnipotens Deus meritis sanctorum suorum Treueris quiescentium, in ipsa nocte undecima, posteaquam aduenerant, spiritum in eos uertiginis misisset, adeò ut sese mutuò percutientes fugerent, nemine persequente.

*Fridericus.* Anno Henrici abbatis 2. dominicæ autem natiuitatis 1302. quinto calendas Feb. obiit Fridericus de Bolandia episcopus Spirensis, & in monasterio Vterfdal Cisterciensis ordinis sepelitur: cui successit Sibodo de Lichtēberg, & præfuit annis 12.

*Confœderatio principũ magna.* Eodem anno Gerhardus archiepiscopus Moguntinus, Dietherus archiepiscopus Treuerensis, Henricus archiepiscopus Colonienſis, Rudolphus comes Palatinus Rheni, & quidam alij principes, ligam & cõfœderationem inter se magnam firmissimamq; iurauerunt, quem Albertus Rom. rex, quasi in detrimentum suæ potestatis factam ægerrimè tulit. Vnde magnum ex Austria & Sueuia producens armatorum exercitum, primò terras Rudolphi comitis Palatini Rheni intrauit, multaq; pauperibus damna inferens, eum in deditiõnem uenientem cum gratia recepit. Deinde contra archiepiscopum Moguntinum mouens exercitum, inter alia damna quæ illi attulit, etiam Bingium oppidũ Rheni obsidione uallauit. Cernens autem archiepiscopus se uiribus imparem, gratiam regis petiuit & impetrauit, ueniensq; Bingium obsidionem precibus soluit, & conditiones pacis à rege propositas admisit, resignatis in manus regis oppidis Bingio & Lonstein cum castellis Clop, Erenfels, Scharffenstein, & quibusdam alijs. Pacatis autem rebus cum archiepiscopo Moguntino, rex Albertus contra archiepiscopum Colonienſem ac Treuerenſem producens exercitum, suo utrunque subiugauit imperio, quos ad postulandam gratiam, non sine damnis eorum fortiter coëgit.

*Bingium obsidione uallatur.*

*Liga rusticorum in Francia.*

Eodem anno concitata apud Gallias multitudine contra suos rectores, opifices & infimæ cõditionis homines, à Frãcis defecerunt: & domini prouinciæ facti, ingentes regis Francorum copias bello superant, & crudelissimè interficiunt, Sed non diu eorum durauit immanitas, quin omnes delicti fuerunt.

*Bonifacius papa moritur.*

Anno Henrici abbatis 3. dominicæ autem natiuitatis 1303. indict. 1. Philippus rex Francorum arrogantiam Bonifacii papæ 8. iniquo ferens animo, ipsum Anagninæ in domo paterna dormientem nocte, nil tale metuentem capi fecit, ac Romã sub custodia perducit: qui mœrore animi confectus, 35 die postea obiit, sepultus in ecclesia S. Petri, sepulchro à se antea extructo, cui Benedictus 11. patria Taruisinus, Nicolaus antè uocatus, cardinalis Hostiensis, succedens in pontificatu præfuit mensibus 9. duntaxat.

*Benedictus.*

*Gerhardus.*

Anno Henrici abbatis 4. qui fuit dominicæ natiuitatis 1304. quinto cal. Martij, obiit Gerhardus archiepiscopus Moguntinus, natus de Epstein. Quo mortuo uacauit sedes Moguntina aliquandiu. Interea eodem anno in principio mensis Iunij obiit Benedictus papa 11. Perusii, in ecclesia fratrum Prædicatorum, cuius ordinis antea professor extitit, cum magna pompa sepultus, non sine opinione sanctitatis, & uacauit sedes Apostolica mensibus 11. usq; in annum sequentem, non sine iactura salutis animarum multarum.

*Euerbinus.*

Anno quoq; prænotato, 3. calendas Maij, obiit Euerbinus episcopus Vuormatiensis: cui successit Emericus de Kronenberg, & præfuit annis 10. homo pacificus, & deuotus, quem clerus & populus miro colebant affectu, missumq;

missumq; à summo pontifice cum literis & mandatis, pro episcopo suo libenter susceperunt.

Eodem anno inter Guidonem Flādrīæ comitem, & Vuilhelmum filium Ioannis, Hollandiæ Hannoniæq; comitis, magnæ cōtentiones exortæ fuerunt: quæ usq; ad bella grauissīma crescentes, multos strenuos uiros ab utraque parte miserabiliter consumpserūt: & eodem anno 5. iduum Septemb. obiit præfatus Ioannes Hollandiæ Hannoniæq; comes: cui Vuilhelmus filius eius prædictus, in utroq; comitatu successit, uir per omnia magnificus, qui habuit uxorem Ioannam de Valeiso, regis Franciæ sororem, de qua genuit Ioannem comitem, Margaretham Imperatricem Rom. Ioannam comitissam Iuliacensem, Philippam reginam Angliæ, Vuilhelmum in comitatu suscepto hæredem, Ludouicum infantem, & Elisabeth, quæ adole-scens obiit.

*Bellum atrox in  
Hollandia.*

*Vuilhelmus co-  
mes Hollandiæ.*

Anno Henrici abbatis 5. qui fuit dominicę natiuitatis 1305. post longam sedis apostolicę uacationem, cardinales tandem conuenientes Perusii, Bertrandum Burdegalensem episcopum in papam unanimiter elegerunt, qui Clemens 5. appellatus, præfuit annis 8. mensibus 10. diebus 15. qui curiam à Roma transtulit in Gallias, non sine maximo Italiæ incommodo, & maxime urbis Romæ, ibiq; per annos 74. continuè remansit. Ad hunc Clemensem papam Henricus comes Lutzenburgensis Pictauis commorantem, misit Magistrum Petrum de Achtzvalt, medicum suum expertissimum, pro archiepiscopatu Moguntino, qui eo tempore post Gerhardi archiepiscopi obitum uacauit (sicut iam diximus) fratri suo Baldeuino impetrando. Qui cum in Gallias ad pontificem uenisset, legationem domini sui comitis memorati exposuit, & pro impetrando archiepiscopatu Mogunt. fratri domini sui prædicto preces multiplices effudit. Sed papa, causis allegatis complurimis noluit exaudire precantem, & ecclesiam Mog. dare Baldeuino comiti recusauit. Cōtigit autem interea ipsum pontificem grauiter infirmari, qui arte & ingenio eiusdem Petri curatus, de consensu cardinalium, eum in archiepiscopum sæpe dictæ ecclesiæ Mog. ordinauit, datisq; literis & prouisionibus necessarijs ipsum cum pallio ad Moguntiam remisit: quem clemens unà cum uniuerso populo mandatis Apostolicis obediētes, cum honore & reuerentia susceperunt, & in possessionem ecclesiæ Moguntinæ pacificè admiserunt. Erat enim uir doctus & magnificus, ipso pontificatu dignus, qui multa in synodis utilia moribus statuit, præfuitq; strenuè annis 15. Audiens hæc Henricus comes Lutzenburgensis, qui illum pro suo fratre Baldeuino ad papam miserat, iratus est, quanquam diuina factum ordinatione totum postea confiteretur. Nam procuratore eiusdem magistri, & Baldeuinus postea factus est archiepiscopus Treuerensis, & ipse Henricus rex Rom. sicut dicemus.

*Clemens papa.*

*Petrus medicus.*

*Clemens papa in  
firmus curatur.*

*Petrus medicus  
fuit archiepiscopus  
Mogunt.*

Eodem anno in die cōmemorationis sancti Pauli Apostoli Albertus rex Rom. exequias regis Bohemię nouiter defuncti, in maiori ecclesia Spirensi cum magna pompa, multis principibus, episcopis & abbatibus astātibus celebrauit, inter quos non infimæ reputationis præfens fuit Henricus huius cœnobij abbas memoratus: ubi inter pulsandum, maior campana cecidit, fractisq; duabus testudinibus, cadens ad pauimentum, in duas partes scinditur.

*Rex Albertus  
Spirensi festu agit.*

His quoq; temporibus inter Dietherū archiepiscopum Treuerensem, & oppidanos Cōfluētinos magna exorta discordia est, potifice oppidanos exactionib. premēte, illisq; obediētiam recusantib. tādē archiepiscopus insolētis

*Confluentia per  
archiepiscopū ca  
pitur.*

eorum diutius perferre non ualens, conductis pecunia pugnatoribus Confluentiā obsedit, cepit, & in deditioem accepit, oppidanis ad obedientiam coactis. Multas in huius uictoriæ apparatus pecunias exposuit, pro quarum affecutione penè omnia diocesis suæ prædia obligauit.

*Inundatio.*

Anno Henrici abbatis 6. dominicæ natiuitatis 1306. in die purificationis B. Mariæ semper uirginis, glaciæ ac niuibus resolutis, maxima circa Rhenum & Moganum inundatio aquarum facta est, quæ penè infinita hominibus circummorantibus damna intulit, evertens domos & habitacula multa, hortos & uineas, agrosq; & prata incredibili furore deuastans. Pontem super Moganum Franckofordiæ nimio suo impetu deiecit, muros Moguntinos in parte subuertit, duas in muro Colonienſi turres, funditus evertit, & multos in diuersis locis homines demersit. His temporibus Hospitalarij S. Ioannis Hierosolymitani, Christianorum copijs adiuti, insulam Rhodis, cum alijs quinque in mari mediterraneo adiacentibus, per annos quatuor continuè fortiter oppugnantes tandem obtinuerunt, & interfectis expulsisq; Turcis, ipsam usq; in hodiernam diem usque ad annos 196. pacificè tenuerunt.

*Insula Rhodis in  
manus nostrorum  
deuenit.*

Hoc ipso anno Iudæi per regnum Franciæ bonis omnibus in fiscum importatis occisi sunt, & alijs de regno seminudi fuerunt expulsi.

*Dietherus.*

Anno Henrici abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1307. Cùm Dietherus de Nassau archiepiscopus Treuerensis, homo inquietus & bellicosus, & bona ecclesiæ propter expensarum apparatus belli multitudinem ut plurimum alienasset, deferentibus eum clericis suis ad examen sedis Apostolicæ in Galliam citatus est. Sed priusquàm terminus comparendi aduenisset, morbo correptus est, & 23. die Nouembris ex hac uita migravit, sepultus in ecclesia Prædicatorum, quorum ordinis & professionis antea fuerat, in ciuitate Treuerensi. Quo mortuo Dominus Petrus archiepiscopus Moguntinus, tantum apud papam Clementem 5. potuit et egit, ut quod Baldeuinum fratrem Henrici comitis de Lutzenburg, iuuenem, 23 annum ætatis agentem, cui Moguntinam ecclesiam ante biennium ob minorennitatem (sicut diximus) denegauerat, in archiepiscopum Treuerensem sublimauit, qui ordinatus, & pro archiepiscopo honorificè ab omni clero & populo Treuerico susceptus, præfuit annis 46. mense, uno diebus 18, uir per omnia strenuus & magnificus, qui ecclesiam suam optimè rexit, & omnia alienata reduxit.

*Baldeuinus.*

Anno Henrici abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuitatis 1308. Albertus rex Rom. cùm Rhenum nauigio cum paucis trāsisset, reliquo exercitu nauigium ab altera parte litoris (ut fieri solet) expectante, Ioannes ex fratre nepos cum socijs conspirationis suæ accedens, ipsum nil tale metuentem occidit, & fuga lapsus euasit. Causa fuit ista: Rudolphus dux Sueuiæ frater Alberti regis moriturus præfatum Ioannem filium suum adhuc puerum cum uniuerso ducatu ipsius tutelæ commisit: qui cùm adoleuisset, paternum ducatum à patruo repetijt: se ad regendum iam sufficientem affirmans. Verùm cùm Albertus bonis illum uerbis de die in diem suspendens, reddere commissa dissimularet, nepos malorum usus consilio interficere ipsum decreuit. Vnde nacta oportunitate, gladio eum transfodit in littore Rheni (sicut diximus) non longè à Schafhusen in die sanctorum Philippi & Iacobi Apostolorum, qui fuit primus dies Maij, cuius cadauer anno sequenti Spiram relatum in maiori ecclesia, 4 calend. Septemb. cum honore inter reges sepultum est.

*Albertus rex Ro.  
occiditur.*

Eodem

Eodem anno in mense Nouembri conuenerunt principes electores ad uillam dictam Rense, non longè à Bopardia, iuxta sedem regalem, & procurante domino Petro archiepiscopo Moguntino in regem Rom unanimitè elegerunt. Henricum comitem Lutzenburgensem fratrem Baldeuini archiepiscopi Treuerensis, uirum bonum, strenuum, & imperiali honore dignum, cuius electionem 27. die Nouemb. deuulgari Franckofordiae solenniter fecerunt, ac deinde in festo Epiphaniæ Domini anni sequentis Aquisgrani in regem Romanorū unctus & coronatus est, per manus Henrici archiepiscopi Coloniensis, imperauitq; annis quatuor & mensibus nouem. Mox autem ut de Aquisgrano coronatus Spiram abiit, ossa regum Adolphi & Alberti ad maiorem ecclesiam Spirensem referri, & cum honore sepeliri fecit. Vxorem habuit Margaretham Ioannis ducis Brabantiae filiam, de qua genuit Ioannem regem Bohemiae, de quo postea dicemus.

*Henricus in regem  
eligitur.*

Anno prænotato, sexto iduum Nouemb. obiit in Colonia Ioannes Scottus doctor subtilis, ordinis Minorum, ibidem in suo cōuentu ad introitum sacristiae sepultus, qui quanta scripserit, quàm subtilia & profunda in Theologia receptiua, & omnes Theologi nouerunt, & nos in libro nostro de Ecclesiasticis scriptoribus, annotauimus.

*Ioannes Scottus  
doctor subtilis  
obiit.*

His quoque temporibus Petrus archiepiscopus Moguntinus cœnobium monachorum Carthusiensis ordinis extra muros Moguntinos, à fundamentis de nouo construxit & magnificè prouidit.

*Carthusia Moguntinae  
construitur.*

Anno Henrici abbatis 9. dominicæ natiuitatis 1309. in die S. Michaëlis archangeli obiit Dietribus abbas monasterij mei Spanheimensis decimus, uir bonus & regularis obseruantiae amator præcipuus, qui utiliter in utroque statu præfuit, quia & peculium quod prædecessores eius monachis indulserant, abstulit, & redditus monasterij competenter ampliavit. Huic in abbatia Spanheim. successit dominus Vuilicho monachus cōuentualis, filius comitis de Vuesterburg, frater comitissæ de Spanheim, & præfuit strenuè annis 27, mēlibus 5, diebus 14. de cuius uita, moribus & regimine in Chronica præfati cœnobij mei Spanheimensis, plenam historiam secundum seriem annorum digessimus.

*Dietribus.*

*Vuilicho.*

Eodem anno mortuo sine liberis rege Vngarie, proceres terræ & maiores natu Ottonem Bauariae ducem filium Henrici ducis, in regem Vngarie tanquam hæredem proximum, quia ex matre nepos Belæ regis fuit, unanimiter elegerunt, quem de Bauaria euocantes cum magno honore susceperunt. Verum non diu postea mutata sententia, ipsum de Vngaria fugauerunt, qui reuersus in Bauariam, non multò postea obiit, relinquens filium unicum Henricum, infantem dierum quatuordecim, ex uxore filia ducis Poloniae, qui dictus fuit princeps de Notterberg.

*Otto dux Bavarie  
fuit rex.*

Anno Henrici abbatis 10. qui fuit dominicæ natiuitatis 1310. Henricus Rom. rex magnum conuentum principum Spiræ habuit, ubi Elisabetha filia quōdam regis Bohemiae personaliter comparuit, & regno paterno infeudari ab Imperatore se petiuit. Rex autem Henricus principum usus consilio, eandem filiam cum regno Bohemiae Ioanni filio suo Lutzenburgensi comiti, de consensu procerum Bohemiae dedit uxorem, celebratisq; ibidem cum magna solennitate nuptijs eum cum uxore & cum exercitu misit in Bohemiam, adiungens ei Petrum archiepiscopum Moguntinum quondam physicum suum. Veniens autem in Bohemiam Ioannes, ab uniuersis regni incolis pro rege cum honore magno susceptus est, & per eundem Petrum archiepiscopum Mogunt. ad quem iure antiquo id mune

*Conuentus principum  
in Spiræ.*

*Sedis aurea S. Marini in Mog.*

*Expediit Henrici regis in Italiã.*

*Henricus rex Imperator Romæ benedicitur.*

*Bella imperatoris in Italia.*

*Concilium Viennense celebratur.*

*Otto rex Vngariæ moritur.*

ris pertinebat, solenniter coronatus. Huic autem coronationi plus quã trecenta hominum millia interfuisse ferebantur. Coronatione facta rex archiepiscopo inter alia munuscula dedit sedem unam auro gemmisq; ornatam, quam Ecclesiæ Moguntinæ illatam, sedem S. Martini uulgus appellare usque in hunc diem consuevit. Interea dum hæc agerentur in Bohemia, rex Henricus mouens exercitum à conuentu Spirensi, pro suspicienda corona imperiali iter direxit in Italiã, habens inter alios principes multos secum, Baldeuinũ archiepiscopum Treuerensem, fratrem suum Rudolphum comitem Palatinum Rheni, & Lupoldum ducem Austriæ. Inter eundum autem multas Italiæ ciuitates, oppida & castella rebellium cepit, & prælia multa fortiter gessit. Et primò quidem Mediolani, corona ferrea, ex more coronatus est: ac deinde Romæ apud S. Ioannem Lateranensem, aurea corona & imperiali benedictione per tres cardinales ad hoc à papa ex Gallia missos, cum magna pompa & solennitate sublimatus est, in die S. Pentecostes. Coronatus autem Rudolphum comitem Palatinum Rheni, & multos alios in eadẽ Ecclesia milites creauit. Interea uerò dum Imperator fermè per biennium moratur in Italia, tertius quem in Alemania reliquerat, exercitus contra Vuirtenburgenses comites, imperio à multis annis rebelles dimicando fortiter processit, & ex 80. eorum munitionibus, & castellis 72. obtinuit, & multos eorum in bello interfecit. Imperator autem in Italia multa bella fortissimè gerens, Longobardos, Papienses, Taurinenses, Astenses, Veronenses, Placentinos, Ianuenses, Pisanos, Senenses, Florentinos, ipsos quoq; Romanos, & reliquos omnes sibi resistentes, in manu ualida deuicit ac superauit, in suamq; deditionem uenire potenter coëgit. Fuit autem Henricus Imperator iste, uir sapiens, iustus & gratosus, in armis strenuus, fidei Christianæ cultor & defensor integerrimus, consilio & animo promptus, amator cleri, & pauperum defensor.

Anno Henrici abbatis 11. dominicæ autem natiuitatis 1311. Clemens papa 5. concilium Viennense celebrandum indixit, quod biennio durauit, in quo liber Clementinarum publicatus fuit, & multa ad ecclesiæ utilitatem statuta. Ibi ordo Templariorum, qui annis fermè 184. steterat, ab ipso Clemente papa condemnatus fuit, & uno die per uniuersum orbem deletus, ad instantiam Philippi regis Francorum, cuius promotione ipse papa electus fuerat. Fuerunt autem Templarij, ualde diuites, quorum possessiones, ut rex sibi acquireret, crimen eis hæreseos falsum imposuit, ut multi uoluerunt, & extingui omnino parauit.

Eodem anno Guido episcopus Traiectensis, ueniens ad conciliũ Viennense, à papa Clemente 5. cardinalis factus est, mediante rege Francorum, & quibusdam cardinalibus pro eo loquentibus: quanquam Traiectensi ecclesia sua contentus, se cardinalem non gesserit.

Anno Henrici abbatis 12. dominicæ natiuitatis 1312. obiit Otto rex Vngariæ ac Bauariæ dux, unicum relinquens filium 14 dierum ætatis, quem unã cum duobus fratris sui filijs, Henrico annorum octo, & Ottone annorum sex, ciuibus in Lanshutta, & in Straubingen nutriendos sub tutela commisit. Sed cum post mortem eius, Ludouicus dux superioris Bauariæ cum nobilibus terræ huic commissiõni contradiceret, pueros eripuit.

Eodem anno Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, Bopardiã & Vuesaliam oppida cis Rhenana, cum alijs quibusdam, pro impèlis, quas ratione imperij in Italia fecit, & extra ab ipso Henrico Imperatore fratre suo accepit in pignus: sicut patet ex literis in castris ante Florentiam datis, anno Domini præ-



ni prænotato 1312. indictione 10. 6. iduum decembris. Quibus susceptis archiepiscopus, relicto in Italia Imperatore, ad Treuerim reuersus est.

Eodem quoque anno obiit Ioannes dux Brabantia, cui eiusdem nominis Ioannes tertius successit, qui habuit uxorem nomine Margaretham, filiam Ludouici regis Francorum, de qua genuit tres filios, qui omnes ante eum sine liberis obierunt, uidelicet Ioannem, Gotfridum, & Henricum. Habuit etiam tres filias, quarum prima Ioana primò nupsit Vuilhelmo comiti Hollandia. Quo à Phrysonibus occiso, desponsata fuit Vuenceslao comiti de Lutzenburgo, fratri Ioannis regis Bohemia & Caroli Imperatoris quarti. Secunda fuit Margaretha, quæ nupsit Ludouico Fladria comiti, Tertia fuit Maria, quæ nupsit Reinaldo duci Gelrensi.

*Ioannes dux Brabantia obiit.*

*Vuenceslaus comes Lutzenburgensis.*

Anno Henrici abbatis 13. dominicæ natiuitatis 1313. indictione 11. Henricus Imperator Rom. 7. in Italia, nouis comparatis exercitibus contra Robertum Apuliae regulum, processurus in itinere apud Bonconuent dissententia morbo resolutus, in die sancti Bartholomæi obiit, non sine iactura magna totus Imperij Romani, uacauitque imperium anno uno. Sunt qui scribunt ipsum ueneno perisse, per administrationem fratris Bernardi ordinis Prædicatorum, confessoris & capellani sui, à quo ipsum in die assumptionis B. Mariæ semper uirginis communicantem, in hostia consecrata ferunt intoxicatum: & ob id Prædicatorum omnes à papa hac poena notatos, ut usque in hunc diem ac deinceps, communicantes in altari, eorum sacerdotes sinistra se manu communicent. Sed quoniam hoc omnino cōstitutum putamus, idcirco fidem adhibere ista dicentibus, iusta ratione contemnimus. Prædictus autem frater Bernhardus, multos innocentia suæ testes habuit uiros illustres, & literas similiter Ioanis Bohemiae regis filij Imperatoris, archiepiscoporum quoque atque pontificum, qui in morte Imperatoris ipsum clara uoce excusantis, fuere præsentis, uidelicet Mediolanensis, Ianuensis, Perusini, Lucensis, & Argentinensis. Nihilominus Henricus comes Flandria, ceterique nobiles euriales e contra constanter affirmabant, reum esse Bernardum mortis Imperatoris, & eum in sacramento corporis Christi intoxicasse. Vnde magna in ordinem Prædicatorum persecutio minus iuste fuit exorta, etiam si frater ille innocens à crimine obiecto non fuisset, cum crimen unius hominis in totum ordinem non fuerit referendum. Magna his temporibus fames in terra fuit ubique, magnaque pestilentia subsecuta, & in utroque periculo multi homines perierunt.

*Henricus Imperator obiit.*

*Dominicanus intoxicat imperatorem.*

*Ordo prædicatorum calumniatur.*

Anno Henrici abbatis 14. qui fuit dominicæ natiuitatis 1314. obiit Clemens papa 5. anno pontificatus sui 9. nondum completo: & uacauit sedes Petri annis duobus, mensibus tribus, & diebus septemdecim, propter discordiam fratrum.

*Clemens papa.*

Eodem anno pridie iduum Ianuarij obiit Sibodo de Lichtenberg, episcopus Spirensis: cui Emicho de Liningen succedens præfuit annis 14. non sine diffensione ciuium suorum, ut solent.

*Sibodo, obiit.*

Eodem quoque anno, 4. iduum febr. obiit Emericus episcopus Vuormatienensis, cui Henricus filius comitis Syluestris de Dune, præpositus domus succedens, præfuit annis quinque.

*Emericus.*

Eodem quoque anno 14. calendis Nouembris conuenerunt principes imperij pro electione noui regis apud Franckofordiam, uotisque in diuersa diuisis, Petrus archiepiscopus Moguntinus, Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, Volmarus Marchio Brandenburgensis, & Ioannes Bohemiae rex, Ludouicum comitem Palatinum Rheni, ducemque Bauariae in regem Rom. elegerunt,

*Dux Bauariae fit rex.*

Fridericus dux  
Austriæ contra  
eum eligitur.  
Rudolphus Pala-  
tinus à fratre ex-  
pellitur.

elegerunt. Contra quem Henricus archiepiscopus Coloniensis, Dux quorū  
que Saxoniarū, & Rudolphus comes Palatinus Rheni, duxq; Bavariarū frater  
ipsum Ludouici, non fauens ei honorem, in regem elegerunt Fridericum du-  
cem Austriæ, fratrem Lupoldi ducis, & filium Alberti quōdam regis Rom.  
Quamobrem bellum inter eos exoritur, durauitq; annos octo, quo tandem  
Ludouicus obtinuit & solus regnauit, Fridericum cepit, & in deditio-  
nem coëgit. Fratrem uerò suum Rudolphum comitem Palatinum Rheni cum  
Friderico pertinaciter sentientem, de patria proscribens, in Angliam usq; ad  
uitæ terminū relegauit, ubi in magna uiuens paupertate tandem mortuus  
est. Comitatum ergo Palatinū cum cæteris quæ Rudolphū fuerant, aliquan-  
dū tenuit, sed omnia filijs eius postea resignauit. Iste Ludouicus uxore ha-  
buit Margaretham, filiam Vuilhelmi Hollandiarū comitis, quæ peperit ei sex  
filios, Ludouicum marchionem Brandenburgensem, Stephanū ducem Ba-  
uariarū in Lanshuta commorantem, Albertum in Straubingē, Vuilhelmum  
ducem Hollandiarū postea comitem, Ludouicum dictum Romanum, quia  
Romæ natus fuerat, & Ottonē ducem, qui dictus fuit Brandenburgensis.

Margaretha con-  
iunx Ludouici  
regis.

Cometa appa-  
ruit.

Anno prænotato tres simul lunæ in cælo apparuerunt. Fulgor etiam  
quem cometam appellant, tribus mensibus in cælo emicuit.

Fames & pestis

Anno Henrici abbatis 15. qui fuit dominicæ natiuitatis 1315. maxima  
fuit per totam Alemaniā fames, in qua multa hominum milia præ inopia  
perierunt, durauitq; biennio. Postea ingens hominum pestilentia ubique  
secuta est.

Prælium apud  
Spiram gestum.

Eodem anno factum est prælium inter Ludouicum regem Romano-  
rum, & Fridericum Austriæ ducem eius aduersarium, iuxta ciuitatem Spira-  
rensem, ubi Lupoldus frater Friderici in circuitu uillas complures incendio  
cremauit, & multa pauperibus intulit damna. Sed tamen Ludouicus uictor  
eualit, & Fridericum aduersariū cum suis fugere turpiter compulit. Fames  
(ut diximus) erat maxima, sed Bald. uino archiepiscopo Treuerense prouid-  
ente, necessaria nihil exercitui defuit.

Hæretici combu-  
sti in Austria.

Errorum ipsorū  
articuli.

Hæresis pessima.

Eodem quoq; anno in ciuitate Cremensi Patauiensis diocesis, in ducatu  
Austriæ, plures nefandissimi hæretici per fratres Prædicatores inquisiti, in-  
uenti & combusti fuerunt. Articulorum hæreseos eorundem primus erat  
iste: Missas uanitatē esse dicebant, & nullius uel reuerentiæ uel utilitatis.  
Secundus articulus fuit: Luciferum cum dæmonibus suis, cælo iniuriā pul-  
sum dicebant, tandemq; beatitudinē cum omnibus suis restituendum: Mi-  
chaëlem & Angelos omnes, æternis cruciatibus deputandos: hominesq; ab  
eorum secta alienos, similiter esse damnandos. Vnde cū se mutuò saluta-  
rent, dicebant, Salutet te iniuriā passus, id est Lucifer. Tertius articulus  
iste nefandissimus fuit: Dicebant enim, Maria si uirgo mansit post partum,  
non hominem sed angelum peperit, uirgo post partum non fuit. Item dice-  
bant se habere 12 apostolos, qui totum imperium singulis annis perlustra-  
rent: & duos ex eis ordine & professione seniores, singulis annis paradisi  
intrare, ac potestatem ab Helia & Enoch ligandi & soluendi accipere, quam  
alijs communicabant in eadem secta constitutis. Sacramentum baptismi iri-  
ridebant dicentes, Si baptismus est sacramentum, ergo quodlibet balneum  
est sacramentum, & per consequens quilibet balneator esset deus. Sacra-  
mentum pœnitentiæ turpiter uiciabant, confitentes non sacerdotibus, sed  
laicis in genere, peccata sua in specie exprimentes: sperantes se ex hac con-  
fessione, omnium peccatorum à pœna & à culpa remissionem plenariam  
recepturos. Sacramentum dominici corporis non credebant, hostiam con-  
secratam

Contra Baptismū

Contra pœnitenti-  
tiam.

Contra Eucharis-  
tiam.

secratam

secratam, deum fictitium appellantes. Sacramentum quoque matrimonij iuratum meretricium in uulgarium nuncupabant. Sacramentum extremæ unctiōnis irridebant, & interrogati super eo quid sentirēt, unanimiter responderunt: Nos credimus quod olera quanto fuerint oleo plus condita, tanto esse meliora. Cōsecrationes ecclesiarum, cœmiteriorumq; & benedictiōnes palmarum, salis, aquæ, & cæterorum quæ in ecclesia fiunt, nihil esse dicebāt. Item dicebant, Deum nec scire, nec punire mala quæ sub terra fierent. Vnde in speluncis & cauernis subterraneis cōuenientes, pater cum filia, frater cum sorore, ac filius cum matre, indifferenter turpitudinem carnis suæ exercebant. Romanam ecclesiam non Christi, sed gentium infidelium esse dicebant: omniaq; statuta ecclesiæ cum prælatis & ministris eius cōtemnebant. Ieiunium irridebant, carnibus omni tempore, etiam in sexta feria parasceues uescebantur. Dies festos non seruabant, sed in die paschæ laborabant; Periurium dicebant non esse peccatum. Merita & intercessiones quorumlibet sanctorum, posse hominibus apud Deum præstare suffragia, negabant: Sed & alios complures articulos profitebantur erroris, quorum prolixitas inserta, his tædium lectoribus (ut uereor) generaret. Magnæ eorū numerus fuit in Austria, Bohemia, & terris uicinis. Nam sicut quidam ex eis Viennæ crematus, nomine Nouus magister, confitebatur, fuerūt eorum in Austria, Bohemia, & in confinibus eius illo tempore plusquam octoginta milia hominum, omnes in eam sectam iurati & professi, præter eos qui in alijs terris erant. Ex hac fece Bohemia tunc infecta, usq; in præsentem diem eisdem erroribus & turpitudinibus scætet, quemadmodum inferius anno Blasii abbatis 17. plenius dicemus. Multi autem eo tempore in Austria fuerunt in diuersis locis combusti, qui omnes unanimiter in suis erroribus pertinacissimè usque ad mortem cum magna hilaritate permanserunt. Inter quos puella una speciosa nomine Gisla, dum iam esset cremanda, interrogatur à iudice, si adhuc esset uirgo. Quæ coram omnibus respondit: Super terram adhuc uirgo sum, sub terra uerò minimè. Credebant enim fatui, uirgines sub terra non posse deflorari, etiam si à mille uiris cognoscerentur, neq; tale stuprum esse peccatum.

Anno Henrici abbatis 16. qui fuit dominicæ natiuitatis 1316. Ludouicus rex Romanorū cum omnibus principibus & ciuitatibus sibi cōsentientibus pacem decreuit in omni regno. Sed Henricus archiepiscopus Colontensis cum his qui partes Friderici sequebantur, fœdus hoc pacis non aduertit, & propterea multis se & diocesium suam calamitatibus subiecit. Nam eodem anno ipse rex Ludouicus, adiuuantibus Baldeuino Treuirorum, & Petro Moguntino Archiepiscopis, multa contra Friderici partes bella gesserunt; Munitiōnes quoque Vuisbaden, & Scharpfenstein obsidione uallauit, ubi cū non proficeret propter locorum firmitatem, infecto negotio ad alia se conuertit.

Eodem anno posteaquàm sedes apostolica uacauerat annis duobus; mensibus tribus, diebusq; 17. cardinales tandem Lugduni conuenientes, Iacobum Caturcensem Portuensem episcopum, quinta die mensis Septembris, in papam elegerunt, qui Ioannes 22. nuncupatus præfuit ecclesiæ Romanæ annis 18. mensibus 4.

Eodem quoque anno bellum inter Ludouicum regem Rom. & Fridericum Austriæ ducem, aduersarium eius apud Argentinam factum est, in quo Friderici exercitus à Ludouico fusus & superatus, denuò fugere compellus est.

Contra unctiōnē  
& matrimonium.

Error omnium  
turpissimus.

Contra statuta ec-  
cl. sic.

Suffragia sanctorum  
sperebant.

Bohemorum hæ-  
resis iniuium.

Ludouicus pacē  
reformat.

Bellum Ludouici  
cum Friderico.

Bellum quartum  
inter Ludouicum  
& Fridericum.

Anno

*Castrum Sterrenberg emitur.*

*Guido obiit.*

Anno Henrici abbatis 17. & ultimo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1317. Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis castellū imperij Sterrenberg, impia ignoratum, Ludouico rege consentiente, pecunia redemit, & ecclesiæ suæ Treuerensi coniunxit. Fuit enim uir magnificus, & semper Imperatoribus obsequiosus & gratus, quod Treuerensi ecclesiæ multum profuit.

Eodem anno 4. calendas Iunij, Guido episcopus Traiectensis obiit, cui Fridericus de Sirck, maioris ecclesiæ propositus, succedens præfuit annis quinque, in multis aduersitatibus tribulatus.

*H. abbas deponitur.*

Eodem quoque anno Henricus abbas huius cœnobij Hirsaugiensis 30. à sua dignitate abbatiāli depositus est, & ad priuatam conuersationem reuocatus. Fuit enim (sicut in principio nos dixisse meminimus) homo ocio et inertia deditus, qui conuiujs & solatijs carnis nimium indulgens, omnem monasterij statum in temporalibus & spiritualibus turpiter neglexit. Bona monasterij mobilia & immobilia multa distraxit, multa uendidit & alienauit, ac pecuniam omnino male expendit. Vnde à sanioribus saepe cum reuerentia admonitus, cum emendare mores contemneret, res per fratres ad episcopum, & per illum ad Regem deuoluta est, & ex eius mandato deponitur.

DE SIGISMUNDO, HUIUS MONASTERII ABBATE

31. qui præfuit annis 24. & de uarijs gestis illius temporis.

*Dissensio facta est in electione.*

*Sigismundus abb.*

*Sigismundi uita.*

**H**enrico autem abbate deposito, ad uitamque priuatam (sicut diximus) reuocato, magna inter fratres meritorum discussio subsecuta est, ne si quem minus consultè præcipitatoque consilio in pastorem eligerent, similibus aut certè grauioribus periculis & malis subiacerent, & utrunque monasterij statum ad extrema incommoda perducerent. Matura itaque consultatione præhabita ad electionem noui pastoris, tandem procedentes in duos uota direxerunt. Vna pars numero & maturitate consilij potior, Sigismundum priorem quondam claustralem in abbatem elegit: alia uero pars Gerhardum custodem & monachum cœnobio præficere contendebat. Cumque ambo electi primò ad iudicium episcopi Spirensis, ac deinde ad audientiam Ludouici regis Rom. peruenissent, audito electionis processu Sigismundus sententia doctorum in abbatia confirmatus est: qui ordinatus ex more, præfuit huic monasterio strenuè 24. annis, & satis bene omnia rexit. Fuit autem natione Suueus, nobili prosapia ortus, statura decente, nec breuis, nec nimia proceritate distortus. Moribus erat humanus, ingenio mitis ac subtilis, consilio promptus, & singulari prudentia circumspectus, eloquio disertus, & quadam seueritate reuerendus. Res monasterij prudenter & ordinatè dispensauit, & multa ab antecessore suo abbate Henrico alienata, ad monasterij possessionem reuocauit.

*Andreas obiit.*

Anno eius primo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1318. obiit Andreas Herbipolensis episcopus: cui successit Gotfridus de Holoë, & præfuit annis 9. qui post multas contentiones cum ciuibus suis habitas, uictoriam tandem obtinuit, eosque ad obedientiam coëgit.

*Bellum contra archiepiscopum Coloniensem.*

Eodem anno Colonienfes, iussu Ludouici Imperatoris, uocatis in auxilium Ioanne rege Bohemiæ, qui Lutzenburgi tum erat cum magno exercitu, Vuilhelmo comite Hollandiæ, Ioanne fratre eius comite in Hannonia, Gerardo comite de Iuliaco, Adolpho comite de Monte, & Ioanne comite de Seyna, cum quibusdam alijs, contra Henricum archiepiscopum Coloniensem pacta & fœdera pacis Ludouici regis uiolantem, & cum Friderico

friderico duce Austriae sentientem, ad bellum procedentes, multa ei damna intulerunt: & inter caetera, castrum Bruel nuncupatum, spacio quatuor mensium obsiderunt. Sed tandem pace interposita & satisfactione facta, recesserunt.

Anno Sigismundi abbatis 2. dom. autem nat. 1319. obiit Henricus episcopus de Dune, ex comite Syluestri, episcopus Vuormatiensis, anno pontificatus sui 5. in maiori ecclesia sepultus, & uacauit episcopatus mensibus duobus, & octo diebus. Postea electus fuit Cuno de Schoneck, filius fratris EmERICI quondam episcopi Vuormatiensis, & praefuit annis 10. Autumant quidam eum diutius praefuisse, sed nobis ferre temporis diligentissimè reuoluentibus errare comperti sunt.

*Henricus obiit.*

*Cuno.*

Anno Sigismundi abbatis 3. dom. autem nat. 1320. pridie nonas Iunij, obiit magister Petrus de Achtzpalt, medicus & archiepiscopus Moguntinus, uir per omnia magnificus: qui Carthusiam extra muros Moguntinos de nouo fundauit, & collegium canonicorum ecclesie S. Catharinae in Oppenheim primus instituit, & satis magnificè dotauit. Quo mortuo, canonici Moguntini Baldeuinum archiepiscopum Treuerensem in suam antistitem postularunt. Sed papa Ioanes 22. recusans eorum postulationi praebere consensum, dedit eis in archiepiscopum dominum Mathiam de Bussack, monachum ordinis S. Benedicti professum, uirum optimum, & tali honore dignum: qui per dominum Baldeuinum archiepiscopum Treuerensem cum solennitate Moguntiam introductus, auctoritate Apostolica a clero & populo honorificè susceptus est, praefuitque annis 8. Qui statim ipsi Baldeuino confederatus est: cuius adiutorio & praesentia roboratus, oppidum in den Giesfen dictum, obsidione uallauit & obtinuit.

*Petrus medicus.*

*Mathias.*

*Giesfen capitur.*

Eodem anno ciues Colonenses iterum iussu Ludouici Imperatoris contra Henricum archiepiscopum suum ad bellum procedentes, castellum eius Vrechem coeperunt, ac funditus destruxerunt.

*Colonenses ciues contra archiepiscopum bellant.*

Anno Sigismundi abbatis 4. qui fuit domin. nat. 1321. Fridericus dux Austriae cum Lupoldo fratre suo, in manu ualida cum magno exercitu intrauit Bauariam contra regem Ludouicum, totamque regionem igne & ferro deuastauit, & multa ubique pauperibus damna intulit: imperatore Ludouico se interea in munitionibus, propter exercitus sui absentiam continente, & fortunę sortem precibus exorante. Anno sequenti, qui fuit 5 Sigismundi abbatis, dominicae autem natiuitatis 1322. Coloniae deprehensus fuit Lolhardus quidam nomine Vualtherus, magister & princeps scholae haeticorum illius sectae, de qua supra fecimus mentionem, anno Henrici abbatis secundi 15. qui in ciuitate Colonensi & extra in multis locis, errores suos occultè inter mulierculas maximè disseminauerat, multosque seduxerat. Libellos erroribus suis conuenientes, in lingua Teuthonica scripsit, in quibus uerba sacre scripturae male interpretando peruertit, & erroribus suis applicauit, eosque mulieribus legendos distribuit. Comprehensus autem, errores suos acriter defendebat, unde per sententiam ad ignem damnatus, combustus fuit: multos reslinquens (ut ipse fatebatur) occultos in ciuitate Colonensi & extra, errorum suorum professores, cultores atque discipulos. Eodem anno Isabella uxor Eduardi regis Anglorum, filia quondam Philippi quarti regis Francorum, ipsum Eduardum maritum suum cepit, & custodiae mancipauit usque ad mortem, propter desolationem (ut dicebat) quam cum seruis fecerat in regno.

*Fridericus deuastat Bauariam.*

*Heresiarcha Coloniae comburitur.*

*Regina Angliae maritum suum cepit.*

Anno Sigismundi abbatis sexto, dominicae autem natiuitatis millesimo trecentesimo uigesimo tertio, Fridericus Austriae dux iterum magnum congregauit exercitum, plus quam quinque millia pugnatorum ex Austria & Ungaria, contra Ludouicum Imperatorem pugnaturus, cui Lupoldus dux

*Exercitū pugna  
iuxta Ottingen  
in Bauaria.*

*Magus spiritū  
misi ad ducem  
captiuum.*

Austria frater cum duobus millibus occurrit, & conductis hincinde multis denuò Bauariā intrauit, omniaq̄ deuastare moluntur. Ludouicus uerò Imperator maximo adunato exercitu plusquam triginta milium pugnatorum unā cum Ioanne Bohemorum rege, Baldeuino quoq̄ archiepiscopo Treuerensi, & Mathia archiepiscopo Mogūtinio, Friderico duci aduersario suo in Bauaria inter Ottingen & Molendorf occurrit: ubi conferto prælio Fridericus dux uictus, & per Bohemiæ regem captus est, & Ludouico Imperatori sub uite conditionibus presentatus, quem in quodā castello firmissimo, custodiae mancipauit. Contigit postea duce Friderico sic in captiuitate detento, quod uenit ad Lupoldum fratrem eius in Austria, magus quidā, promittens se sua arte ducem Fridericum de captiuitate saluum & illæsum penitus, ministerio spiritus ad se in una hora reducturū, si condignam uellet ei repromittere ac dare mercedē. Respondit dux: Si feceris, inquit, quod promittis, cōdigno te præmio honorabo. Itaq̄ Magus hora sibi congrua circum cōiurationis unā cum duce ingreditur, uocat spiritum suis obedire mandatis consuetum. Cui in specie humana comparēti, per uirtutē suarum confurationum mandauit, quatenus ducem Fridericum de custodia Imperatoris liberatum ad se in Austriam sine læsione quantocius adueheret. Cui Spiritus respondens dixit: Si dux ipse captiuus mecum uenire uoluerit, mandatis tuis libens obtemperabo. His dictis auolat mox spiritus in Bauariam, in forma peregrini assumpta peruolat, custodiamq̄ ubi dux Fridericus detinebatur captiuus ingreditur: quo uiso, missus ad eum spiritus dixit, Si ex captiuitate liberare uolueris, hunc equum ascende, & te sine læsione in Austriā ad fratrem tuum ducem Lupoldum saluum perducā. Cui dux inquit, Quis enim es tu? Ad quē spiritus, Noli interrogare quis sim ego, quia nihil ad rem: sed ascende hunc equum, quem tibi exhibeo, & te saluum & incolumem hinc liberatum ad Austriam reducam. Quibus auditis horror quidā ducem alioquin audacissimum inuasit: qui mox, ut signo se sanctæ crucis muniuit, spiritus cum nigro quem exhibuerat equo disparuit, & uacuus ad mittētem reuersus est, à quo increpatus quòd non adduxisset captiuum, ordinem rei gestæ narrauit. Tandem de custodia emissus dux Fridericus, ita sibi contigit se in captiuitate consignato die confessus est. Post hæc Ludouicus Imperator accepto iuramento & necessarijs cautionibus à duce Friderico, quòd se de regno amplius non intromitteret, eum liberum dimisit, & solus imperauit annis fermè 33. homo fortis & audax nimium. Eodem quoque anno Ioannes papa 22. Thomam de Aquino ordinis fratrum Prædicatorū, theologum acutissimū, anno post transitū eius 48. catalogo sanctorū inscripsit.

*Ludouicus impe-  
rat.*

*S. Thomas Aquinas  
canonizatur.*

*Improbum Ludo-  
uici factum.*

Anno Sigismundi abbatis 7. dom. autem nat. 1324, Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, & Ioannes rex Bohemiæ ex fratre nepos eius, qui tunc Lutzenburgi morabatur. Dux quoq̄ Lotharingiæ & comes Barensis, cum quibusdā alijs comitibus atq̄ nobilibus mutuò sese confæderantes cum magno exercitu ciuitatem Metensem obsederunt: quam cum expugnare non possent, omnia in circuitu uastando desolauerunt. His temporibus Ludouicus Imperator cupiēs dilatare dominiū suū, uxorem cuiusdam uiri potētis uiolēter abstulit, eamq̄ Ottoni filio suo Brandenburgensi Marchioni matrimonio cum pompa & solennitate copulauit: uiro eius, cum quo matrimonialiter uixerat, annis undecim, reclamante, & auxiliū summi pontificis licet frustra inuocante. Dicebat enim Imperator, inter eum & illam impedimentum extare consanguinitatis. Sed alia eum causa mouebat, scilicet desiderium habendi dominiū ducatus Carinthiæ & Tirolis, quod ad ipsam

ipsam mulierē iure hæreditario fuerat reuolutū. Vnde cōmotūs papa Ioan-  
 nes 22. tanta iniquitate, scripsit Ludouico multis uicibus rogādo, monendo  
 & comminando, quatenus uxorem uiro suo restitueret, & pro corona impe-  
 rij suscipienda ad se in Auinionem ueniret. Sed imperator papa contemnēs,  
 nec mulierē uiro suo restituit, nec uenire in Galliā consensit. Quam ob cau-  
 sam iratus pontifex, nimioq; furore non iniuste commotus, ei communionē  
 ecclesiæ interdixit, & uarijs censuris eum publicè damnauit. Circa hæc tem-  
 pora Ioannes papa memoratus condēnabat eos qui dicebant, Christū eiusq;  
 discipulos & ueros imitatores nihil proprij habuisse. Cuius cōstitutioni cūm  
 se Michaël de Cesena ordinis fratrum Minorū generalis minister opponeret,  
 ipsum excommunicauit, & ab officio deposuit. Vuilhelmū quoq; de Ockā,  
 eiusdem ordinis natione Anglicum, doctorē acutissimum, ob eandem sen-  
 tentiam excommunicatū declarauit hæreticū. Qui confugiens ad Ludouicū  
 Imperatorē, eius defensionē implorauit dicens: O Imperator, tu me gla-  
 dio à papæ iniurijs defende, & ego te uerbis & scriptis indissolubili ratione  
 defendam. Susceptus autem à Ludouico multa & uaria scripsit contra papā  
 prædictū, asserens eum hæreticū atq; schismaticum, eiusq; cēsuras non esse  
 curandas. Mansit itaq; excōmunicatus cum excōmunicato in ciuitate Mo-  
 nacensi usq; ad mortē, & ibidem moriens sepultus est. Sunt qui dicant, eum  
 circa finem uitæ suam recognouisse errorē, & Apostolicæ sedis gratiā impe-  
 trauisse. Anno Sigismūdi abbatis 8. qui fuit dominicæ natiuit. 1325. Co-  
 lonienses coassumptis secū multis comitibus atq; nobilibus, cum magno & ua-  
 lido exercitū intrauerūt Vuestphaliā cōtra Hæricū archiepiscopū Coloniē-  
 sem: & inter multa mala & dāna quæ ei intulerūt, castrū fortissimū Volmer-  
 stein lōga obsidione captū, solo coæquarūt. Eodem anno Baldeuinus ar-  
 chiepiscopus Treuerēsis castrū Furstēberg, in manu ualida obsedit, & in de-  
 ditionē accepit. Stierberg quoq; Lātgrauio de Luchtēberg, feudū fecit. Ca-  
 strū Richēberg, de nouo cōstruxit, quod comiti de Katzenelenbogē in feu-  
 dum cōtulit, & multa pro honore ecclesiæ suæ magnificè fecit, tam ædificā-  
 do q; capiēdo castella. Castrum quoq; Birckenfeld, cōstruere cœpit contra  
 uoluntatē comitis de Starckenberg, in cuius dominio erat. Vnde orta in-  
 ter eos dissensione, Balduinus archiepiscopus adunato exercitu terram e-  
 ius inuadere decreuit, sed per industriam Henrici ex comitibus de Span-  
 heim Aquensis præpositi & Emerici militis de Lapide, pro concordia labo-  
 rantium treugæ concessæ sunt. Non diu postea cū archiepiscopus Conflu-  
 entiā descensus in parua quadā nauicula per Mosellæ alueū ueheretur, ab  
 ipsa comitissa circa Starckenberg captus est & custodiæ mācipatus. Qui alia  
 quādiu detētus, ibidē tandē pecuniā se redemit, datis literis & cautionibus,  
 quod in diebus suis inchoatū non perficeret castellū in Birckēfeld, pro quo  
 cōtentio fuit. Eodē quoq; anno Cuno de Schoneck episcopus Vuorma-  
 tiensis præcepit festum corporis Christi, secundū institutionē Urbani papæ  
 per ciuitatē Vuormatiensem & totā diocēsin solēniter celebrari. Anno Si-  
 gismūdi abbatis 9. dom. nat. 1326. Ludouicus Imp 4. Reinhardū comitem  
 Gelriæ in ducē sublimauit, qui patrē suum eiusdē nominis per annos ferme  
 octo usq; ad mortē in captiuitate detinuit. Et abhinc principes terræ Gelrē-  
 sis duces esse cœperūt, titulo comitatus de Zutphania retēto usq; in hodie-  
 nū diē. Et hoc ipso anno 7. iduū Octob. obiit pater eius in captiuitate. Mor-  
 tuo Friderico episcopo Traiectēsi, duo in dissensione fuerūt nominati Iaco-  
 bus decanus maioris ecclesiæ à maiore parte capituli fuit electus, & Iacobus  
 Sudēsis episcopus, ad instantiā Vuilhelmi comitis Hollandiæ à minori parte

Ludouicus Imp  
 rator excōmuni-  
 catur.

Vuilhelmus de  
 Ockam uenit ad  
 Imperator.

Colonienses deua-  
 siant Vuestphaliā  
 igne ferroq;.

Stierberg.  
 Lichtenberg.  
 Richenberg.  
 Birckenfeld.

Cuno.

Comes Gelriæ  
 dux creatur.

Fridericus obiit.

postulatus est. Sed prior Iacobus decanus præualuit, & in episcopum Traiectensem confirmatus fuit: quo in breui mortuo, canonici maioris ecclesiæ unanimiter elegerunt Ioannem de Bruchorst, ecclesiæ sancti Saluatoris in Traiecto præpositum, uirum optimum, qui mox regimen & administrationem totus episcopatus, ut uerus pontifex canonicè electus, assumpsit. Interea uenit ex Auinione Ioannes de Dieft Cameracensis præpositus, in episcopum Traiectensis ecclesiæ à Ioanne papa 22. ad instantiâ Ioannis ducis Brabantia, Reinhardi ducis Gelria, & Vuilhelmi comitis Hollandiæ ordinatus & cõsecratus: qui armata manu cum magno apparatu Traiectum ingressus, pulso Ioanne de Bruchorst electo, pontificatum assumpsit, quem annis ferme 14. gubernauit.

*Ioannes Traiectensis episc.*

*Iudæi baptizati  
scelus nefandum  
contra B. uirginẽ*

*Miraculũ B. uirginis magnum.*

*Christianus Iudæum superauit.*

*Ludouicus Rex. Roman profectus.*

*Ludouicus Romæ coronatur.*

Anno quoq; prænotato Iudæus quidam baptismum in Hannonia suscipiens, à Vuilhelmo comite Hollandiæ Hannoniæq; de sacro fonte leuatus est. Qui transiens & conuersans inter Christianos, deuotum se fingebat, malicia Iudaica repletus. Nam uice quadam transiens in ecclesia cuiusdam monasterij solus, imaginem B. Mariæ semper uirginis pulcherrimè depictam indignus conspexit. Qui ueteri mox odio innatoq; furore repletus pugionè extraxit, prorumpensq; in uerba blasphemiae contra sanctam Dei genitricè nitidam imaginis faciem configens, turpiter uulnerauit. Et ecce cõfestim sanguis ab imaginè uulnerata copiosus erumpens circũfluere cœpit. Quod cernens infelix, de ecclesia latenter aufugit. Sanguis autè à fidelibus reseruatus, multis egritudinibus medela fuit. Verùm postea quàm tâti sceleris autor aliquãdiu latuisset, nec sciri à quoquam potuisset, beatissima Dei genitrix semperq; intacta uirgo Maria, cuidã fabro ferrario in somnis apparens quasi uulneribus cõfossa, autorè ei sceleris ostēdit, & eum ad duellũ pro ueritatis declaratione contra perfidũ animauit. Venit ad iudicẽ faber, sceleris accusat Iudæũ, ubi cũ testimonia probationis obiecti criminis sufficientia nõ adessent, duelli cõditio à Christiano petitur & conceditur. Inito certamine duelli, sanctissima dei genitrice adiutus, uicit perfidũ fidelis, impiũ iustus, Iudæũ Christianus. Superatũ se cernēs blasphemus, ueritatẽ aperuit, sceleris sui immanitatẽ, & quod animo nunquã fuerit Christianus publicè cõfessus est. Quibus auditis præfectus comitis, laqueo illum suspendi fecit. Anno Sigismundi abbatis 10. dom. nat. 1327. Ludouicus rex Rom. cum multis principibus & magno exercitu pro corona imperij Romæ profectus est, & à Romanis cũ honore ingētis susceptus est. Papa tũc in Auinione morabatur, quo rex Ludouicus licet sæpius ab ipso inuitatus, ire tutũ sibi nõ credebatur. Vnde pontificè per literas tam suas q̃ Ro. aliorũ principũ rogauit, quatenus aut ipse Romæ uenire, aut munus imperialis cõsecrationis alicui cardinaliũ cõmittere, sicut Clemēs papa 5. cũ Hērico 7. fecerat, dignaretur, dicēs sibi nec cõueniēs esse, nec de cõsuetudine Rom. imperij alibi quàm Romæ benedici & coronari. Sed papa utrũq; recusauit, mādans ei ut ad se in Auinionẽ ueniret. Vnde cõmotus Ludouicus, se à simplici quodã episcopo Romę in ecclesia S. Petri imperatorẽ fecit coronari, anno post electionẽ suã 13. Quo factõ cõsiliũ suorũ Romæ habuit, in quo Ioannẽ papã 22. propria autoritate (ne dicã temeraria præsumptione) depositum, hæreticum, schismaticum, omniq; pontificio honore priuatum, denunciari fecit: & Petrum Corbanẽsem ordinis Minorum, hominem quidem doctum, & ad res agendas idoneum, papam constituens, Nicolaum 5. appellauit, à quo denuò coronam imperij cum maiori solennitate suscepit. Creatus autem Petrus, non pontifex, sed antipapa, cardinales & episcopos homines suisq; consimiles creat, sc̃q; in omnibus gessit ut uerus



uerus papa. Verum post reditum Imperatoris in Germaniam, Pisis antipa  
pa relictus, a Bonifacio comite Pisano captus, Auinionem ad Ioanem pon-  
tificem perducitur, ubi in carcerem coiectus uitam cum morte permutauit,  
qui etsi errorem recognouit, liberari tamen non potuit.

*Gotfridus obiit.*

Eodem anno obiit Gotfridus episcopus Herbipolensis, cui successit Vuol-  
framus de Grunbach in ordine episcoporum sextus, & quadragesimus, &  
praefuit annis sex, homo ad regendum aptissimus, qui ciues suos ad omnia  
modam subiectionem coegit.

Eodem quoque anno Mathias archiepiscopus Moguntinus synodum  
prouincialem suffraganeorum, abbatum & prelatorum suorum celebrauit,  
in qua constitutiones multas pro utilitate ecclesiae edidit.

*Synodus provin-  
cialis.*

Anno Sigismundi abbatis 11. dominicae autem natiuitatis 1328. indictio-  
ne 11. 4 iduum Septembris, obiit Mathias archiepiscopus Moguntinus  
ordinis sancti Benedicti de Buseck natus, uir integerrimae conuersationis  
& omni honore perpetuae memoria dignus, & in maiori ecclesia Mogun-  
tina sepelitur. Quo mortuo, iterum clerus Baldeuinum archiepiscopum Tre-  
uerensem postulauit, qui cum ecclesiam suam Treuerensem, quam locuple-  
tem iam reddiderat, nolisset deserere, Ioannes papa 22 ecclesiam Mogunt.  
Henrico de Wirnberg, sine consensu canonicorum dedit, eumque in archie-  
piscopum ordinatum, Moguntiam cum literis & mandatis Apostolicis de-  
stinauit. Canonici autem multa contra eum allegantes crimina, ad sedem  
Apostolicam appellarunt. Per triennium itaque coram papa in Auinione li-  
tigantes, ne Moguntina ecclesia iterum pastore destituta, grauiam incurreret  
damna, ad instantiam eorum Baldeuino archiepiscopo praefato ipsam ec-  
clesiam Moguntinam administratorio nomine usque ad exitum litis commen-  
dauit. Constitutus autem administrator oppida, castella, & munitiones to-  
tius dioecesis in suam potestate accepit, & omnia ab incursione prauorum,  
fortiter cum magna industria & sapientia defensauit. Magna his diebus inter  
clerum & ciues Mogunt. dissensio fuit, propter libertatem ecclesiasticam, illis  
iura & libertates suas defendentibus, istis autem ex aduerso omnia infringere  
& uiolare laborantibus. Ad reprimeendam igitur temeritatem Moguntin-  
ensem Baldeuinus administrator castrum Eltueil dictum, duobus a Mogun-  
tia miliaribus in descensu Rheni fluminis situm, a fundamentis de nouo  
construere coepit, ipsamque uillam muro undique circumcinxit. Interea Mogun-  
tineses Baldeuini obsidionem metuentes, ut dicebant, reuera autem cleri  
odio prouocati Moguntiam die quadam egrediuntur in manu ualida & mul-  
titudine magna, ac monasteria ordinis nostri aedificijs & structuris insignia  
S. Albani martyris, S. Iacobi apostoli in monte Specioso, sanctique Victoris ca-  
nonicorum secularium, una cum castro in Vuissenauu pro magna parte destru-  
xerunt, quemadmodum uestigia in monasterio S. Albani praecipue ostendunt,  
usque in praesentem diem. Monasterium autem S. Iacobi, quia ciuitati prox-  
imum erat, cum insigni ecclesia funditus euerterunt. Pro qua temeritate po-  
stea ad cameram Imperatoris citati sunt, & in maxima pecuniarum summa ip-  
sis monasterijs soluenda iudicialiter condemnati. Monasteria uero successu  
temporis reaedificata sunt, sed ad pristinum decorem non uenerunt. Ab illo  
tempore usque ad captiuitatem ciuitatis, quae anno Vuignandi abbatis huius coe-  
nobij tertio facta est, deo iniuriam sanctorum uindicante, fortuna Mogun-  
tinentibus semper fuit aduersa, quousque tandem libertate amissa, in per-  
petuam seruitutem sunt redacti. Post annos autem tres, sententia pro Hen-  
rico de Wirnberg lata fuit, qui confirmatus in Archiepiscopum denuo

*Mathias obiit.*

*Baldeuinus fit ad-  
ministratores eccle-  
siae Mogunt.*

*Eltueil castrum  
construitur.*

ad Moguntiam mittitur, & Baldeuino administrationem in manus eius resignante coram duobus legatis Apostolicis, à clero & omni populo mandatis papæ coactis pro archiepiscopo susceptus, cum solennitate Moguntiam & ecclesiam introducit.

*Emicho obiit.*

Eodem anno feria quarta ante diem sancti Georgij martyris, obiit Emicho de Liningen, 50. episcopus Spirensis, & in maiori ecclesia sua est sepultus, cui successit Bertholdus Burheck ordinis fratrum Teuthonicorum, præfuitq; anno uno, translatus ad episcopatum Argentinensem, ut postea dicemus ordine suo.

*Collegium in  
Stuckgardum  
translatum est.*

Eodem quoque anno Euerhardus comes de Vuirtemberg, de consensu Ioannis papæ 22. collegium canonicorum de Bittelsbach, cum ecclesia in qua comitum Vuirtembergensium erat, sepultura in Stuckgardia transfulit: cuius translationis hæc fuit occasio. Cum prioribus annis sub Henrico 7. qui regnare coepit anno Henrici secundi abbatis 8 (sicut diximus) nobiles & ciues imperij, præcepto regis bellum agerent per annos ferè 10. cõtra præfatum comitem Euerhardum, & ex munitionibus eius octoginta, cepissent ferè septuaginta destruxissentq; quemadmodum anno præfati abbatis 10 breuiter consignauimus: inter quas erat castellum Vuitelsbach, in quo ecclesia sita fuerat collegiata, in qua comites (ut diximus) habuerant sepulturam, contigit quod dicturi sumus. Imperiales capta munitione, Deum oblitum & propriæ salutis immemores, in contumeliam uiuentium comitum etiam mortuos sunt persecuti. Nam sarcophagis apertis & cõfractis, mortuorum ossa comitum extrahentes, inter lapides & cineres dispergere non timuerunt. Hanc iniuriam & contumeliam quiescentibus in terra mortuis irrogatam, grauiter ferens comes Euerhardus, ecclesiam cum sepultura de Buitelsbach, de consensu Apostolico transfulit. Qui comes eodem anno moritur in die S. Bonifacij archiepiscopi & martyris, filium relinquens decennio superuiuentem.

*Crudelitas in  
mortuos acta.*

*Cuno Vuormatiensis.*

Anno Sigismundi abbatis 12, Domini uerò 1329. obiit Cuno de Schoneck episcopus Vuormatiensis: post cuius mortem, canonici maioris ecclesiæ Baldeuinum archiepiscopum Treuerensem unanimiter in administratorem assumperunt, contra Gerlacum Schenck de Erpach, qui episcopatum ambiendo inuaserat, quem etiam postea obtinuit.

Eodem quoque anno Bertholdus episcopus Spirensis, ad ecclesiam Argentinensem episcopatus, autoritate papæ translatus est: & Baldeuinus præfatus archiepiscopus, in administratorem à capitulo Spirensis ecclesiæ assumitur, iam quatuor ecclesiarum rector.

*Vualramus.*

Anno Sigismundi abbatis 13. qui fuit dominicæ natiuitatis 1330. Vualramus ex comitibus de Veldens, promotione archiepiscopi Treuerensis Baldeuini, factus episcopus est Spirensis, & præfuit annis sex, uir & bonus & misericors.

*Gerlacus.*

Eodem anno Baldeuino archiepiscopo administrationem Vuormatiensis ecclesiæ resignante, Gerlacus Schenck (de quo præcedenti anno diximus) episcopatum assumpsit, & præfuit annis duobus, non electus, neq; postulatus, sed uiolenter intrusus, auxilio & fauore amicorum, & (ut dicebatur) non confirmatus ab aliquo.

*Henricus.*

Hoc ipso anno post longam concertationem in curia papali habitam, Henricus de Virrenburg, autoritate Ioannis papæ 22. Moguntiam mittitur, & in archiepiscopum ordinatus, à clero & à populo mandato Apostolico suscipitur, duobus legatis præsentibus, & præfuit annis ferè 15. Baldeuino resignante

resignante administrationem, iussu papæ & legatorum Apostolicæ sedis. Iste archiepiscopus Henricus castrum Altauillæ infra Moguntiam iuxta Rhenum, à Baldeuino administratore incœptum, perfecit.

Anno Sigismundi abbatis 14, Domini uerò 1331, Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis capellam sancti Albani cum horto latissimo adiacente, precio comparauit à monasterio S. Matthiæ extra muros Treuerenses, & pro Carthusianis monachis cœnobium construere cœpit: quod in octo annis perficiens, ac magnificè dotans, nouum consecrauit, Pontem quoque circa Confluentiam lapideum super Mosellã, idem archiepiscopus de nouo multis expensis hoc tempore construxit.

*Carthusia Treuerensis construitur*

Eodem anno Ioannes ex comite Lucenburgensi, Bohemiæ rex, Italiam cum magno exercitu ingressus, Brixiam, Bergomum, Lucam, Parmam, Regium & Mutinam in suam potestatem accepit.

*Ioannes rex Bohemiæ.*

Hoc ipso quoque anno facta est magna dissensio inter Henricum Bauariæ ducem cognomento Probum, ex una parte, & Ottonem fratrem eius, ac Henricum iuniorem filium Ottonis ex Bauariæ ducibus Vngariæ regis: ex alia parte pro inferioris Bauariæ ducatu, Ludouicus Imperator pro Ottone & Henrico iuniore, uocatis in auxilium Vngaris contra Henricum seniore parabat exercitum: quo cognito Ioannes Bohemiæ rex, socer Henrici senioris, adiunctis sibi quibusdam alijs principibus, conuentum dissentientibus indixit ad Ratisponam circa festum S. Bartholomæi Apostoli: quibus comparibus concordia tali modo inter eos reformata est. Henricus dux senior in diuisione obtinuit Lanshutam, Strubingen, Scherdingen, & alia circumiacentia castella, munitiones & uicos. Ottoni uerò fratri, eius fors contulit Burghusen, Ottingen, Transtein, Halle, & cætera usque ad Alpes Saltzburgenses. Porro Henricus iunior in diuisione accepit Dingelsingẽ, Landau, Vilshoffen, Deckendorf, Campurg, Kelhaim, & alia in circuitu posita.

*Contentio inter duces Bauariæ.*

*Diuisio inferioris Bauariæ.*

Anno Sigismundi abbatis 15. dominicæ uerò natiuitatis 1332. Henricus dux Bauariæ senior, denuò cum fratre suo Ottone & Henrico iuniore pro ducatu contendere cœpit: cui cum Ludouicus Imperator pacem indiceret, nec desisteret, collecto exercitu cum persona propria oppidum Strubingẽ obsidione uallans octo hebdomadibus fortiter impugnauit, quousque postremo adueniens Ioannes Bohemiæ rex prænominatus, pacem inter eos reformauit.

*Strubingen obsidione uallatur.*

Eodem anno 15. calendas Ianuarij, obiit Geriacus Schenck, episcopus Vuormatiensis, cui Salamãnus ex Moguntia natus, præfuit annis 23. à Ioanne papa 22. confirmatus, sed ab eius successore Benedicto 12. ordinatus. Quem cum Vuormatienses admittere recusarent, interdicto ecclesiastico per papam notati sunt: pluresque ex canonicis, maxime sancti Cyriaci in Nuhsufen, Apostolicis mandatis inobedientes, & Salamanno rebelles, excommunicati fuerunt, quos tandem satisfactione præmissa ipse autoritate Apostolica reconciliauit.

*Salamannus.*

Anno Sigismundi abbatis 16. qui fuit dominicæ natiuitatis 1333. obiit Vuolfamus episcopus Herbipolensis, pridie calendas Iulij: cui successit Otto Vuolfskel, & præfuit annis 15. promotus & ordinatus Leodij 21. die mensis Iulij, per Ioannem papam 22. contra Hermannum de Lichtenberg, Ludouici Imperatoris cancellarium, in odium Imperatoris, qui eum in episcopum ordinari cupiebat. Nam sicuti prædiximus suo loco, Henrico Imperatore septimo in Italia mortuo, Ludouicus comes Palatinus, Bauariæque dux, frater Rudolphi comitis Palatini Rheni, electione principum, deuicto

*Otto fit episcopus Herbipolensis*

*Causa diffen-  
sionis papæ & Im-  
peratoris.*

Friderico Austriae duce, in regē Rom. sublimatus fuit, anno Domini 1314. qui mox in magnam discordiam cum Ioanne papa 22, tali (ut ferebatur) occasione prolapsus est. Habebat quendam cancellarium Vdalricum nomine de Augusta Rhetorum oriundum, hominem temerarium & superbum, eleri & religionis æmulū, ecclesiasticæq; dignitatis & libertatis maximum osorem & aduersarium, qui in literis ad papam nomine Imperatoris, eo inficio, quædam indigna posuit, ipsumq; papam inter alia Bestiā de mari ascendentem appellauit, multaq; in eum opprobria scripsit: quibus non immeritò pontifex ad indignationem prouocatus, Ludouicum regem excommunicauit. Hanc malitiam suam iam morti proximus Cancellarius coram multis publicè confessus est. Vnde Ludouicus Romam profectus anno domini 1327. papæ reconciliari uolens, cum in Auinione moraretur (ut supra diximus) anno Sigismundi abbatis 9. à quodā simplici episcopo munus benedictionis accepit, & in dissensione papæ Ioannis permāsit, alium pro eo constituens Antipapam. Ad hunc Ludouicum Imperatorem excommunicatum uenit in Bauariam Vuilhelmus de Ockam ordinis Minorum, natione Anglicus, uir quidem doctus in Philosophia & literis sacris, sed temerarius nimium, excommunicatus à papa Ioanne 22. in quem multa blasphemando conscripsit, quemadmodum in libro de Scriptoribus ecclesiasticis, plenius diximus.

*Vuilhelmus de  
Ockam ordinis  
Minorum.*

*Henricus dux Ba-  
varia obijt.*

Eodem anno obijt Hēricus iunior, dux Bauariæ, filius Ottonis regis Ungarorum, anno ætatis suæ 21. sine liberis. Maxima hoc anno uini copia creuit, ita ut uasa defuerint.

*Vualramus.*

Anno Sigismundi abbatis 17. dominicæ autem natiuitatis 1334. obijt Henricus archiepiscopus Coloniensis, cui Vualramus filius Gerardi comitis Iuliacensis, præpositus Leodiensis, & thesaurarius Coloniensis, in archiepiscopatu succedens præfuit annis 16. mensibus 6. diebus 19. uir in utroq; iure doctissimus, strenuus atq; pacificus: qui ecclesiam sibi commissam, satis strenuè, pacificè utiliterq; in utroq; statu rexit. Ille Vualramus archiepiscopus inter multa ædificia quæ tempore sui pontificatus in diuersis locis erexit, etiam monasterium Carthusiensium in Colonia de nouo construxit, quod pro necessaria fratrum sustentatione honestè abundeq; dotauit.

*Carthusia in Co-  
lonia fundatur.*

*Benedictus fit pa-  
pa, Ioāne mortuo*

Eodem anno pridie nonas Decembris, obijt in Auinione Ioannes papa 22. anno ætatis suæ 90. inæstimabilem auri copiam relinquens in thesauris. Cui in Pontificatu successit Benedictus 12. Tholosanus, ordinis Cisterciensis, sacre Theologiæ doctor, Iacobus de Furno antea uocatus, & præfedit annis 7. mensibus 3. & diebus 18. uir integerrimæ reuerentiæ, qui constitutionem ordini nostro dedit pro ipsius reformatione, quam Benedictinā appellant, cuius uerum originale sub plumbo Treueris apud S. Mathiam habetur, & in plerisque alijs monasterijs similiter.

*Ventus magnus.*

Anno Sigismundi abbatis 18. qui fuit dominicæ natiuitatis 1335. in die Apostolorum Simonis & Iudæ, maximus & nimium tempestuosus in partibus Rheni & Sueuiæ uentus efflauit, qui arbores & multa ædificia in diuersis locis euertit.

*Otto dux obijt.*

Eodem anno, mortuus est Otto Bauariæ dux (de quo supra fecimus mentionem) filius Stephani ducis, & frater Henrici senioris, sine liberis, cuius ducatus ad fratrem iure deuoluitur.

Anno sequente, qui fuit Sigismundi abbatis decimonono, obijt Vuillichin, siue Vuilhelmus, abbas cœnobij mei Spanheim undecimo, anno regiminis sui 28. 16. calendas Aprilis.

Eodem

Eodem anno in die sancti Augustini episcopi obiit Vualramus episcopus Spirenſis, in ecclesia Prædicatorum ibidem coram summo altari sepultus: cui successit Gerardus de Ercenberg, in die S. Catharinæ electus, & præfuit annis 27. & mense uno, ac diebus 6. At uerò post Vuillichionē mei cœnobij Spanheimenſis abbas 12. cōstitutus est Henricus, ex Creutzēnach oriundus, qui præfuit annis duobus, & mense uno, diebusq; sex, non satis utiliter, ut tempus postulabat.

Gerardus.

Henricus.

Anno Sigismundi abbatis 20. qui dominicæ natiuitatis fuit 1358. magna ubiq; hominum ac pecorum mortalitas fuit, & frumentum caro uendebatur precio, ita ut pauperes magna premerentur inopia, pluresq; fame & inedia perirent. Anno sequente, qui fuit Sigismundi abbatis 21. Eduardus secundus rex Angliæ uenit ad Ludouicum Imperatorem apud Confluentiã, postulã ab eo contra Philippum regem Franciæ auxilium, cui Ludouicus accepta pecunia multa promisit suffragiũ, sed promissa seruare non potuit, quia principes ad obediendum inuoluntarios habuit, & rex Angliæ spe sua frustratus, pecuniam sine fructu expositam amisit.

Fames &amp; mortalitas.

Eduardus rex Angliæ secundus.

Eodem anno Reinhardus comes Geliæ, qui postea in ducem sublimatus est, magnum producens exercitum contra Leodienses & Brabantinos bellum indixit, propterea quòd anno præterito, ipso existente cum Imperatore, terram eius incendio & præda miserabiliter deuastauerant, secum habentes Adolphum episcopum Leodiensē, quem ciues dudum ignominiose expulerant. Ceciderunt in hoc bello plusquam nouem millia hominum ex utraq; parte. Victoria celsit Reinaldo comiti, ex qua non solum diues factus, sed famosus in omni terra, cunctisq; gratus principibus.

Bellum inter Leodienses &amp; comitem Geliæ.

Anno Sigismundi abbatis uigesimo secundo, qui fuit dominicæ natiuitatis 1359. in die sancti Kiliani martyris, circa meridiem, solis magna fuit defectio, horis ferme duabus.

Eclipsis solis.

Eodem anno circa autumnum Suitenses in ciuitate Beronã, plures ex ciuibus diffensione suborta crudeliter occiderunt.

Suitenses.

Eodem quoq; anno Ludouicus Imperator conuentum principum solennem apud Frankofordiam celebrauit, ubi inter alia Reinaldum comitem Geliæ in ducem sublimauit, adiciens ducatu eius comitatum Zutphantiæ, propter singularem prudentiam eius, & res ab eo magnifice gestas. Fuerat enim in ordine comitum Gelrenſium ab origine undecimus, uir prudens, audax, bellicosus, fortunatus, & per omnia magnificus, qui multa strenue pace belloq; patrauit.

Comes Geliæ in ducē creatur.

Eodem etiam tempore Vuilhelmus comes Iuliacensis, per Ludouicum Imperatorem de consensu principum in marchionem creatus est, uir tali dignus honore, quippe qui & ipse multa strenue gessit, consilio simul & operatione.

Vuilhelmus comes Iuliacensis. f. Marchio Iuliacensis.

Hoc anno bellum atrox fuit inter Philippum Franciæ regem & Angliæ regem Eduardum, propter comitatum Normandię, quem uterq; ad se iure pertinere contendebat. Conductis enim rex Angliæ magno stipendio copijs, Franciam manu ualida ingreditur, præda & incendio cuncta, licet parum sibi profecerit, deuastans, quia Normandiam non obtinuit.

Bellum inter reges Franciæ &amp; Angliæ.

Eodem quoq; anno feria sexta ante festum S. Osualdi regis & martyris, Ludouicus Imperator post mortem fratris sui Rudolphi comitis Palatini Rheni, quem in Angliam fugauerat (sicut diximus) anno Henrici abbatis 14. conuocatis filijs eius Rudolpho, Adolpho & Ruperto, paternam inter eos hæreditatem diuisit, imò potius ablatam restituit, dicens, Pater in me peccauit,

peccauit,

Rudolphus comes Palatinus Rheni.

peccauit, non filij: equum igitur non est, alieni eos sceleris poenā subire. Rudolphus primogenitus, Rudolphi fratris Ludouici Imperatoris comitisq̄ Palatini Rheni ac Bauariæ ducis, uir non multæ sapientiæ, uxorem habuit regis Vngariæ sororem, ex qua genuit filiam unicam Margaretham nomine: quam Carolus Bohemiæ rex postea Imperator duxit in uxorem, de qua suscepit Vuenceslaum post patrem regem Rom. Ioannē regem Bohemiæ, Sigismundum regem Vngariæ, postea Imperatorem Rom. Helenam, quæ nupsit regi Angliæ, & Margaretham uxorem marchionis antiquæ Marchiæ. Adolphus secundo genitus Rudolphi senioris Palatini, à quo successio comitum Palatinorum Rheni continuatur, uxorem duxit filiam comitis de Octingen, quæ peperit ei Rupertum, seu (ut pleriq̄ uolunt) Adolphum patrem Ruperti postea regis Romanorum, ex Beatrice filia regis Sicilia, de qua latius suo loco dicemus, cum illò uenerimus. Rupertus autem tertio genitus Rudolphi senioris comitis Palatini Rheni, sine liberis obiit, quamquam duas uxores duxerit: quarum prima fuit Mechtildis ducissa Brabantia, secunda Beatrix filia ducis Montēsis. Iste Rupertus gymnasiū uniuersale Heidelbergense primus fundauit, quod Benedictus papa 12. confirmauit. Similiter postea Urbanus papa 6. cuius primus director & moderator fuit Marsilius de Ingen, sacrae Theologiæ doctor, Parisiensis canonicus, & Thesaurarius ecclesiæ S. Andree in Colonia, quemadmodum in libro de de Scriptoribus ecclesiasticis, nos dudum dixisse meminimus, Ecclesiā quoque in noua ciuitate Spirensis diocesis collegiatam, pulchro tabulatu lapideo ex fundamento erexit, fundauit, construxit, & dotauit, in qua & sepultus postea fuit.

Adolphus comes Palatini Rheni.

Rupertus comes Palatinus.

Uniuersitas Heidelbergensis erigitur.

Pestilentia fuit.

Anno Sigismundi abbatis trigésimotertio, Domini uerò 1340. per totam Alemaniam maxima pestilentia fuit, & multa milia hominum prostrauit. Magna quoque fames subsequuta est, & multos egenos & pauperes faciens miserimè afflixit, fuitq̄ & uiuere miseria & mori nimius horror.

Eodem anno, circa dominicam Lætare in quadragesima, cometa apparuit.

Rex Angliæ secundo in Franciā mouet exercitum

Eodem quoq̄ anno, circa natiuitatem S. Ioannis Baptistæ, Eduardus rex Angliæ denuò cum ualido exercitu intrauit Franciā, & multis ex Francigenis occisis multisq̄ captis gloriose triumphauit, prædam Angliis inferens non modicam.

Vuillicho abbas.

Hoc ipso anno, 6. calendas Maij, obiit Henricus ex Creutzennach, monasterij mei Spanheimensis abbas in ordine 12. cui Vuillichin secundus ex Spanheim succedens, præfuit anno duntaxat uno, mensibus tribus, & quatuor diebus.

Eodem quoque anno, 12. die mensis Februarij, obiit Rupertus comes Palatinus Rheni & Bauariæ dux, filius Rudolphi fratris Ludouici Imperatoris (de quo supra diximus) in choro ecclesiæ nouæ ciuitatis, quam ipse à fundamentis erexit, sepultus.

Anno Sigismundi abbatis 24. Domini uerò 1341. comes quidam in Isenburg, in nundinis S. Remigij Coloniae in sociali hastiludio Stephanum militem de Oersbeck præter suam uoluntatem publicè interfecit, qui fracta ceruicè subito expirauit, manens nihilominus equo insidens ac si uiueret, quo usque famulorum manibus depositus inueniretur mortuus.

Clemens papa.

Anno Sigismundi abbatis 25. qui fuit dominicæ natiuitatis 1342. obiit Benedictus papa 12. cui Clemens sextus succedens præfuit annis 11. uir pietate & clementia plenus, patria Lemouicensis, professione monachus ordinis sancti

nis sancti Benedicti. Eodem anno 8. idus Augusti obiit Vuillico secundus, abbas monasterij mei Spanheimensis 13. cui successit Vuilhelmus ex Bickelnheim, ex prosapia S. Hildegardis oriundus, & præfuit annis 9. uir per omnia bonus & magnificus.

Vuilhelmus.

Hoc ipso quoque anno Ioannes dux Brabantiae & Engelbertus episcopus Leodiensis, magnum producentes exercitum contra Leodienses, multos ex eis occiderunt, ceperuntque, cæteris ad fugam conuersis, quousque tandem conditiones pacis admiserunt.

Eodem anno 8. calendas Iulij, obiit Sigismundus huius cœnobij Hirsaugiensis abbas 31. anno regiminis sui uigesimo quinto, uir optimus, omnique honore prosequendus, qui in utroque statu satis utiliter præfuit, multaque bona fecit.

Sigismundus.

## DE VVIGHARDO, HUIVS MONASTERII ABBATE

32. qui præfuit annis 12. & de uarijs gestis  
sui temporis in Alemania.

Post mortem itaque reuerendissimi abbatis Sigismundi, conuenientes in locum capitularē fratres conuentuales huius monasterij Hirsaugiensis, anno prænotato dominicæ natiuitatis 1342. in dictione Romanorum 10. pro eligendo in demortui locum nouum animarum suarum pastorem, præhabita deliberatione necessaria tandem unanimiter elegerunt Vuighardum cœuentus sui monachum, natione Sueuum, uirum in temporalibus non sine experientia probatum: qui sub Henrico & Sigismundo abbatibus in monasterio conuersatus, secundum illius temporis mores aptior & melior inter alios pro necessitate loci uidebatur: quamquam pro regularis disciplinæ instauratione, quæ tum in omnibus penè monasterijs nostri ordinis per Alemaniã corruerat, parum congrueret. Eum tamen uiuendi ritum in cœnobio quem reperit, seruauit, peculium indulgens monachis, ut antecessores sui fecerunt. Confirmatus autem à Gerharðo Spirensis ecclesiæ antistite, & ordinatus in abbatem solenniter, ut moris est, præfuit annis 12. mensibus 8. diebus 3. ut calculanti patebit.

Vuighardus.

Confirmatio ab  
episcopo Spirensi

Hic anno suo primo, confirmationem priuilegiorum regalium monasterij sui impetrauit à Ludouico Imperatore quarto.

Hoc ipso dominicæ natiuitatis anno 1342. adhuc Sigismundo abbate uiuente, 23. die mensis Ianuarij, prima noctis hora, suborta nubium tempestate horrenda, audiebantur tonitrua, fulgura, & coruscationes apparuerunt cum grandine & pluuia magna, ita ut mediã æstate tempestas suborta uideretur.

Maxima in Ianuario tempestas

Eodem anno, in uigilia sancti Iacobi Apostoli, Mogonus fluuius contra naturam & consuetudinem suam subito excrecens, tantam aquarum uim Rheno immisit, quantam nullus eo tempore uiuens se uidisse meminerat. Multa enim hominibus damna intulit, uillasque integras circa Rhenum constitutas subuertit.

Anno Vuighardi abbatis 1. currente adhuc, dominicæ natiuitatis 1345. obiit Reinardus primus dux in Gelria, de quo supra diximus: cuius ducatum Reinardus filius eius puer decem annorum gubernandum suscepit, uxorem postea ducens Mariam Ioannis ducis Brabantiae filiam, qui ambo sine liberis obierunt. Hunc post aliquot annos frater eius Eduardus cupidine imperij ductus cepit, & per decennium in custodia seruauit, ducatumque Gelriae pro eo administrans, magnæ inter se futuræ contentionis (ut dicemus) causam dedit.

Anno

*Vdalricus comes  
Vuirtenbergensis  
moritur.*

Anno Vuighardi abbatis 2. qui fuit dominicæ natiuitatis 1344. undecima die mensis Iulij, obiit Vdalricus comes Vuirtenbergensis, filius Eberhardi comitis, de quo iam supra diximus, duos relinquens filios, Vdalricum & Eberhardum: quorum primus post annos 26. absque prole mortuus est, ut suo loco dicemus: secundus uerò Euerhardus, longo uiuens tempore, multa cum ciuitatibus imperij & nobilibus bella gessit per annos ferme 46. de cuius gestis & obitu, quantum nobis innotuit, suo loco dicemus.

*Cruciata contra  
Teucros prædi-  
catur.*

His temporibus Clemens papa 6. missis in Germaniam legatis communè passagium contra infideles Teucros prædicari fecit, promittens in subuentionem peregrinorum de bonis suis ad cistas in ecclesiis ad hoc publicè ordinatas contribuentibus, non solum consuetas indulgentias, sed etiam quædam insolita: ita ut eis qui sua imposuissent, ad certam quantitatem taxata, esum ouorum sextis, ferijs & lacticiniorum, ceterisque extra quadragesimam diebus quibuscumque indulgeret: quod eatenus per Alemaniã fieri non consueuit. Baldeuinus Treuerensis, & Vualramus Coloniensis archiepiscopi, cum quibusdam alijs, tunc à sede obtinuerunt Apostolica; pecunia ex populo suo collecta non modica, impensa ad cruciatam, ut omnibus in eorum diocelibus constitutis, liceat in perpetuum extra quadragesimã, omni tempore uti lacticinjs, butyro & ouis: quod usque in presentẽ diem ita seruatur. Nam Treuerenses & Colonienses, per totum annum, quadragesima sola excepta, lacticinjs ouisque utuntur in cunctis sanctorũ uigilijs & ieiunijs ecclesiasticis. Henricus autem Moguntinus archiepiscopus, quia Ludouico Imperatori excommunicato pertinaciter adhæsit, gratiã Apostolicæ sedis non habuit: & ideo nec ad cruciatam contribuere quicquam uoluit, nec indulgentias curauit: unde licitum non est, usque in hodiernã diem, per totam diocelisin Moguntinam ouis uti, tempore cuiuscumque ieiunij ecclesiastici. Christiani itaque ex tota ferme Europa coadunati, magna in Teucros classe uehuntur, & Smyrneum oppidum in primis capientes, magna deinde utriusque gentis clade sæpius pugnarunt.

*Ouorum usus  
Treuerensibus et  
Coloniensibus  
conceditur.*

*Henricus.*

*Facinus Imperatoris.*

Eodem anno, Ludouicus Imperator Ioannem filium regis Bohemiæ, de ducatu Carinthiæ, quem ei accepta pecunia prius donauerat, eiecit: eiusque uxorem, sine iudicio ecclesię raptam, suo filio copulauit, in scâdalum multorum. Vnde tam pro isto quàm pro multis alijs sceleribus, denuò excommunicatus fuit à Clemente papa sexto, tandemque (ut dicemus) ab imperio depositus.

*Vuilhelmus comes  
Hollandiæ  
in bello occiditur.*

Anno Vuighardi abbatis 3. qui fuit domin. natiu. 1345. Vuilhelmus Hannonië, Holladiæ Seladiæque comes, ac Phrysiæ dominus, circa festũ natiuitatis B. Marię semper uirginis, magnum cõtra Phrysones produxit exercitũ, secum habens comitem de Horn, multosque alios nobiles atque fortissimos. At Phrysones fossatis aquarum plenis circummuniti, obuiam eis in furore magno egressi, solitaque industria utentes, conclusos inter paludes alios interfecerunt gladio, alios uerò emisis subitò aquis miserabiliter submerferunt, inter quos & Vuilhelmus comes suffocatus, sine liberis mortuus est. Quo mortuo, soror eius Margaretha, uxor Ludouici Imperatoris 4. tãquam uicinior heres, decreto imperatoris & principum, cum Vuilhelmo filio suo, in magno apparatu descendit in Holladiam: omnem terram fratris, suo mox subiugauit imperio: quam in colis consentientibus, filio suo Vuilhelmo tradidit gubernandam: dispositisque in pace rebus, ad Bauariam cum suis est reuersa. Igitur Vuilhelmus dominium auunculi cõsecutus, talem epistolis suis titulum præscribere solebat: Vuilhelmus, Dei gratia comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ,

*Comitatus Holladiæ  
ad Bauariæ  
duces uenit.*



Bauariæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæq; comes ac Phrysiæ dominus &c. Erat autem homo superbus, inquietus & bellicosus, qui propriæ matri deferre nesciuit. Abhinc præscripti comitatus ad Bauariæ duces pertinere cœperunt, à quibus per annos fermè uiginti octo, in possessione quieta gubernati sunt, usque ad annum Domini 1425. tunc ad Burgundiæ duces deuoluti fuerunt.

*Bauari tenuerunt Hollandiam.*

Anno prænotato Henricus archiepiscopus Moguntinus citatus à papa Clemente sexto, ad curiam non comparens, excommunicatur.

Anno Vuighardi abbatis 4. Domini uerò 1346. Clemens papa 6. Henricum de Vernenburg, archiepiscopum Moguntinum contumacem & rebellem mandatis apostolicis prius (ut diximus) citatum & excommunicatum, in consistorio publico de consensu cardinalium per sententiam deposuit absentem, omniq; honore p̄tificiali spoliavit, & Gerlacum de Nassau in eius locum substituit, qui tamen ad possessionem archiepiscopatus ante mortem Henrici minimè peruenit. Henricus enim non aduertens papæ sententiam, fretus auxilio Ludouici Imperatoris, Cunone de Falckenstein, qui postmodum archiepiscopus Treuerensis factus est, in coadiutorem assumpto, se pro archiepiscopo gessit, ut ante contentiones & bella per annos 8. agens cum Gerlaco, non sine magno detrimento ecclesiæ Moguntinæ populiq; subiecti.

*Henricus depositus.*

*Gerlacus archiepiscopus.*

*Cuno de Falckenstein coadiutor.*

Eodem anno inter Eduardum & Reinardum fratres, pro ducatu Gelriæ grauissima contentio suborta est, quæ per annos 16. cum magno ipsorum dispendio & totius terræ desolatione durauit. Nam eis inter se contentiones & bella gerentibus, multa hominum millia fuerunt occisa, uillæ sine habitatoribus desertæ, castra quoq; destructa, & terra totius ducatus aut interfectis aut fugatis rusticis inculca permanente. Verùm postremò Eduardus, detrusus in custodiâ Reinardo, ducatum solus obtinuit, ut suo loco dicemus.

*Inter fratres pro ducatu Gelriæ contentio longa.*

Eodem quoq; anno Clemens papa 6. qui Ludouicum per sententiam ab Imperio se deposuisse dicebat, mandauit principibus, ut infra certum terminum, quem eis præfixerat, nisi ius electionis uelint amittere, in locum Ludouici alium eligant Imperatorem, qui mandatis ecclesiæ, ut filium decet, pareat: alioquin se necessariò curam, ut supremum caput, de imperio habiturum. Conuenientes itaque in Reyms infra Bopardiam iuxta Rhenum, 11. die mensis Iulij, Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, Vualramus archiepiscopus Coloniensis, Gerlacus cui papa (ut diximus) prouiderat de ecclesia Moguntinensi, Ioannes rex Bohemiæ & Saxonix dux, Carolum Ioannis supra dicti Bohemiæ regis primogenitum, in regem Rom. unanimiter presentem elegerunt, quem in Bonna oppido cum magna pompa Coloniensis archiepiscopus (ut moris est) inunxit. Non enim poterant ad Aquisgranum tutò descendere, propterea quòd Aquenses Ludouici partes studiose sequebantur. Adolphus autem comes Palatinus Rheni, Henricus archiepiscopus Moguntinus, licet à papa depositus, marchio Brandenburgensis, ducesq; Bauariæ, ac penè omnes ciuitates imperij, partes Ludouici usq; ad mortem eius pro uiribus sequentes defendebant.

*Mandatum papæ ad principes.*

*Carolus ab una parte eligitur.*

*Ludouici partes bi sequebantur.*

Eodem anno Eduardus rex Angliæ cum magno exercitu Franciam de nouò ingreditur, habens secum Ioannem Bohemiæ regem, patrem Caroli Imperatoris 4. in toto certamine gloriose triumphauit. Rex autem Bohemiæ sagitta cuiusdam Galli uulneratus, occubuit. Iste Ioannes filius fuit Henrici Imperatoris 7. & pater Caroli quarti, sicut supra diximus, quondam comes Lutzenburgensis, qui patre ad imperium sublimato filiam Vuenceslai re-

*Rex Angliæ de nouò Franciam bellaturus intrat.*

*Lutizenburgensis  
ducatus ad Bohemos  
transfertur.*

gis Bohem̄ia Elifabeth, cum regno accepit uxorem, quemadmodum anno 10. Henrici abbatis 2. clarius posuimus, cum quo ducatus Lutzenburgensis ad Bohemos deuoluitur. Regnauit autem in Bohemia 36. annis, quo hoc anno mortuo Carolus filius eius paululum antequam eligeretur ad imperium successit, regnans cum filio suo Vuenceslao, annis ferme 32. Vites & botri pendentes in eis hoc ipso anno, sub octauis natiuitatis. B. Mariæ semper uirginis, frigore & pruina perierunt in multis, maximè in Sueuiæ partibus & in multis alijs.

*Ludouicus Imperator obiit.*

Anno Vuighardi abbatis 5. qui fuit dominicæ natiuitatis 1347. in die S. Gereonis martyris, obiit Ludouicus Imperator 4. & in ecclesia beatæ Mariæ semper uirginis in ciuitate sua Monacensi cum pompa & honore sepelitur. Fuerunt qui dicerent eum, cuiusdam Austriæ ducissæ (quam ob tetram faciei dispositionem Mauetasch, hoc est, oris peram, uel saccum appellabāt) ueneno perijisse: quod uerum sit nec ne, satis exploratum non habemus. Reliquit autem filios 6. uidelicet Ludouicum (qui & Otto) marchionem Brandenburgensem natu seniore: Ludouicum ducem, cognomento Romanum, quia Romæ natus fuerat: Ottonem iuniorem ducem, Stephanum ducem, Vuilhelmum ducem, & Albertum ducem, quos genuit ex Margaretha filia Vuilhelmi comitis Hannoniæ, Hollandiæ & Selandiæ, ut suo loco supra dictum. Quomodo hi sex filij patre mortuo, eius inter se ducatum diuiserint, inferius dicemus anno Vuighardi abbatis 7. Mortuo autem Imperatore Ludouico, statim conuenerunt Henricus archiepiscopus Moguntinus, quāquam (ut prædiximus) à papa depositus, Adolphus comes Palatinus Rheni, Otto qui & Ludouicus marchio Brandenburgensis, & cæteri Bauriæ principes, qui consilio inter se habito Eduardum Angliæ regem ad Romanum imperium cōtra Carolum unanimiter elegerunt: quem etiam mox per literas & solennes nuncios aduocare studuerunt, promittentes se ei consilium & auxilium usque ad mortem, firmiter præbituros. Quibus ille gratias agens, remandauit se in gubernandis regnis Angliæ & Francorum, in tantum occupari, quod imperio Romanorum nequaquam posset intendere. His cognitis, præfati principes nuncium ad marchionem Misnensem generum Ludouici Imperatoris defuncti, cum literis mittentes, ipsum ad imperium uocauerunt. Quibus ille consentiens cum exercitu, se quantocius uenturum promisit, quamuis non uenerit, industrie à Carolo præuentus uel corruptus, ut postea dicemus.

*Eduardus rex  
Angliæ uocatur  
ad imperium.*

*M. archio Misnensis  
uocatur ad imperium.*

Anno Vuighardi abbatis 6. dominicæ natiuitatis 1348. cum intellexisset Carolus marchionem Misnensium, cōtra se in regem Rom. sicut prædiximus electum, nihil moratus, ad eum properè mittens, omneius quod habere ad imperium uidebatur, sibi pro decem millibus argenti libris ab eo uendicauit. Quibus auditis, prædicti principes denuò congregati apud Franckofordiam Guntherum comitem de Suartzburg Thuringum, in regem Romanorum elegerunt.

*Comes Guntherus  
uocatur ad  
imperium.*

Eodem anno obiit Otto episcopus Herbipolensis, cui Albertus de Hoinloë succedens, præfuit annis 24. qui anno pontificatus sui 6. ciues Herbipolenses firma obsidione cingens, ad obedientiam reduxit.

*Albertus.*

Eodem quoque anno. Vuilhelmus comes Palatinus Rheni, dux Bauriæ, comes Hannoniæ, Hollandiæ, Selandiæque & Phrysiæ dominus, cum maximo suorum exercitu terras ecclesiæ Traiectensis intrauit, omniaque ferro & igne miserabiliter deuastans, totam prouinciā ambulauit, qui tandem crudelitatis suæ pœnas dedit, factus (Deo uindicante) insanus.

Eodem

Eodem quoque anno Conradus de Deck, per quendam militem Suikorum de Gondelfingen, insidiosè occiditur in domo propria, quam habuit in ciuitate Monacensi Bauariæ, ex odio inueterato.

*Conradusdux de Deck occiditur.*

Anno Vuighardi abbatis 7. dominicæ autem natiuitatis 1349. magna per uniuersum orbem pestilentia fuit, ab India incipiens, passimque in unciis omnes irrumpens, trium annorum spacio usque in Alemaniam, Galliam, Angliamque & in omnes gentes miserabiliter defœuens, uix mediam hominum partem in humanis agere permisit. Miseranda calamitas, mox enim ut aliquis infectus hac peste fuisset, suo tantum anhelitu etiam alios inficiebat. Tribus hoc tempore plagis humanum genus in Germania maximè affligebatur. Pestilentia uidelicet, quæ infinita hominum millia in toto penè orbe prostrauit, cuius calamitatis causa ludæis fuit adscripta, quod fontes & aërem ueneno infecissent. Vnde persecutio in eos Christianorum grauissima fuit subsecuta. Nam in diuersis mundi regionibus, cum hæc in eos æstimatio Christianorum esset diuulgata, alij miserabiliter fuerunt suffocati, alij præcipitati, alij submersi, alij capitibus truncati, alij combusti, alij gladijs & lanceis confossi, alij uario tormentorum genere interempti. Nonnulli uerò eorum, cernentes in malo se positos, necatis primò liberis & uxoribus, ne in manus crudeliter sæuentem Christianorum traderentur cruciandi, se cum domibus suis igne supposito incendentes uoluntariè premerunt. Hæc in ludæos persecutio anno prænotato incipiens, biennio durauit, & multa eorum milia in omnibus prouincijs consumpsit. Secunda plaga fuit sanguinis profluuus, qui etiam hominum ingentem multitudinem inaudito genere cruciatus absumpsit. Tertia fuit sacri ignis (sic enim uulgò is morbus appellari consueuit) adustio, quæ tanta immanitate sæuebat, ut quemcunque inualisset, mox carnem usque ad ossa penitus consumeret, nec uiuis tantum infesta, sed etiam mortuorum inuadens cadauera insepultra, carnes antequàm sepeliri potuissent, absumeret. Erant hæc tempora calamitatibus plena, tantisque periculis exundantia, ut præter generale diluuium, peiora scripserit nemo.

*Ni x nain toto un opesultia.*

*Grauisima in Iudæos persecutio.*

*Sanguis profluuus grauis.*

*Sacri ignis admiranda plaga.*

Anno quoque prænotato Guntherus comes de Suartzburg in regem electus ab his qui Carolum refutabāt, cum magno suorum exercitu uenit ad Franckofordiam, positisque ante ciuitatem papilionibus & castris, ut moris est, tribus diebus & sex hebdomadibus Caroli expectauit aduentum. Porro ciues Franckofordienses cum Gunthero bene senserunt, eumque ut uerum regem Rom. cum maximo honore suscipientes, partes eius sequebantur. Similiter & reliquæ imperij ciuitates superioris Alemanie, præter Argentineses, qui cum Carolo sentiebant. Audito Carolus quod Franckofordiam uenisset Guntherus, coadunato suorum exercitu aduersus eum processit: sed uidens eum fortiozem se, industria usus Baldeuini archiepiscopi Treuerensis, Bauariæ ducem in partem suam multis promissionibus tandem attraxit. Vnde uidens se deceptum Guntherus, pro concordia, mediante Ottone, marchione Brâdenburgensi, coepit tractare: acceptisque argenti marcis purissimi duobus milibus & ducentis, ac duabus in Thuringia ciuitatibus, ad uitam pro expensis habitis, sigillum & insigna regalia cum regno in manus Caroli Franckofordie coram principibus resignauit. Interea dum hæc agerentur apud Franckofordiam, infirmari, & post menses tres fermè non sine suspitione sumpti ueneni, mortuus est. Igitur Gunthero cedente, & parum postea mortuo, Carolus huius nominis 4. rex Bohemie ad imperium adhuc uiuente Ludouico (sicut supra diximus) iubente papa, electus est: nul

*Rex Guntherus Franckofordiam ex more uallat.*

*Carolus uenit contra Guntherum.*

*Concordia inter Carolum et Guntherum.*

*Carolus quartus  
imperat.*

lo impediēte, solus pacificè imperauit annis 31. uir bonus, sapiens & doctus, quinque linguarum scientia perfectus. Habuit autem uxores 4. successiue legitimas. Prima fuit Margaretha, Rudolphi comitis Palatini filia, mater Vuenceslai regis Bohemiæ, postea imperatoris. Secunda fuit ex Francia, qua etiam sine liberis mortua, tertiam accepit principis Suediæ filiam, de qua genuit filiam, quam dedit marchioni Brandenburgensi uxorem. Quarta uxor fuit Elisabeth, filia ducis Pomeraniæ, & Stetinenſis, de qua genuit Sigismundum regem Vngariæ postea Romanorum Imperatorem, & Iohannem ducem.

*Vualramus.*

Anno quoque prenotato Vuighardi abbatis 7. in uigilia Assumptionis beatæ Mariæ semper uirginis obiit Vualramus archiepiscopus Colonienſis, qui propter multa & continua bella proprijs rebus consumptis, ecclesiam suam ære alieno nimis grauam dereliquit: cui Vuilhelmus de Genep canonicus eiusdem ecclesiæ ac Sufati præpositus immediatè succedens, præfuit annis 12. & mēſibus nouem, uir prudens, & in negotijs secularibus multum expertus, qui tempore breui ecclesiam Colonienſem omnibus debitis reddidit liberam, & quæ impignorata redemit, quod tum eo tempore uix credebatur possibile. Sunt qui notent eum auariciæ uitio, quippe qui subiectum sibi clerum ac populum in solita exactione grauauit.

*Hæresis flagellatorum in Vngaria surrexit.*

Eodem tempore surrexit noua quædam hæresis, in Vngaria sumens exordium, quæ totam in breui Alemaniam suo ueneno inficere contendebat. Homines idiotæ, rusticani & imperiti, sub prætextu pœnitentiæ, quam sine sacerdotis iudicio sibi metipsis imponebant, mares & fœminæ simul mixti seminudi incedentes, cruces ligneas in manibus portabant, capite caputio & pileo, pudibundis uerò lineo uelamine tectis, flagellis in acumine tres nodos & aculeos habentibus, semetipsos publicè in ecclesia & extra usque ad sanguinis effusionem uerberabant: carmina quædam Christianæ fidei, ut plurimum uel contraria uel suspecta cantantes, sapiusq; se in terram prosternentes in modum crucis, clamabant orantes. Verùm considerâtes hanc sectam ecclesiarum pontifices non esse synceram, populisq; fidelibus non paruū illaturum fore detrimentum, autoritate Clementis papæ 6. eam quanto citius è medio tollere festinabant, corrigibiles per publicam pœnitentiam, reuocato errore ad uiam ueritatis reducentes: pertinaces uerò seculari iudicio traditos, ignibus comburentes. Et sic tandem cessauit Flagellatorum noua fatuaq; præsumptio.

*Ducatus Bauariæ inter filios Ludouici Imperatoris diuisio.*

Anno etiam præscripto facta est diuisio ducatus Bauariæ, inter sex filios Ludouici quondam Imperatoris 4. Ludouicus qui & Otto primogenitus, marchio Brandenburgensis. Ludouicus Romanus dux & iunior Otto, dux in sortem acceperunt Bauariam superiorem, cum omnibus ad eam pertinentibus. Stephanus autem, Vuilhelmus, & Albertus Bauariam inferiorem, Hollandiamq; Hannoniam, Selandiam ac Phrysiæ dominium in possessionem acceperunt, licet postea sit alia diuisio facta.

*Terræmotu ædificia corruerūt.*

Eodem anno magnus in Germania terræmotus, Viliacum urbem subuertit, & tam in Italia quàm in Germania, ædificia multa ex uehementia ceciderunt huius commotionis.

Anno Vuighardi abbatis 8. dominicæ uerò natiuitatis 1350. Clemens papa 6. annum indulgentiarum quem Iubilæum, Hebræorum imitatione appellabant, de centesimo, sicut Bonifacius octauus instituerat, constitutione solenni præmissa desuper in quinquagesimum reuocauit: pia consideratione motus, quod ætas hominum breuissima, uiuendi in annum centesimum pau-

cissimis tribuit facultatem. Celebratur itaq; hoc anno Iubilæus secundus in urbe Roma, Clemente papa iubente, multis undiq; concurrentibus.

Eodem anno Vuilhelmus, 14 in ordine, abbas cœnobij mei Spâheimensis, liberè ac spontè resignauit abbatiam in manus sui conuentus, circa festum sancti Laurentij martyris, qui senio & infirmitate grauatus eodem anno obiit, quinto calendas Octobris, in capella beatæ Mariæ semper Virginis, quam ipse à fundamētis in ambitu fundauerat, sepultus. Post cuius resignationem Philippus Meiscem abbas 15, fratrum electione succedens præfuit annis 24, mense uno, diebusq; 12, confirmatus à Gerlaco Mogūtinō archiepiscopo, quia Hēricus (ut diximus) à papa depositus & excōmunicatus fuit, à bonis & religiosis uiris nō habebatur pro episcopo.

Anno Vinghardi abbatis 9, Domini autem 1351, Carolus imperator 4, ad complacendum principibus suis: quorum auxilio & fauore ad imperium peruenerat, multa thelonea noua circa Rhenum instituens, eis contulit, in dispendium Reipub. grauissimū. Verūm cū mercatores per hoc nimirum grauati cōmeatum Rheni deuitantes, ciuitatibus querimoniam attulissent, omnes se imperatori unanimiter opposuerunt. Argentineses quoq; Rhenum circa Argentinam cathenis & lignis cōcluserunt, quòd naues neq; ascendere neq; descendere ullatenus potuerunt. Videntes autem principes se per hoc prouentibus tam ueteris quàm noui thelonei spoliari, concordiam & pacem cum ciuibus inierunt, & ueteribus antiquisq; contenti theloneis, nouis renūciauerunt.

Eodem anno Imperatrix Margaretha, uxor quondam Ludouici imperatoris 4: magno Bauarorū aliorumq; coadunato exercitu contra filium suum Vuilhelmum Hollandiæ comitem, pauperes & subditos suos nimium crudeliter opprimentem, ab incolis ut unica terræ illius filia inuocata, expeditionem mouit, commissio autem super Mosam nauali prælio, quarta die mensis Iulij, hoc est in festo translationis sancti Martini, mater à filio uincitur, quæ fugiens cum paucis in Angliam descendit.

Eodem quoq; anno, mense Decembri, cometes sub ipso Septentrione apparuit, quo extincto graues uentorum æstus subsequuti sunt, & cœlestis trabs à priori parte ardens per cœlum labi uisa est.

Anno Vuighardi abbatis 10, qui fuit Domini 1352. Reinardus filius de Spanheim & Ernestus de Molenack, canonici maioris ecclesiæ Colonienfis, feria sexta ante palmas, in curia officialis Coloniae, pro uili causa ex temeritate à primoribus ciuitatis nimis crudeliter fuerunt interfecti.

Eodem anno cœlestis flamma post solis occasum inter Zephyrum & Austrum latissimè excrescens, terribileq; ostentans incendiū, cum magno tandem murmure per cœlum dilabitur.

Eodem quoq; anno obiit Clemens papa 6, cui Innocentius quoq; 6, natione Lemouicensis succedens, præfuit annis 9, & mensibus octo, uir bonus & amator religiosorum, canonista maximus, qui Carolum postea Imperatorem coronauit.

Anno Vuighardi abbatis 11, Domini uerò 1353, in profesto S. Thomæ Apostoli obiit Henricus de Vernenberg, quōdam archiepiscopus Moguntinus, à Clemente papa 6 (ut supra diximus) dudum depositus. Hic etiam post depositionem suam, quod sepe diximus, ut archiepiscopum se gerebat, quamdiu uixit Ludouicus Imperator quartus: licet Gerlacus promotus & ordinatus à papa maiorem haberet obedientiam, pluresq; ciuitates, oppida & castella maxima, in Thuringia Erfordiam, & in Halsa penè omnes, qui

Vuilhelmus abbas Spanheimensis resignauit.

Philippus fit abbas.

Imperator noua imponit thelonea.

Argentineses occludunt Rhenum.

Inter matrem & filium bellum agitur.

Cometes apparuit.

Duo canonici à Colon. occisi.

Innocentius.

Gerlacus.

*Gerlacus archi-  
episcopus Mog.* prima uice mandatis Apostolicis obediebant. Mortuo autem Henrico Gerlacus ecclesiam Moguntinam pacifice obtinuit, & solus annis 16 præfedit. Eodem anno, in die S. Erasmi, Ludouicus Marchio Brandenburgensis, Rupertus qui & Adolphus senior comes palatinus Rheni, & Ioanes Burgrauus Nurenbergensis, tanquam arbitratores electi, diuisionem faciunt ulteriores terrarum inferioris Bauariæ inter duces, filios Ludouici quondam imperatoris quarti, Stephanum scilicet, Vuilhelmum & Albertum, ut patet in literis.

*Flamma in celo.* Anno quoque prænotato, cœlestis flamma longum post se trahens extinctum limitem denuò apparuit, & à Septentrione ad Austrum repente ferebatur. Multa quoque & alia apparere stupenda.

*Conuentus principum Moguntie.* Anno Vuighardi abbatis 12, Domini uero 1354, Carolus Rom. rex in mense Ianuario, solennem conuentum principum habuit in Moguntia: ubi inter multa quæ ad reipub. commoditatem statuit, etiam de Romana professione pro corona imperii adipiscenda, quod sequenti anno contigit, tractauit.

*Baldeuinus archiepiscopus mo-  
ratur.* Eodem anno calend. Febr. obiit Baldeuinus archiepiscopus Treuerensis, uir perpetua memoria dignus qui ordinariū Breuiarii totius annis emendans & corrigens, in eam formam qua meus est, restituit, & ecclesiam suam multis diuitijs & honoribus supra omnes prædecessores suos magnifice ampliauit. Huic successit Boemundus de Edendorf, & præfuit annis 13.

*Boemundus fit  
archiepiscopus  
Treuerensis.* Eodem quoque anno currente, 5 idus Martii, hoc est in profesto S. Gregorii papæ Magni, obiit Vuighardus huius nominis primus, præsentis monasterii Hirsaugiensis abbas in ordine, à prima fundatione, 32, de cuius uita, cōuersatione & gestis, parum huic operi nostro inserere potuimus. propterea quod paucissima eorum, ad nostram memoriam peruenerunt. Erat enim tempus illud nebulosum, & ignorantie tenebris plenum: quando perijt, non solum in hoc monasterio Hirsaugiensi, sed in omnibus quoque monasterijs nostri ordinis penè in tota Germania obseruatiæ regularis: & monachi, carnis uoluptatibus dediti, studium literarum, quod maiores nostros quondam fecit gloriosos, penitus abiicientes: nihil minus, quam suorum gesta cōscribere prælatorum cogitabant. Hinc factum est, huius quoque insignis cœnobij actuum memorandorum turpe silentium. quia nullus fuit à tempore Euerhardi abbatis, usque ad Fridericum eius nominis secundum, per annos ferme septuaginta supra ducentos, qui gesta & successiones abbatum clarè (ut alij fecerant olim) describeret. Vnde per totum id tempus, breuiter necessariorum transiimus.

DE VVIGHARDO SECVNDO, HUIVS MONASTERII  
abbate 33. qui præfuit annis 5. mensibus 11, die-  
bus 21. uarijsq; actis.

MORTUO autem domino Vuighardo primo, huius cœnobij abbate 32, traditoque iuxta morem ordinis eius corpusculo ecclesiastica sepultura, ne oues diu sine pastore, aut animarum suarum aliquod incurrerent periculum, aut in re familiari (ut fieri solet) paterentur detrimentum: præstituta die ad eligendum, prout res postulabat, nouum pastorem, fratres in unum conuenerunt anno prænotato, dominicæ uidelicet natiuitatis 1354. indictione Rom. 7, altera die S. Gregorii papæ, quæ fuit sexta feria, & mensis Martii dies 13, habitoque inter se necessariorum tractatu de forma electionis, maior pars fratrum elegit (cæteris assensibus) dominum Vuighardum eius nominis secundum, prioris ex sorore nepotem, uirum utique illo tempore, scientia, moribus, & experientia inter plures meliorem; qui confirmatus & ordinatus

ordinatus à Gerhardo de Errenberg, Spirensis ecclesiæ episcopo, cum magna solennitate, præfuit huic monasterio Hirsaug. annis 5, mēib. 2, diebus 21, qui sexta feria electus, & post mensis spacium confirmatus, benedictionem suam in festo sanctorum Philippi & Iacobi Apostolorum hinc in monasterio suscepit. De cuius gestis, cum aut nihil, aut parū literis sit commendatum, nos etiam pauca huic operi nostro inserta posteritati nota fate-re potuimus. Causam huius, paulò ante palàm consignauimus.

Anno prænotato Domini 1354 currente, qui fuit ipsius Vuighardi primus inchoatus, obiit Salamannus episcopus Vuormatiensis; cui successit Theodoricus, filius cuiusdā militis, ex eorū genere, qui usq; in præsentem diem nuncupatur Bauari de Bopordia, genus antiquū & olim priuilegiatum, præfuitq; annis nouem, & habuit dissentiones cum ciuibus.

*Salamannus episcopus Vuormatiensis obiit, Theodoricus successit.*

Eodem quoq; anno octauo, calend. Decemb. Innocentius papa sextus, anno pontificatus sui quarto nondum expleto, ad instantiam Vuighardi abbatis confirmauit omnia & singula huius monasterij bona & priuilegia Romæ apud sanctum Petrum residens.

*Innocentius papa confirmat priuilegia.*

Anno Vuighardi abbatis 2, qui fuit Domini 1355, Carolus 4 Rom. rex cum magna comitiua, principū nobilium, equitum & peditum Romā profectus, unā cum regina coronā imperij cum magna solennitate & tranquillitate suscepit. Sunt qui scribant, eum coronam imperij suscepisse de manu cardinalis Hostiensis, missi ad hoc ab Innocentio papa ex Auinione.

*Carolus quartus Romæ coronatur.*

Eodem anno, in mense Septembri, quodam die circa nonam horā, terræ motus ingens circa Basilæam & Argentinā factus est, quo impellēte magna Basiliēsis ciuitatis pars subuersa est, & multa in circuitu ædificia muricq; & castra in montibus fortissima corruerunt, hominesq; miserè oppresserant.

Anno quoq; prænotato, Ioannes eius nominis 3, Brabantia dux, cum se moriturū ex infirmitate cerneret, monachicum ordinis S. Benedicti habitū assumpsit, munitusq; sacramentis salutaribus sexta die mensis Decembr. in Domino deuotissimè quieuit, sepultus in Veleer nostri ordinis cœnobio, relinquēs duntaxat unicam filiā, Ioannā nomine, quam Vuenceslaus comes Lutzenburgensis frater Caroli imperatoris duxerat uxorem, cum qua Brabantia ducatū ad ius suum contendebat esse deuolutū. Vnde inter episcopum & Flandriæ comitem Ludouicum, grauis fuit suborta contentio, qui tandem arbitantes in Vuilhelmum Hannoniæ, Holladiæq; comitem filium Ludouici quondam imperatoris concordati fuerunt.

*Ioannes Brabantia dux moritur.*

*Pro ducatu Brabantia cōuentio.*

Anno Vuighardi abbatis 3, Domini uerò 1356. Carolus imperator ex Italia reuersus, in ciuitate Metensi conuentū habuit solennem principum, ubi omnes totius penè regni principes cōcurrentes, regalia sua de manu imperatoris ex more susceperunt. Multi etiam ex Gallia illuc principes ac nobiles conuenerunt, quibus Carolus ipse notus & charus extitit, utpote qui & diu olim apud Parisios operam literis dederat, & in auxiliū regi Fræcorum cum patri suo rege Bohemiæ aduersus regem Angliæ aliquando pugnaturus ierat. Aderat in hoc solenni conuentu principum, quidam archiepiscopus Apostolicæ sedis legatus, ad confirmandam pacem totius regni, qui ob reuerentiam summi pontificis, solus cum imperatore in una mensa cibum sumebat, cæteris principibus, electoribus, iuxta cuiuslibet officij rationem ministrantibus, semel, & postea in locum suum, secundum consuetudinem residentibus. Ibi Vuilhelmus Marchio Iuliacensis, consensu principū, in ducem à Carolo sublimatus est, & Marchionatus eius de Iulia in ducatū cum ingenti pōpa cōmutatur. Vuenceslaus quoq; Lutzen-

*Conuentus principum Metis habetur.*

*Legatus apostolicus.*

*Marchio Iuliacensis fit dux.*

Comitatus Lut-  
zenburgensis fit  
ducatus.

Vuenceslaus dux  
primus Lutzen-  
burgensis.

Comitatus Bar-  
ensis fit marchionatus

Bulla Caroli  
aurea.

Vuilhelmus co-  
mes Hollandiae  
uesanus incar-  
ceratur.

Albertus post  
fratrem regit Hol-  
landiam annis fere  
quadragesima se-  
ptem.

De filiis Alberti.

De filia ducis et  
comitis Alberti.

Albertus dux  
Austriacae mo-  
ritur.

burgensis comes, frater Caroli imperatoris, & gener Ioannis ducis ultimi Brabantiae, quem anno priore obiisse diximus, in ducē similiter eleuatus est. Ille dux Vuenceslaus filius Ioannis Bohemiae regis, nepos Henrici imperatoris 7, & frater (sic ut diximus) Caroli 4. homo genere nobilissimus, eruditione literarū doctus, in re militari strenuus, uita & moribus uix alteri se-  
cundus, iustitia, clementia & pietate magnificus: nescio quo iudicio diuino semper informatus, omnium praecipuorum actuum suorum finē uotis suis cō-  
trariū frequenter, & damnis obnoxium habuit. Ducatū Brabantiae cum uxo-  
re obtinuit, quē unā cum Lutzenburgensi per annos ferme 28 gubernauit, de cuius morte anno Domini 1383, postea scribemus. In eodem conuentu principū Metis habito, comitatus terrae Barēsis in marchionatū sublimatus est, quanquā in uulgo nomē comitatus, apud plerosque etiā hodie per ignoran-  
tiā maneat. Bullā dictā aureā, quia sigillo sit aureo roborata, de imperatorū Romanorū delegēdo idē Carolus indicta cōuentione principū ad utilitatē reipub. de cōsensu omnium principū electorum & regni cōscribi fecit & cō-  
firmauit. His ritē peractis cōuentu soluto cū uxore trāsiiuit de ciuitate in ci-  
uitatē, & de monasterio ad monasteriū sanctorū, reliquias ubique diligētissimē inquirens, ex inuentisque multas precibus, quas spernere poterat nullas, obunuit, quas ad gloriā & decorē ecclesiarū gentis suae Bohemis inuexit.

Anno Vuighardi abbatīs 4, Domini aūrē 1357, Vuilhelmus comes Pa-  
latinus Rheni Bauariaeque dux & comes Hollandiae, Hannoniae, Selandiae, ac Phrygiae dominus, filius Ludouici quondam imperatoris quarti, de quo multa suis locis supra diximus, posteaque terras illa non sine tyrānide guber-  
nasset annis ferē 12, nescio cuius machinatione ueneno (ut dicebatur) sum-  
pto, uesanus effectus est: qui custodiae mācipatus, per uiginti annos usque ad mortē ita permāsit, & uesanus in carcere obiit, anno (ut infra dicemus) a na-  
uitate Domini 1377. Et quia filios non habuit, Albertus frater eius comi-  
tatus & dominia Hollandiae, Hannoniae, Selandiae ac Phrygiae post eū susci-  
piens, per annos 47 strenuē gubernauit, eratque in ordine successionis comi-  
tum Hollandiae 21. uxorē habuit Margarethā filiam ducis Briginis, quae pe-  
perit ei duos filios, Vuilhelmū qui patri successit in comitatibus praescriptis, & Ioannē episcopū Leodiensem, de quibus suis locis remoratio fiet, & filiam unicam nomine Catharinam, quae primò fuit desponsata Eduardo Gelriae duci, qui frater erat Reinhardi ducis captiui. Sed priusque nuptiae celebrē-  
tur, in quodam bello fuit occisus, anno Domini 1371, ut ibi dicemus: quo mortuo, sponsa eius adhuc uirgo, & iam uidua, nulli deinceps matrimonio iungi consensit, nisi de sanguine ducum esset Gelrensiū. Nupsit ergo tan-  
dem Vuilhelmo filio ducis Iuliacensis, ex Sophia, filia illustri uiri Floren-  
tij de Mechlinia, prima uxore Reinhardi primi ducis Gelriae, patris Eduar-  
di prioris sponsi eius, de quo supra diximus.

Anno Vuighardi abbatīs 5 qui fuit Domini 1358. obiit Albertus dux Austriae, filius Alberti quondam regis Rom. relinquens post se Lupoldū filiū & ducē, a quo genealogia Maximiliani regis nostri, qui hodie imperat, con-  
tinuatur, ut per ordinē in sequentibus patebit. Albertū quoque ducem Aus-  
triae, qui fundauit uniuersitatē Viennensem in Austria, Rudolphū quoque ducem, qui fundauit praepositurā S. Stephani protomartyris in Vienna, & comitatū Tirolis, Austriae ducatu cōiunxit: qui uxorē habuit Catharinam, filiam Caroli imperatoris quarti, & Fridericū ducem, qui sine liberis obiit. Filias quoque reliquit duas, Margaretham Marchionissam Brandeburgensem, & Catharinam abbatissam sanctae Clarae in Vienna.

Eodem



Eodem anno magna fuit ab initio Augusti pestilentia usq; ad natalem Domini, per totam ferè Alemaniam, & multa millia hominum hoc morbo breuissimo tempore perierunt.

*Pestilentia magna.*

Anno quoq; prænotato inter Ludouicum regem Vngariæ & Venetos bella grauisima suborta fuerunt, propter regnum Da' matia, quod Veneti multis annis regibus Vngariæ reclamantibus possederunt. Collecto it: q; rex Ludouicus tam suorum quàm Teuthonicorum magno exercitu, Dalmatiam cum potentia iugreditur, & primò quidem obtinuit ciuitatē Iar densem, deinde ciuitates maritimas, postremo Dalmatiam totam. Dehinc etiam fines Venetorum ingreditur, captisq; nonnullis eorum munitionibus, magnum eis sui terrorem incussit. Vnde necessitate compulsi, pacem petierunt, quam eis rex non solùm concessit, sed etiam munitiones eorum quas iure ceperat bellico.

*Inter Vngariæ regem & Venetos bellū agitur.*

DE VVIGNANDO, HVIVS MONASTERII ABBATE

34. qui præfuit annis 20, mensibus 10, diebus 20. varijsq; actis.

**I**Am uniuersæ carnis domino Vuighardo huius nominis secundo, Hirsaugiensis monasterij abbate 33, sicut ingresso, atq; cum debita solennitate sepulto, ut moris tunc erat prior & fratres spirituali pastore orbat, eodem mox anno, ultima die mensis Maij, qui fuit sexta feria post Vrban, pro electione noui patris ad locum capitularem conuenientes, necessarijs inter se consilijs tractatibusq; præmissis, Vuignandū ex suo collegio monachum, in abbatem huius monasterij 34 præferunt, qui ab episcopo Spirensi Gerardo de Errenberg, confirmatus ex more, & ordinatus, præfuit in abbatia annis uiginti, mensibus decem, & diebus uiginti: de cuius gestis, pigritia & ignauia monachorum id causante, aut nihil aut parū deducere possumus ad notitiā posteritatis, quia & supra memoriā eorum qui hodie uiuunt, acta sunt, & à nullo literis (ut opportuerat) commendata. Nam posteaquā amor & studium literarum à monachis deficere cœpit, unā cum disciplina obseruantia regularis: mirandum non est, si nec monasteriorum suorum conditiones pro tempore sapius uariatas, nec successiones actaq; suorum literis mandauerint abbatū: cū ex his qui hodie uiuunt, sub reformationis Bursfeldinæ titulo, nec unū quidē inuenire potuerimus de omnibus, qui ueterū exemplo animatus, uel scribere nouā, uel cōtinuare diu inchoatā proprii sui monasterij Chronicā, ad informationē posteritatis aut uelit aut possit. Proh dolor, dicere de multis abbatibus qui sanctā obseruantia regularis uitæ cum suis monachis profitetur, qui historiae utilitatem ignorant, quid nobis opponāt cōpellor. Aiunt enim, Quid nobis scire, conducere potest foundationis monasteriorū nostrorū antiquitas? quid abbatum uel successiōes uel gesta reducere ad memoriā cōfert, qui in puluere mortis dormiūt, nec ullis laudibus demulcētur? O iam sepulti, ignaui homines uitii, quorū peribit memoria cū sonitu, quā sitis alinini, ac rudis ingenij, palā ostēditis, qui bonū contemnitis historiarū, quod absequi non potestis. Historia uiuis tam præsentibusq; futuris conscribitur, non mortuis: uos ergo, si uiueretis intellectu, historias utiq; amaretis. Neq; enim si tollatur historia Euan gelij sacrosancti memoria, neq; martyria & passiones sanctorū ad nostram scientiā deuenissent. Valeāt ergo uiui homines ignorātia sepulti, & sibi uiuāt solis ignauia sua cōtēti, nulli utiles, nulliq; in bonis actionib. uel studijs imitabiles. Nos aut nostra psequamur. Circa hæc tēpora Albertus dux Bawariæ, comesq; Hollādiæ, Selādiæ, Hānoniæq; ac Frisiæ dñs, obsedit Hollādiæ

*Vuignandus fit abbas.*

*Annis præfuit ferme uiginti.*

*Quid monachi n. n. scribant onnales cōqueruunt, auctor.*

*Excusatio uana monachorū igno rantiu n.*

*Sine historia fides euacuaretur.*

*Delft oppidum  
Hollandiæ capi-  
tur.*

*Conuentus prin-  
cipū in Eslingē.*

*Eslingen obsidio  
ne cingitur.*

*Contentio inter  
archiepiscopum  
Treuerensem et  
comitem de Spā-  
heim.*

*Einkirch sub-  
uertitur.*

*Uniuersitas Pra-  
gensis fundatur.*

*Episcopus Pra-  
gensis fit archi-  
episcopus.*

*Cœnobium regu-  
larium in In-  
gelheim.*

*Memoria Chri-  
sti lanceæ consti-  
tuitur.*

Delft nominatū ppter inobedientiā & rebellionē ciuiū, quo capto muros & portas usq; ad solū euertit. Castrū quoq; Hoenskirch funditus destruxit. Anno Vuignandi abbatis 2, currente cum annis Domini 1360, Carolus imperator in oppido Sueuiæ Eslingen, pro quibusdā causis imperij princeps cōuocauit, ubi cū die quadā in refectorio cōuentus fratrū Minorū sua cum illis tractaret cōsilia, seditione ciuiū orta cōtra imperatorē & principes tumultus cōcitatur, qui mox recedēs ab oppido comiti Vuirtenbergeniū, Euerhardo cōmisit, quatenus tantā contumeliā sibi illatā cōpensaret. Qui suorū, & ciuitatū imperialiū coadunato exercitu Eslingen obsidione circūuallauit, fortiterq; oppugnare cœpit. Videntes autem in malo se positos ciues, & tantæ multitudini non posse resistere, pacē pecunia interueniente ac ceptarunt, imperatori pro satisfactione aureorū sexaginta millia, comitiq; Euerhardo pro impensis habitis triginta millia pendētes, & sic quassatio tumultus centū millibus empta quieuit. Graues inter Boëmundū Treuirorū archiepiscopū comitesq; de Spanheim & Starckenburg discordiæ his fuēre subortæ tēporibus, propter castella quædā & dominia. Sed interuenientibus amicis, Vualramus comes de Spanheim in concordia citō cum archiepiscopo rediit. Comes autē de Starckenburg, agros, uillas & possessiones ecclesiæ Treuerensis ferro & igne grauiter deuastare cœpit, multaq; damna intulit. Archiepiscopus autem collecto exercitu Einkirch uillam comitis in littore Mosellæ positam, cum ipsa munitione quam fecerat sub castello Starckenburg, pro exigenda à nauigantibus theloneo, ipso, ut principe terræ contradicente cepit, ac funditus destruxit. Quod uidens comes, ac deteriora metuēs, gratiam pontificis per nuncios postulauit, & cum uenia accepit. His quoq; temporibus Carolus imperator quartus, cū esset uir doctus, quippe qui in gymnasio Parisiorum multo tempore operam literis dederat, amaretq; præ cæteris uiros eruditos, uniuersitatem Pragensis pro decore Bohemię regni laudabiliter instituit, quæ multis priuilegijs & donationibus ab eo illustrata, in breui tempore ultra omnes totius Germaniæ uniuersitates gloria & numero personarum creuit: quousq; tandem post annos fermè quinquaginta, multis commaculata hæresibus, quæ notæ sunt omnibus, in nihilum redigitur. Episcopum quoq; Pragensis ecclesiæ, pro honore regni qui eatenus sub archiepiscopo Mogūtino fuerat, suffraganeus in archiepiscopum autoritate apostolica sublimauit, multisq; priuilegijs decorauit, subñciens ei suffraganeos & episcopos more aliorum. Multas in Bohemia de nouo fundauit ecclesias, fundatasq; tam à se quam ab antecessoribus suis, reliquijs, ornatibus pictoris, clenodijs, & uarijs donationibus magnificè honorauit. Aulam uillæ Ingelheim, nō longè à Moguntia & Rheno, quam Carolus imperator magnus pro castro residentiæ maiestatis suæ cis Rhenanæ quondam habuit, in quo & natus & gladium ab angelo contra Saracenos pugnaturus, qui Norinbergæ ostenditur, accepisse cœlitus missum, incolarum fide creditur: in monasteriū canonicorū regule S. Augustini commutauit, statuens, neminem in eo ad religionem suscipiendū, nisi in Bohemia natum: quod ita hætenus seruatur, usq; in præsentem diem, per annos non minus centum quadraginta quatuor. Subiicit autē istud cœnobiū abbati monasterij S. Caroli, in Praga pro tempore existenti, ad quem eius uisitatio debeat pertinere. Festum quoq; lanceæ, clauorum & coronæ Domini nostri Iesu Christi, feria sexta post octauas paschæ singulis annis per uniuersum orbem Christianum, celebrandum, impetrauit à papa cum magnis indulgentijs, gratijs & remissionibus peccatorum.

Anno

Anno Vuignandi abbatis 3, qui fuit Domini natiuitas 1361, mēse Feb. quadam die ad uesperascente cœlum ardere uisum est, & ea nocte Vuihelmus primus dux Iuliacensis uir bellicosus magnanimusq̄ moritur.

Eodem anno Gerhardus comes Montēsis, & Arnoldus comes de Bläckenheim, inueterato ad inuicē laborantes odio, se mutuò interfecerūt in ciuitate Coloniensi acutis lanceis hastiludiū agētes, alter ab altero confixus.

*Duo comites se interfecerunt.*

Eodem quoq̄ anno post longam inter fratres ducatu Gelriæ concertationem, postq̄ incendia & hominibus multa, tandē Eduardus Victor existens fratrem suum Reinardum cepit, quem custodiae mancipatum usque ad uitæ finem per annos decem conseruauit, adeptusq̄ ducatum Gelriæ, sine alicuius contradictione regnauit.

*Dux Gelrensis fratrem suum cepit.*

Anno Vuignandi abbatis 4, Domini uerò 1362, exeuntes quidā latronculi de Anglia per Hispaniā & Franciam discurrebāt, deprædatione, incendio & ferro, multę incolis terræ damna & incōmoda in uillis, maximè ubi non erat defensio irrogātes. Qui cū numero simul creuissent & audacia, capitaneū super se constituerunt, quem archipresbyterū cōmunī uocabulo appellarūt. Ipsa autē multitudo latronū, societas magna Anglicana dicebatur, habens plusq̄ 40000 uirorū ad pugnā procedentium. Qui peruagatis Hispania & Frācia, fines tandē Treuerensiu ingrediuntur, omnia incendio & rapina uastātes. Quorū aduentu Boëmundus archiepiscopus audito Cunonē de Falckenstein, coadiutorē suum, Vuenseslaū Lutzenburgij & Brabātij ducē, Vualramum comitē de Spanheim, comitē quoq̄ de Veldentia, & comitē de Starckenburg, cū multis alijs comitibus, baronibus, nobilibus & pugnatorib. misit cōtra illos: qui mox, ut tot cōtra se cōuenisse principes intellexerūt, terga uertētes, de finibus Treuerorū recesserūt, & Alsatiam intrātes, multa circa Argentinā uillanis dāna intulerūt, diripiētes quicquid usq̄ reperissent. Venit ergo nocte maledicta illa societas ad muros Argentinenses, & in circuitu ciuitatis se locauit, Romgshouen, & omnia in uicino situata uillagia igne cōsumpsit. Portæ autē ciuitatis clausæ tenebantur, nec quisq̄ permittebatur egredi quādiu illò manserunt. Quoscūq̄ reperissent in agro & uiculos affectis, inauditis supplicijs trucidarūt, nisi pecunia se reddimerent. Nulli turò, sine saluo cōductu eorū trāsire licebat, quē cuiuscūq̄ dedissent, inuiolabili firmitate seruassent. Mulieres & uirgines moniales & iuenculas quotquot inuenissent, in satiabili genere libidinis cōstuprabant, multasq̄ ex eis occiderūt. Masculos iuuenes in seruiturē captiuos seruabāt. Verū quia fama eorū præcessit aduentū, quicquid mobile erat, rustici ad ciuitates & loca munita importauerant. Oppida quidē plura obsidione ualabant, sed cū eis deessent machinæ ad expugnationem necessariæ, nullū omnino capere potuerūt. Interea ciues Argentinenses cum Alsatia, literas & nuncios ad Carolū imperatorē tunc Frācofordiæ cū principibus existentem, pro auxilio implorādo miserunt, quibus in breui uenturū se cum exercitu promisit imperator. Sed sæpe interpellatus, cū aduentū suum semper promitteret, semper differret, magnā de se cōspirationis cum societate Anglicana clam in ita Alsatia dedit, propterea quòd desolari tam nobilē prouinciam à uilissimis latronculis permisit. Tandem uerecundia ac necessitate cōpulsus exercitum in Alsatiam misit, pro appropinquante latronum caterua fugiendo recessit: quos cū nostri persequēdos decernerent, tanta uelocitate fugiētes usi sunt, ut iter eorum unius diei, nostri conficere in quatuor diebus non sufficerent. Post recessum uerò latronū, exercitus imperatoris per Alsatiam discurrens, maxima incolis damna fecit, concu-

*Magna societas Anglicana deuiat omnia.*

*A finibus Treuerorū pulsi sunt.*

*Archipresbyter deuiat Alsatia terras.*

*Crudeles in pauperes fuerunt.*

*Imperator ad auxilium uocatus est.*

*Fugantur de Alsatia latrones.*

cando &

cando & annihilando frumenta in agris, quoniam messis proxima erat, in tantum ut grauiora ab amicis quam ab hostibus uiderentur incommoda perpessi. Vnde fames magna subsecuta est, quæ totam Alsatiam per annos sex continuos grauius afflixit.

*Cunno fit coadiutor Treuerensis.* Anno prænotato Bohemundus archiepiscopus Treuirensis podagra senioque grauius Cunonem de Falckenstein Mogunt. ecclesiæ canonicum Treuerensis ecclesiæ creari fecit, & in coadiutorem assumpsit, committens ei totius ecclesiæ ac patriæ negotia tractanda, qui gloriosissime aduersum hostes ecclesiæ præfatæ, ubique triumphans mox in exordio constitutionis suæ miranda perpetravit. Vnde gaudius Bohemundus ab Innocentio papa sexto, precibus obtinuit consensum archiepiscoporum Treuerensem Cunoni resignandi: quod cum papa libenter annueret, Bohemundus pontificatu abdicato Cunonem habuit successorem, pro sustentatione sui oppidum & arcem Sarburg, cum attinentiis & prouentibus quoad uiueret ab eo recipiens, annis quinque superuixit.

*Cunno fit episcopus Treuerensis.*

Anno præscripto obiit Innocentius papa 6. cui successit Urbanus quintus, Mafsilienfis abbas, ordinis sancti Benedicti, & præfuit annis 8. uir doctus & sanctissimæ conuersationis, qui crucem prædicari fecit contra Turcos, & multa bona patrauit. Claruit his temporibus deuota Christi famula S. Brigitta, regina quondam Suetiæ, multis illuminata reuelationibus diuinis, quæ regnum contempsit mundanum amore cœlestis, exiensque de terra & cognatione sua, ad limina peregrinabatur sanctorum, ieiunijs, elemosinis & orationibus uacans continuè. Hæc uenit in Auinionem ad Urbanum papam 5. missa à domino nostro Iesu Christo pro confirmatione regulæ suæ quam fecerat.

*S. Brigitta in precio habetur.*

*Vuilhelmus.*

Anno etiam prænotato obiit Vuilhelmus de Gennep archiepiscopus Coloniensis, ingentem relinquens thesaurum in auro & argento uinoque & bladis. Vacauit autem sedes mensibus decem.

*Lampertus.*

Anno Vuignandi abbatis 5. Domini uero 1363. obiit Gerardus episcopus Spirensis, in maiori ecclesia sepultus, cui Lampertus de Buren monasterij in Gegenbach, ordinis sancti Benedicti Argentinensis diocesis, immediate succedens præfuit annis octodecim, quibus euolutis autoritate Urbani papæ sexti, ad episcopatum Bambergensem nobilem & exemptum translatus est.

*Adolphus.*

Eodem anno Ioannes de Virnenberg, maioris ecclesiæ decanus, per capitulum in archiepiscopum Coloniensem electus est, qui pro confirmatione sua perrexit in propria persona ad curiam: sed Urbanus papa 5. eius electionem non solum confirmare noluit, sed etiam penitus cassauit, Adolphumque fratrem comitis de Marcha episcopum Monasteriensem, hominem carnalem iuuenemque, in archiepiscopum Coloniensem contra uoluntatem capituli sublimauit, qui mensibus duntaxat præfuit 10. & postea resignauit pontificatum in manus papæ Urbani spontè, ut anno sequente dicemus.

*Ioannes.*

Anno quoque prænotato obiit Theodoricus Bauarus de Bopardia, episcopus Vuormatiensis: cui successit Ioannes dictus Schadland, ordinis Prædicatorum sacre Theologiæ doctor, prouisione Apostolica: & præfuit annis 13. habuitque multas cum ciuibus dissensiones. Hic nuncius papæ & inquisitor hæreticæ prauitatis, administrauit aliquandiu ecclesias episcopales non ultimæ dignitatis, sicut Hildeshemensem in Saxonia, Augustensem in Wuindelicia, Culmensem in Prussia, & Constantiensem in Sueuia.

Anno Vuignandi abbatis sexto, qui fuit Domini millesimo trecentesimo

tesimoque

simo sexagesimoquarto, Adolphus archiepiscopus Coloniensis accusatus apud sedem apostolicam, quod rerum ecclesiasticarum dilapidator, nihil indignum pontificatu haberet, non ui, non metu, sed uoluntarie archiepiscopatum resignauit, Engelberto de Marchia episcopo Leodiensi patruo suo, Urbano papa quinto consentiente, & ei de nouo, ut moris tum erat, de Coloniensi ecclesia prouidente, qui praefuit annis quatuor, non satis utiliter. Adolphus autem resignato pontificatu, non sine damno ecclesiae Coloniensis, amore cuiusdam puellae sororis comitis Montensis, cum qua sperabat se comitatum Cliuensem, consequitur eam duxit uxorem, quamuis Monasteriensem episcopatum annis 5. & Coloniensem mensibus 10. sine ordinibus sacris ut pontifex gubernasset. Nec eum sefellit opinionis praesumpta fiducia, comitatum enim quem optauerat cum uxore tandem obtinuit, ita quod uterque comitatus, Cliuensis uidelicet & de Marcha, usque in praesentem diem coniuncti permanerunt: licet Cliuensis postea (ut suo loco dicemus) in ducatum gloriose fuerit subiuuatus.

Adolphus.

Engelbertus.

Cleuis & Marchiae coniunctio.

Anno Vuignandi abbatis 7. dominicae uero natiuitatis 1365. Carolus Imperator quartus denuo Italiam ingreditur, & Urbano papa Romae inuento, collatione quorundam arcanorum cum eo habita, in Alemaniam cum suis nobilibus sanus reuersus est.

Imperator Italiae denuo ingreditur.

Hyems hoc anno proluxa fuit & asperrima, Rheno per menses fere tres congelato. Fames quoque & pestilentia magna in Alemania, multique homines alij frigore, alij fame, alijque peste perierunt. Claruit his temporibus Ioannes de Rupe scissa, ordinis Minorum, nescio quo spiritu seductus, nisi proprio: qui multa praedixit in proximo futura de Antichristo, de generali conculcatione cleri, & de reductione totius orbis ad fidem Christianam, & multa alia quae sibi reuelata diuinitus a Christo Iesu crucifixo dicebat. Scripsit de his multa & uaria ad quendam cardinalem, quae habentur: sed utrum euenerint quemadmodum praedixit, iudicent qui libros eius legerint, historiarum periti censors.

Hyems proluxa, fames & pestis.

Ioannes de rupe scissa.

Anno Vuignandi abbatis octauo, Domini uero 1366. inter episcopum & ciues Vuormatienses magna dissensio fuit pro institutione consulatus & sculteti, & quibusdam alijs ad iurisdictionem pertinentibus: quae tandem per Rupertum comitem Palatinum Rheni, qui & Adolphus, consulatusque Moguntinensem & Spirensem, in die conuersionis sancti Pauli, anno praescripto ad pacem reducta est. His temporibus magna & firmissima inter ciuitates imperiales & liberales confederatio facta est, quae etiam principibus potentissimis in exordio sui formidabilis uidebatur, sed diu non durauit. Sepe tales confederaciones, quas ligas uulgariter Dunt appellabant, non solum inter ciuitates, sed etiam inter principes iuratas confirmatasque legimus, & quotidie similiter uidemus: sed mobilitas humana, nihil diu inuolatum conseruat. Vnde conueniens prouerbum est:

Confederatio magna ciuium.

Mobile mouetur semper cum principe uulgus.

Anno Vuignandi abbatis 9. qui fuit Domini natiuitas 1367. obiit Bohemundus archiepiscopus Treuerensis, in maiori ecclesia Treuerensi sepultus. Post quem ipse Cuno de Falckenstein, & dominus de Mintzenberg, matre natus filia comitis de Saruueden, Bohemundo (sicut diximus) adhuc uiuente, archiepiscopus ordinatus praefuit ualde utiliter annis 21. Hic Cuno archiepiscopus pro seruitijs Carolo Imperatori 4. multipliciter impensis, Bopardiam & Vuesaliam cum medietate Sterrenberg, quae Baldeuinus quondam archiepiscopus a fratre suo Henrico Imperatore 7. in pi-

Bohemundus.

Bopardia & Vuesalia impignoratur Treuerensibus

gnus

Comiti de Eberstein & Vuirgenſium grauis diſſenſio.

gnus expenſarum ratione Imperij in Italia habitarum, obtinuerat, impignoratione arctiori pro ſumma maxima impetrauit, ita quòd poſterioris impignorationis ſumma, maior fuerit prioris. Erat enim Cuno uir prudentiſſimus, qui à natura ad regimen etiam multarum eccleſiarum natus uideretur, laborioſus, ſtrenuus, & ingenio acutiſſimus, & cui nullus ſuo tempore inueniretur ſimilis.

Anno prænotato graues diſcordiæ fuerunt inter Euerhardum comitem Vuirtenbergenſem, & comites de Eberſtein, quæ breui in magnum utriuſque partis detrimentum ſucceuerunt. Cùm ergo Vuirtenbergenſis quodam die in balneo eſſet naturali, quod Sylueſtre uulgariter Vuiltbad appellamus, comes de Eberſtein cum exercitu ueniens occultè, locum obſidione cinxit, ſperans ſe comitem intus comprehenſurum. Sed inanis eum confidentia fefellit. Nam à quodam ruſtico noctu conductus per nemora ad loca tutiora manus eius ſine læſione euasit, & ſubſecuta ſunt inter eos grauiſſima bella, incendia & rapinæ. Omnes enim ferme nobiles cum præfato comite de Eberſtein, conſpirantes aduerſus Vuirtenbergenſem, præter ſolos ciues in Eſlingen, qui cum Euerardo comite ſenſerunt, ſumptis armis prælia ſuſcitauerunt.

Engelbertus obiit.

Eodem quoque anno Engelbertus archiepiſcopus Coloniſis & maximis oneribus debitorum grauatus, paralyſi quoque non immodicè diſſolutus, ſentiens ſe ob id minus ad regimen pontificatus ſufficere, conſentiente capitulo ſuo Cunonem archiepiſcopum Treuerenſem ſuprà dictum, in coadiutorem aſſumpſit, cui adminiſtrationem eccleſiæ omnimodam in ſpiritualibus & temporalibus, Urbano papa 5. approbante, commiſit. Engelbertus autem archiepiſcopus hac prouiſione completa, ad priuatæ uitæ tranquillitatem ſe contulit, & certis pro uſu uitæ ſuæ retentis prouentibus, non diu ſuperuixit.

Euerhardus comes Vuirtenbergenſis obiit.

Anno Vuignandi abbatis decimi, Domini autem milleſimo trecentefimo ſexageſimo octauo, comes Euerhardus de Vuirtenberg, obiit, duobus filiis relictis, Vdalrico uidelicet & Euerardo, qui & ipſi poſtea multa prælia commiferunt.

Eodem anno, uigeſima prima die menſis Auguſti, obiit Engelbertus archiepiſcopus Coloniſis: poſt cuius mortem archiepiſcopatus uacauit annis duobus. Cuno enim archiepiſcopus Treuerenſis, quamuis à capitulo poſtularetur, eſſe noluit: ſed iuſſu papæ Urbani, adminiſtratorio nomine eccleſiam illam cum ſua Treuirenſi, ſatis ſtrenuè & utiliter gubernauit. Comes anno prænotato in quadrageſima, cœlitus apparuit.

Engers caſtrum.

His quoque temporibus Cuno archiepiſcopus Treuerenſis ſæpe dictus, caſtrum Engers cum fortalicio ſuo iuxta Rhenum, inter Confluentiam & Andernachum, ſatis pulchrè cõſtruxit, quod ex nomine ſuo Cunenergers, uoluit nuncupari, licet pauci nomen eius apponant.

Anno Vuignandi abbatis 11. Domini uerò natiuitatis 1369. circa feſtum paſchale, Carolus Imperator 4. maximo ſuorum coadunatu exercitu, Longobardiam contra Mediolanenſes pugnaturus ingreditur, & uſque ad feſtum ſancti archangeli Michaëlis hinc inde diſcurrens, uincere in munitioribus exiſtētes non potuit. Volebat enim dominium Mediolanenſe ad imperium armis reducere: & iniurias papæ Urbani quarti, quas olim à uicecomitibus, quum adhuc in minoribus eſſet, acceperat, qui eum coegerant literas Apoſtolicas contra eos allatas comedere, uindicare. Sed quum peſilentia uehementer inualiſſet exercitum, magna ſumma pecuniarum accepta,

accepta in signum superioritatis imperij, non sine magna displicentia papæ ad propria remeavit.

Hoc ipso anno ciues Colonienses priuilegia & ciuitates clericorum conati infringere, ecclesiastico interdicto biennio sunt subacti, & clerus iussu Cunonis administratoris ecclesiæ Coloniensis ciuitatem exiens, mensibus octodecim foris mansit.

Eodem quoque anno Gotfridus comes de Arnspurg, de consensu uxoris suæ comitatum suum Arnspurg, cum omnibus attinentijs suis, castellis, uillis & prouentibus, in perpetuum tradidit ecclesiæ Coloniensi possidendum, sicut etiam hodie ab archiepiscopo possidetur.

Anno Vuignandi abbatis duodecimo, Domini autem millesimo trecentesimo septuagesimo, factum est bellum magnum in uigilia sancti Barthomæi Apostoli inter Vuenceslaum Brabantia, & Lutzenburgij ducem, fratrem Imperatoris Caroli, & Vuilhelmum ducem Iuliacensem, iuxta Basuuiler, & cæsis ab utraq; parte plusquam octo millibus hominum. Dux ipse Iuliacensis uictor extitit, & Vuenceslaum ducem cum alijs multis nobilibus captiuum abduxit: quem tandem post menses undecim, metu Imperatoris, sine exactione liberum dimisit. Ab alijs uerò pecuniam infinitam penè, pro eorum liberatione extorsit,

F I N I S.





# IN CHRONICVM

IO. TRITEMII, INDEX.



A	del	165.166	
Aron abbas S. Pã taleonis 66	Adelbertus iunior archiep. Mo guntinus 165.166.167.169		Aduocatus Hirs. 9.87.123 129
Abbates olim nõ luerūt esse mu ti canes 40	Adelbertus comes de Soluedel in feudum accipit Marchiam Brandenburgensem 166 169		S. Ægrij monasteriũ. 139 140
Abbo episcopus ex abbate fa- ctus 18	Adelbertus Vindunensis episc. mittitur ad Hildegardẽ. 173		Astas 216.220.235
Abbo Floriacensis abbas 45	Adelbertus familiaris abbatis Hirsaugiensis à fratribus uul neratus obiit 207		S. A sfræ monasterium 41
Abstinentiæ ueterũ exẽpla. 152	Adelbertus comes de Spanheim socius belli in Saracenos 213		Agnes uxor Imp. 61.67.179
Adamarus abbas 37	Adelboldus monachus fit ep. 53		Agnes filia Henrici Imp. 108
Adamitarum hæresis 156.193	Adelboldus monachus fit ep. 53		Agnes uxor Landtgrauij 222
Adelbero monachus 31.33 71	Adelboldus monachus fit ep. 53		S. Albanus 20 28.31.138.181
Adelbero Herbipolensis ep. coad- iutus damnauit papam 93	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus Magnus. 208.248.256
Adelbero Vuormatien. ep. pro- pria crassitudine suffocatur 91	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus comes Vrliamũdẽ. 229
Adelbero abbas 101	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus de Anhalt 237
Adelbero epif. Leodiensis. 146	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus comes ab Hatsburg, pater Rudolphi Imp. 253
Adelbero archiepiscopus Tre- ueren. 158. 165. 169. 173. 177	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus F. Rudolphi. 253.254
Adelbertus comes renouat Hir- saugiam 8	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus Romanorum rex. 265 266.267 269
Adelbertus comes Bambergen- sis occidit Conradum ducem Lotharingiæ 28.30	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus dux Austria. 261.263 264.268.270 296
Adelbertus ep. mittitur ad Thu- scos, doct. aru ueritatem. 41	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus dux filius Alberti re- gis Rom. 265
Adelbertus archiep. Magdebur- gensis moritur 46	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus in Straubingen filius Ludouici regis Rom. 274
Adelbertus ex monacho ep. 47	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus comes Palatin. 292.299
Adelbertus abbas 49	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus ab Hoënloẽ episcopus Herbipolensis 290
Adelbertus ex monacho Bobiẽ si abbas Gemblacensis 50	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albertus dux, filius Ludouici III. 221.292.296.297
S. Adelbertus ex monacho epif. in Prussia martyrium susti- nuit 52.53	Adelboldus monachus fit ep. 53		Albinus discipulus Bedæ, præ- ceptor Rabani 13
Adelbertus comes de Calue, Hir- saugiensis aduocatus. 63.65 70.72.73.79.83.85.86.124. 209 210	Adelboldus monachus fit ep. 53		Aluinus episcopus Mersbur- gensis 141.142
Adelbertus abbas in Nauu mo- nasterio 103	Adelboldus monachus fit ep. 53		Aldericus ex abbate episc. 14
Adelbertus alius abbas in Ech- lingen 103	Adelboldus monachus fit ep. 53		Alexander epif. Leodiensis 157
Adelbertus prior Hirsaug. 107	Adelboldus monachus fit ep. 53		Alexãder III. papa 187.188.192
Adelbertus ex cancellario arc. Mog. 139.148.150. 158.165	Adelboldus monachus fit ep. 53		Alexander III. papa. 246.249
Adelbertus marchio captus 155	Adelboldus monachus fit ep. 53		Alexius Isauci filius 213
Adelbertus comes de Schern- berg fit monachus 160	Adelboldus monachus fit ep. 53		Algerus monach Corbeien. 47
Adelbertus marchio de Soltuue	Adelboldus monachus fit ep. 53		Almanus monachus 25
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Alpersbach monasterium 105
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Alphonsus rex Castellæ eligitur in regem Rom 246 247
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Aljatia à latronibus Anglicis uastatur 299
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Alfatia penuria ad sexeniũ 300
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Altaiilla castrum extruitur 283
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Altburen prædium Hirsaug. 88
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Altdorff monasterium 102
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Altfridus ex monacho episc. 15
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Altiiodorenses episcopi 18
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Altiiodorensis cœnobium 25
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Altiuilarense cœnobium 25
	Adelboldus monachus fit ep. 53		Alzen oppidũ destruitur. 264

I N D E X

- S. Amāndi coenobium** 22  
**Ambrosius seu Ansbertus clarus scriptor** 30  
**Ambrosij funebris oratio ad sepulturam Aurelij** 11  
**Amichadus monachus Fuldē.** 62  
**Ammineberg monasterium.** 103  
**Amorbach monasterium** 104  
**Amularius ex monacho arch.** 15  
**Anacletus antipapa** 158  
**Anastasius IIII. papa** 177. 178  
**Anathematis efferēdt forma.** 88  
**Andernacum oppidum.** 122. 212  
**Andreas pontifex Traiectē.** 156  
**Andreas de Gūdelfingē.** 263. 276  
**Angarie ducatus in Vuestphalia uastatur** 261  
**Angelonus monachus Luxouienfis** 14  
**Anglia fit tributaria papæ** 16  
**Anglia Nortmānis affligitur** 75  
**Anglorum cūm Francis atrox bellum** 285. 286  
**Anglici quidam latrones Hispanam & Galliā deuastāt.** 299  
**Anno abbas Bergensis** 37  
**Anno arch. Colonien.** 66. 67. 72  
**Annus Solaris siue magnus, & Lunaris siue paruus** 170. 6  
**Ansbaldus abbas** 20. 14  
**Anscarius Bremensis arch.** 16  
**Ansegisus ex abbate epif.** 14. 22  
**Anselmus Rēmensis, scriptor.** 67 94  
**Anshelmus abbas Lauriffensis.** 62. 93. 94 139  
**Ansfridus ex comite monachus ex monacho episcopus** 53  
**Antiochus uermibus scaturiens computruit** 88  
**Antiphonas composuit Sigebertus** 145  
**S. Antonius Paduanus minorum moritur** 233  
**Anthropomorphitarum heresis** 35  
**Apostolorum 12. uitæ & passiones à quo descriptæ** 50  
**Aptinckouen monasterium in Badelborna** 67  
**Apulia Imper. subiicitur** 221  
**Aquarum inundatio** 22. 23. 141  
**Aquisgranum ab Ottone capitur** 211  
**Aquisgranenses ob necem comitis Iuliacensis multātur** 255  
**Araldus rex Angliæ interficitur à Nortmannis** 75  
**Argentina à Philippo obsidetur** 211  
**Argentinenses Rhenum occluserunt** 293  
**Ariani in exilium mittunt Dionysiu epif. Mediolanēsem** 16  
**Arabo arch. Mogunt.** 59. 60. 61  
**Arigādus abbas S. Petri in Frācia** 38  
**Arnoldi siue Arnulphi Imperatoris uxor & liberi** 25  
**Arnoldus dux Bauariæ rebelis imperatori** 31  
**Arnoldus epif. Spirensis** 66. 67  
**Arnoldus comes de Isenberg archiep. Treuren.** 240. 248  
**Arnoldus de Sleyda electus in archiep. Treurensem à papa reijcitur** 248  
**Arnoldus episcopus uenit ad Limpurg** 153 154  
**Arnoldus episc. Spiren. accusat Rupertum.** 151. 152. 153. 155  
**Arnoldus comes de Scheurē dedit partē suam diabolis.** 159  
**Arnoldus archiep. Colonienfis.** 165. 171. 176. 177 182  
**Arnoldus archiep. Moguntinus** 178. 179. 187. 188 201  
**Arnoldus comes à Blanckenheim, & comes Montensis sese mutuò confodiunt** 299  
**Arnolphus episcopus Herbipolensis in Missa occiditur** 25  
**Arnolphus prædicator ueritatis Romæ, à clero occiditur.** pag. 157  
**Arnolphus filius Carolomanni Imperator** 25 27. 29  
**Arnolphus siue Arnoldus scripsit metra in Prouerbia Salomonis** 47  
**Arnolphus epif. Vormatiensis moritur** 71  
**S. Arnolphus monachus S. Medardi, abbas. ac postea ep.** 72  
**Aselmus abbas in Buren** 102  
**Astenses subiguntur ab Imp.** 272  
**Astrolabij & quadratorū scriptor** 53. 79  
**de Astronomia scriptor** 54  
**Augiense coenobium** 20. 59  
**Augusta capitur** 107  
**Augusta Rheiiorum obsidetur**
- & capitur** 106  
**Augustinenses Vormatiæ coenobium construxerunt** 249  
**Aurea bulla Caroli** 4. 296  
**Aurelius Armenius, episcopus Redinauorum** 4. 5. 7. 8. 11 22. 24. 27 64  
**S. Author Treueri in Saxoniam transfertur** 139  
**Austria in manus Imperatoris deuenit** 239  
**Austriæ ducum per aliquot secula genealogia** 253. 254  
**Austriæ ducatus erigitur** 169  
**Aymonius monachus** 48
- B
- Baculus S. Petri** 43  
**Baianus arte magica clarus** 44  
**Baldemarus IIII, abbas fit in Spanheim** 204. 218  
**Baldemarus rex Daciæ cum F. capitur** 228. 229. 231  
**Balduinus comes Flandriæ.** 30 66. 120. 129. 204. 223 218  
**Balduinus archiepiscopus Treuerensis.** 270. 272. 276. 277. 279. 281. 282. 283 214  
**Baldericus Leodiensis epif. monasterium S. Iacobi instruxit** 57  
**Baldstetten monasterium conditur** 151  
**Bambergensis episcopus fundatur** 58  
**Bambergensis maior Ecclesia consecratur** 57  
**Bambergensē monasterium combustum** 99  
**Bardo abbas arch. Mog.** 61. 68  
**Baræ comitatus, fit marchionatus** 296  
**Barense castrum obsidetur & capitur** 164  
**S. Bartholomei monasteriū monialium prope Heidelbergam** 62  
**Basileam ueniunt Vngari** 32  
**Basilea obfessa à Rudolpho ab Habsburg** 255  
**Basileæ facta miracula** 178  
**Bauaria ab Vngaris inuaditur.** 30 235 277  
**Bauariæ ducum & fratrum contentio** 283. 294  
**Bauariæ duces comitatum Hollandiæ**

landiæ tenuerunt	18	Bertholdus comes ab Henne-	Brixes iurant imperatori. 192
Bauariensis ducatus transfer-		berg condit Gotzauu	Bruchsal Spiræ episcopi habi-
tur ad Australes	168	202	taculum
S. Bauonis uita	72. 117	Bertholdus dux de Zeringen,	Bruel castrum obsidetur
Bebo ciuis Spirensis donat Hir		pacem componit inter imp.	277
saugiensibus	143	et Argentinens. 211. obiit. 226	Bruno abbas. 102. 134. 142. 146
Beda presbyter monachorum		Bertholdus comes de Nuuen-	Bruno dux Saxonum
institutor in Anglia	27	burg, belli socius contra Sa-	18
Beinuile monasterium	102	racenos	Bruno papa, dictus est Grego-
S. Benedicti patris uita. 62. 116		213	rius quintus
Benedictinæ regulæ author. 21		Bertholdus episcopus Argen-	52
82	83	tinensis	Bruno epif. Verdensis
Benedictus ordo	250. 284. 286	228. 321. 232. 239	62
Berengarius filius Eberardi. 25		Bertholdus de Sternberg episc.	Bruno episcopus Tullensis, pa-
Berengarius	23. 30. 38	Herbipolensis	pa Leo nonus
Berengarius de corpore et san-		251. 252. 253	63
guine Christi scriptor. 38. 61		Bertholdus Burheck epif. Spi-	Bruno epif. Spirensis
Berengerus epif. Spiren. obiit 235		rensis	143. 150
Berga coenobium Magdebur-		282	Bruno filius Henrici Imper. 33
genselocatur	37. 163	Bertolphus episcopus	Bruno Carthusiensis
Bergomum à Bohemis capi-		22. 23	106
tur	283	Bertrammus monachus	Bruno frater imp.
Berengerus de Enthringen suc-		22	40. 43
cedit episcopo Spirensi	229	Bertrādus Burdegalen. papa 269	Bruno episcopus
S. Bernardus episcopus in Hel-			48. 49
deshem	52	Bertulphus abbas	Bruno archiepiscopus
Bernardus monachus Clunia-		29	57. 61
centis	68	Besselbornen monasteriū	Bruno ar. Coloniæ. 158. 163. 164.
Bernardus monachus scholasti-		104	Bruno de Seyn
cus Corbeien. et scriptor. 72		Betto epif. Altisiodorensis	218
Bernardus abbas Massiliensis le-		32	Bruno III. archiep. Coloniensis
gatus papa in Germaniâ. 98		Bibliotheca Hirsaugiæ dilapi-	20. 208. 218. 219
S. Bernardus abbas Clareuallis.		datur	220
170. 171. 172. 173. 183	189	Bickelnheim castrum uenditur	Bruno ep. Hildesheimensis. 179
Bernardus ep. Paderbornæ. 157		archiep. Moguntinō	Bruno epif. Argentinens. 150. 158
Bernardus episcopus Hildeshe-		256	Bruno episcopus Treuirensis.
menfis	160. 161. 179	Bingiū obsidione premitur. 268	129. 141. 150
Bernhelmus abbas in Späheim		Birchenfeld castellū extrui cœ-	151
150. 166. 172	176	ptum non perficitur	Brunsuicensis dux
Berncastel arx iuxta Mosellam		279	162
conditur	255	Blasius Hirsaugiensis abbas	Brunsuicensis ducatus
Berno ex comite abbas Gignia		2	237
centis	23	Blidenstadt monasteriū	Brunteshusen moniales
Berno abbas Augiensis	59	33. 104	18
Bernolphus abbas	44	Boëmundus ab Edendorff ar-	Bruuylter monasterium
Ber ytem capitur	231	chiep. Treuerensis	58
Berona ab Imperatore expu-		294	Bublicken
gnatur	257	Bohemia ad deditionem cogi-	239
Berona seditio	285	tur	Buggo Vormatiensis epif. 141.
Bertha Imperatrix obiit	107	50	150. 158. 163. 165
Bertholdus abbas in Alpers-		Bohemundus epif. Treuirorum	Bugolphus abbas Fuldensis
bach	105	260. 266. 300	12
Bertholdus comes de Eberstein		301	Bulgarius, qui imperauit
munificus	142	Bonifacius 8. papa. 263. 266. 268	44
Bertholdus epif. Hildeshemen		S. Bonifacij in Fulda coenobium	Bulion comitatus
sis obiit	160	exustum est	119
		37	Bullæ papalis exemplum. 122. 124
		S. Bonifacij canonicatus in Bos-	Bunna destruitur
		leuen instituitur	23
		60	Buno abbas Hirsfeldensis
		Bonna ab Imper. cremata	12
		211	Buren monasterium
		Bolislaus fratricida	102
		38	Burgūdia subiicitur imperio 257
		Bopardia	Burgundiæ comes captus
		172. 272. 301	260
		Botzardus epif. Metensis	ad Burgundiæ duces, unde Hol-
		267	landiæ comitatus fit deuolu-
		Brabantia dux. 216. 214. 285. 295	tus
		290	289
		Brando ex abbate episcopus. 60	Burchardus comes de Luca
		Bredheim comitatus	161
		129	Burchardus dux Sueuiæ
		Bregentz monasterium	30
		104	Burchardus
		Breitenauu monasterium. 103.	35. 36. 57
		143. 154. 169	Burchardus Halberstratensis e-
		170	piscopus
		S. Brigitta claret	68
		300	Burchardus abbas
		Brisacenses cōtra Ottonem. 222	103
		Briuernugense monasteriū. 103	Burchardus abbas in Vinea cœ-
		283. 287	nobio
			104
			Burchardus epif. Traiecten. 122
			Burchardus monachus fit abbas
			in Erfordia
			131
			Burchardus abbas monasterio-

I N D E X

rum duorum	138	Carpena castellū destruitur.	150	Clementia filia Adolphi comitis	
Burchardus abbas S. Iacobi	o- bijt	Carthusiensis ordo	106. 160. 188	Hombergensis nupta uouet	
Burchardus abbas in Vuingar-	140	Carthusia Moguntiaē.	271.	monasticē	172. 203
ten	182	uerensis	293. Coloniaē.	Clementinae constitutiones	272
Bursfeldia monasterium in Sa-		S. Castoris canonicorū monaste-	284	Cleuis & March. coniuētio	308
xonia conditur	121	rium Confluentiaē	14	Clungenmonster cœnobiū	240
Bursfeld	131	Cathanensium ciuitas terræmo-		Cluniacensis monasterij funda-	
Bursfeldensiu constitutiones no-		tu euertitur	186	tio	28
uæ	83	Cathari heretici ex Flandria Co-		à Cluniaco Hirsaugiensis refor-	
Bursfeldensis reformatio	106	loniam ueniunt	193	mationis origo	109
C					
Cæsarius monachus Hei-		Catena S. Petri	43	Cœlum ardere uisum est	299
sterbacensis uitam S.		S. Cecilie monasterium	43	Cœnobia fundantur	44. 45.
Hildegundis descripsit	205	Celestinorū ordinis initium.	263	46. 52	82
Calabria Imper. subijcitur.	221	Celestinus II. papa obijt	170	Colmaria ab Imperatore subi-	
Calixti papæ epistola ad episco-		Celestinus III. papa	107. 0-	gitur	257
pos in Gallia	95	biijt	211	Colonenses	23. 139. 142. 172.
Calixtus secundus papa	144.	Celestinus IIII. papa	240	179. 195. 218. 223. 224. 232	
145. 150	155	Celestinus V. papa	263	243. 249. 251. 252. 265. 270	
Camburg monasterium	101	Cella S. Petri, translata à Vuil-		276. 277. 279. 218. 288.	303
Campidonense monasteriū.	102	helmo, monasterium	101	Comes Rhēni	138
Canonicorū regulæ institutio	41	Cella Paulina monasterium in		Comes de Lo, accepit comitatū	
Canonici Treuerenses, & pluri-		Saxonia	102	Hollandiæ cum filia defun-	
mi alij obijciunt regulam.	46	Christiana abbatisa in Gauders-		cti	216
Canonicorum collegium in Op-		heim	18	Comites sex simul miserè obie-	
penheim à quo institutū.	277	Christianus seu Drutmarus do-		runt	260
Canonicorum collegium de Bit-		ctissimus monachus	18	Cometa	53. 119. 139. 170. 223.
tesbach Stuckgardiam transfertur	282	Christianus abbas S. Pantaleo-		267. 274. 286. 293	302
In Cantica canticorum scripto-		nis	43	Comitia ad componendum bel-	
res	30. 71. 75. 83. 155	Christianus Schotus impetrat		lum in Quedenbourg	166
Capella S. Nicolai in Hirsaugia		hospitale cœnobiū Scoto-		Commemoratio animarum	54
conditur	197	rum	166	Communionem bonorū defen-	
Cancer religionis dictum est Oef-		Christianus archiep. Mogunti-		denes condemnantur à pa-	
borch	146	nus	188. 192. 194. 201. 204.	pa	279
Cancer comes Rhēni Laurissam		244	245	Cōputus ecclesiasticus	79. 92
condidit	235	Christianus Iudæum duello supe-		Concilium Leodij	158. Lugdu-
Carinthia ab Vngaris oppugna-		rauit	280	ni	252. Moguntiaē
tur	28	Christophorus presbyter sub-		158. Nor-	
Carinthiæ comitatus imperio ua-		dolus	31	thuse	132. Romæ
cat	253	Chronica succincta	71	130. Vien-	
Carmelitarum ordo à quo insti-		Chronicon breue scripsit Ru-		na	272
tutus	259	dolphus	145	Concordiæ libri author	184
Carolus episcopus Mog.	19. 20	Chronographia	170	de Cōcubinas habentibus pres-	
Carolus Caluus	15. 22. 23	Cistercium monasteriū.	121. 140	byteris consiliū Anselmi	95
Carolus Grossus Imp.	23. 25	150	234	Concubinas habentium Missæ	
Carolus Magnus	12. 31. 53. 298	Cincius cardinalis papa	224	defenduntur	145
Carolus Flandriæ comes à suis		Ciuitatum Germanicarum con-		Cōfluentinorum cum archiep.	
occiditur	156	foederatio	246. 301	Treuerēsi iurgium	269. 270
Carolus comes Prouinciæ Sici-		Clarus monachus in Selgenstadt		Coniugium sacerdotum prohi-	
liam occupat	249	propheta	62	bitum	92
Carolus rex Siciliæ Manfredum		Clemens II. papa	62	Cōradus Henrici IIII. filius	108
interemit	251	Clemens III. papa	98. 106.	118. 121	129
Carolus IIII.	289. 291. 292. 293	205	207	Conradus abbas	104
294. 295. 298. 299. 302	302	Clemens IIII. papa	249. 252	Conradus ep. Traiectensis	122
		Clemens V. papa	269. 272. 273	Conradus ep. Eistettensis	122
		Clemens VI. papa	286. 289	Conradus à Merlenheim	142
		292	293	Conradus dux Sueniæ	156
				Conradus dux Alsatiæ	157. 158
				Conradus arch. Magd.	163. 169
				Conradus	

I N T R I T E M I V M .

Conradus dux Sueviæ	163	Constantia imperatrix moritur	211	dimem aut in uolumen redactus	57
Conradus I. Imp.	31.32	Constantinopolis capitur	213	Deckingen monasterium	103
Conradus II. Imp.	60.61	Constantinus, Constantius & Constans Imperatores	10	Delfi oppidum Hollandiæ euer- titur	298
Conradus Hirsaugiensis scrip- tor	116	Conuentus principum. 7.8.30	93.132.135.141.144	Deus plus timendus quam ho- mo	98
Conradus abbas	105		163.164.166.169.176	Deo potius obediendum quam hominibus	153
Conradus episc. Spiren.	67.72		182.213.214.221.222	Desiderius abbas fit papa & Victor tertius appellatur.	106
	219.229.235.239.240.242		225.229.230.236.237	Diabolus hominem peculiari- ter infestat	19.20
Conradus comes Palatinus	72		238.239.246.253.257	Diabolus Moguntia per trien- nium uexat ac territat homi- nes	19
	170.179.188.195		258.261.271.273.285	Diabolus latuit sub cuculla mo- nachi	29
Conradus Hirsaug. abbas	51.55	Conradina Saphadini	227	Didascalon liber	116
Conradus episc. Argētinen.	214	Corbeia cœnobium	13.15	Diegerus Metensis episcopus.	101
Conradus episc. Herbipolensis	210	Coronandi atq; ungeni regem hypotyposis	244.36	Diemarus miles	142
Conradus episc. Portuensis	229	Crafo abbas in Spanheim.	172	Diemo abbas	97.167.189
Conradus dux Lotharingiæ in- terficitur	25.30.41		173.176.203.257	Diepoldus abbas in Schaffhu- sen	104
Conradus episc. Vuormatiens- sis	170	Crema urbs capitur ab impe- ratore	187	Dietgerus ex monacho episco- pus Metensis	101
Conradus rex	170.171.222	Crux aurea Moguntia	188	Diethardus episc.	35
Conradus abbas fit papa	177	Crux contra Teucros prædica- tur	224.229.236.288	Diethardus monachus scholæ præfuit	33.37
Conradus rex Hungariæ	170	Crucis signum in Luna appa- ruit	184	Diethericus abbas in Deterf- hufen	101.104
Conradus Landgravius Thurin- giæ	176	Cruces apparent in uestibus.	41	Diethericus abbas in Suart- zach	104
Conradus episcopus Mogunti- nus	192.194.195.201	Conuersi, fratres barbati	83	Dietherus prior Hirsaugien- sis	107
	204	Cunigundis monialis.	56.60.61.	Dietherus archiep. Treueren- sis	266.269
Conradus Hirsaugiensis abbas	203.204		62	Dietlibus abbas Spanheimen- sis	266
Conradus Landtgravius Has- siæ	234	Cuno Apostolicus legatus Sy- nodum celebravit	142	Dietlibus abbas Spanheimen- sis	261.271
Conradus inquisitor occidi- tur	235	Cuno episcopus Ratisponensis.	155	Dietherus moritur	701
Conradus de Hoënstedenfis ar- chiepisc. Colonienfis	239.248	Cuno abbas Vuisfenburgen- sis	239	Dietmarus Hirsaugiensis abbas	34
Conradus F. Imperatoris	239	Cuno episc. Argentinenfis.	150	Diethmarus abbas in Vuim- garten	104.182
	240.241	Cuno episc. Vuormatiensfis.	243	Diethmarus episc. obiit	108
Conradus comes de Eberstein præficitur ecclesiæ in Offen- bach	240	Cuno de Schoneck	277.279.282	Diligentia ueterum in literis	106
Conradus archiep. Colonienfis	243	Cuntzigo abbas S. Nazarij.	28	S. Dionysius Mediolan. episco- pus	10.11
Conradus filius Henrici II. Im- perator fit rex in Apulia.	245	S. Cyriaci martyris uita	72	Dionysij Areopagitæ libri in Latinum uersi	14
Conradus à Durckem	247			Dirolpus miles cum cōiuge con- didit monasterium monialiū in Hocheim	256
Conradus dux Sueuorum Apu- liæ regnum repetens repelli- tur	251				
Conradus dux à Deck, in pro- pria domo à milite occidi- tur	291				
Conradus de Scharffeneck.	211				
Cōstantia Apuliæ regis filia ex monialis sponsa Imperato- ris	207				

**D**

Dacia rex occiditur. 162  
 Damascus ciuitas de- struitur 186  
 Damiata capitur 226.227  
 Dancinodis uxor Rudolphi co- mitis 138  
 Dani conuertuntur ad fidē 38  
 Decreta Gratiani 184  
 in Daniele scriptor 184  
 Decretales componuntur 216  
 Decretorum liber à quo in or-

Disente-

I N D E X

Disenteria cōmunis plaga	291		
S. Disiboldus episc.	138.166		
	175.247	248	
Diuinorum operum libri tres per Hildegardē monialē	175		
de Diuine epulone & Lazaro dialogus	160		
Doleiense monasterium in diocē cesi Treuerensi	59		
S. Dominicus	213.227		
Drogo frater Imp. Ludouici	15		
Driuelis castrum	237		
Drutuinus abbas in Breitenau	103	159	
Duerstades uicus destruitur	19		
Duisburg donatur Palatino	57		
Dunstanus archiep.	46.52		
E			
E Bersteimensis comitiscum Vuirtenbergenſi bel- lum	302		
Eberuinus de Kronenberg ep. Vuormatiensis	266		
Ebo comes de Mergentheim ad est contestationi donatorum Hirſaugienſibus	142		
in Eccleſiaſten ſcriptor	145		
Eckbertus abbas examinat hæ- reticos	193		
Eckberti abbatis proſopogra- phia	194		
Eckbertus Monasterienſis epif. moritur	159		
Eckhardus abbas Vraugiē.	129		
Echlingen monasterium	103		
Eclipsis	141.162.240		
Eclipsis Solis	27.119.151.170		
	178.207.208.219	285	
Editha filia regis Angliæ mori- tur	37		
Edmundus rex Anglorū à Nort- mannis martyrizatur	22		
Eduardus II. rex Angliæ	262		
	263.285.286.289	290	
Eduuidus tyrānus moleſtus fuit fratribus Hirſaugienſib.	24		
Eduardi & Reinardi fratrum de ducatu Geldriæ cōtentio	289		
Egbertus episcopus	48		
Egebertus abbas Paſſauie	103		
Egebertus comes Spirēſis adest contestationi donatorū Hir- ſaugienſibus	143		
Eggebertus Bambergen. ep.	170		
Egil abbas Promienſis	18.20		
Egilbertus archiep. Treuero-			
rum	129		
Egilbertus I. abbas S. Iohannis in Rinckaugia	158		
Egilon abbas Fuldenſis	12		
Egilla filia regis Angliæ, uxor Lotharij	15		
Eginardus primus abbas in Sel- genſtat	13		
Einhardi ſcripta	14		
Einhardus episc. Spirēſis	71.75		
Emkirch uilla ſubuertitur	298		
Electorum principū in electio- ne diſſenſio	246		
Elfredus rex Anglorum	29		
Elisabeth	233.238.243		
Elisabeth filia regis Bohemiæ nubit Iohanni comiti Lut- zenburgenſi	271		
S. Elisabeth prophetiſſa	197		
	198	201	
Elisabet, IIII uxor Caroli IIII. Imper.	292		
Elisabeth regina filia Meinhar- di ducis Carinthiæ	265		
Elisabeth uxor Rudolphi ab Habſburg regis Rom.	253		
S. Eliphij martyrſis reliquiæ	43		
Elmendingenſes decimæ ab Hir- ſaugieſi abbate uenditæ	255		
Elphegus ex monacho ep.	59		
Eltingen uillæ quarta pars da- tur Hirſaugienſibus	142		
Eltuil caſtrum	281		
Embricho episc. Herbipolenſis	158.166.167	170	
Emericus à Kronenberg episc. Vuormatiensis	268.273		
Emeritana ciuitas Saracen.	232		
Emmericus à Schoneck	259		
Emicho de Liningen capere ſtudet epif. Vormatien.	245		
Emicho de Liningen episc. Spi- renſis	273.282		
Engelbertus archiep. Colonien- ſis	224.225.249.250.252		
Engelbertus Leodiensis episc.	225.249.287.301	302	
Engelbertus monachus & ſcri- ptor	50		
Engelnotus ex monacho archie- piſcopus	62		
Engers caſtrum iuxta Anderna- cum conditur	302		
Epiphaniſ dictum de ordine fa- ciendo	125		
Episcopus Saltzburgenſis inter- ficitur	194		
Episcopum pro abbate habere monasterijs inutile	133		
Episcopi Angliæ omnes in exi- lium mittuntur	75		
Episcopi ex Alemannia præ- ſentes in depoſitiōe papæ	42		
Episcopi qui præſentes fuerunt Hirſaugiæ conſecrationi	8		
Episcoporum negligentia no- tatur	124		
Episcoporum in ſynodo Tribu- rienſi nomina	29		
Episcopis mandatur ut rogati gratis ordinent abbates	125		
Epistolâ ſcripſit Sigebert.	145		
in Epistolâ Pauli cōment.	120		
Epistolâ ſcriptor	160		
Epistolæ Hildegardiſ ad alios & aliorum ad illam	175		
Eppo ſit ep. Vuormatien.	108		
Epitaphiū Petri Abelardi	168		
Epitaphium Theodori	54		
Equeſtris certaminis ludus ſune- ſtus Coloniæ	286		
Equites in aère certantes uiden- tur	119		
Erckebaldus ex abbate archie- piſcopus	57-59		
Erckebaldus abbas in Iſna	102		
Eremitæ	40.41.73.106		
Erhardus monachus Lunebur- genſis	47		
Ericus monachus	22		
Ericus rx Longobardiæ	222		
Erici marchionis Badenſis cō- iugium	238		
Eringus de Reimſtein ep. Her- bipolenſis	245		
Erlafridus	86		
Erlafrid. comes in Calue	4.7.9		
Ermeſfridus frater Nottingi	5		
S. Ermenoldi abbatia	235		
Erneſtus uir probus, adiutor in ſtructionis Richenbach	100		
Erneſtus de Molenack canōni- cus Coloniæ. uita plect.	293		
Erneſtus Hirſaugienſis abbas	241		
	233		
Erolōgus præſul expellitur	32		
Erphordia obſidetur	215		
Eſlingē obſidiōe premitur	198		
Eſſo abbas in Beimuūle	102		
in Euangeliâ. que per anni cir- culum ad miſſam leguntur.	116		
ſcriptor	116		
			in Euan-

I N T R I T E M I V M.

In Euangelia dominicalia Homilie notantur	175	eiusq; scripta	28	Fratricellorum hæresis damnatur	266
Euerhardus abbas in Odenheim	102	Excommunicatio	117.135.150	Fratrū minorū cœnobiū Vuormatiæ primū constructur	228
Euernoldus abbas Briuernensis	103	in Exodum commentaria	47	Freculpus ex monacho ep.	14
Euerhardus abbas Hirf. 225.233		in Ezechielem cōmentaria	120	Fridburg castrum in Bauaria conditur	243
Euerhardus abbas	51.52	Ezelimus palatmus	57.58	Fridericus monachus Casinensis, deinde abbas, ac tandem papa	66.67
Euerhardus de Badenbergligitur episcopus Vuormatiensis.	247	<b>F</b> Alco Remensis archiepisc. interficitur	30	Fridericus I. abbas Hirsaugienfis	73
Euerhardus comes Vuirtenbergensis 251.262.282.28	302	Fames	16.20.38.50.151.170.176.230.243.274.276.285.286	Fridericus II. abbas Hirsaugienfis	74
Euerhardus comes de Marcha Angariæ ducatum in Vuestphalia uastauit	26	Farabertus abbas	24.28	Frideric. de Amsberg	155
Euerhardus comes & Ida comitissa condunt cœnobiū Schaffhusen	71	Facule per aëra uolitantes uidentur	119	Fridericus archiep. Magdeburgi	169.176
Euerhardus Comes Francorū, repugnat Imp.	31	Fides non seruata pœnam diuinam senit	98	Frideric. arch. Mogunt. 79.40	40
Euerhardus clericus nobilis donat Hirsaugiensibus	149	Filius cū matre bellū gerit	293	Fridericus archiep. Colonienfis	122.139.140.150.158
Euerhardus dux capit Henricum	37	Firslariense oppidum capitur à Landgrauio	234	Fridericus II. archiep. Colonienfis	183.187
Euerhardus episc. Bambergensis	170	Flagellatorum hæresis in Vngaria exorta	292	Frideric. comes de Isenburg	230
Euerhardus episc. Argentinenfis	156	Flamma cœlestis apparuit	293	Frideric. comes de Pfirruthe	236
Euerhardus episc. Eisteten.	141	Florētia obsidiōe cingitur	108	Fridericus comes Palatinus	148
Euerhard. Ezclimi filius	58.62	Flaualdus monachus & scriptor claruit	48	Fridericus Vuestph. comes	140
Euerhardus filius Bertholdi comitis	142	Forentmus comes Hollandiæ occiditur	263	Frideric. dux Sueuorū	137.168
Euerhard. I. episc. Bambergensis	56	Florentini libertatem suam emerunt	259.272	Fridericus Alsatiæ dux	155.163
Euerhardus I. abbas in Koingsluter	163	Florentius, filius Vuilhelmi regis, comes Hollandiæ	246	Fridericus dux Austriæ	265
Euerhardus I. abbas in Odenheim	150	Forentij principis Morianensis fratres	267	Fridericus de Sirck episc. Traiectensis	276.279
Euerhardus de Stralenberg episcopus Vuormatiæ. 255.262		Flosculorum liber	160	Fridericus de Bolandia episc. Spirensis	252.261.268
Euerhardus comes de Helfenstein, adest contestationi donationum Hirsaugien.	142	Flumina absorpta sunt & exicata	141	Fridericus episc. Vuormatiensis contra Kirsgarten	230.258
Euerbinus episc. Vuormatiensis moritur	263	Fœmina papatum obtinuit	17	Fridericus fit episcop. Vuormatiensis	255
Euerbinus abbas Doleien.	59	Fons sanguinis effluxit	36	Fridericus ep. Leodicē. 46.144	144
Euengerus archiep. Colonienfis	48.53	Fossacense monasterium in Burgundia	21	Fridericus I. Imp. 177.178.179	183.187.192.195.201.202.204.205.206
S. Euergistus	43	Franci orientales ab Vngaris in festantur	31	Fridericus II. 222.223.224.225	227.228.231.232.234.235.236.238.239.241
Eugenius ex abbate papa	170.171.173	Francia Teuthonica	86	Fridericus rex Tusciæ	222
Eunuchus comes de Limingen Heyna monasterium condit.	164	Franckfordiæ pons per Mogannum inundatione subuertitur	270	Fuldense monasterium	7.58
Eutrandus Ticimensis diaconus		Franckenthael monasteriū conditur	163	Furstenfeld cœnobiū	243.258
		S. Franciscus ordinem minoritarum instituit	220.230		
		Franconiæ ducatus episc. Herbipolensi sub aurea bulla confirmatur	201		

**G**

Allorū cum Anglis bellū diuturnum 262  
 Gebhardus prior Hirsaug. 107  
 108 109  
 Gebhardus

I N D E X

- Gebhardus Hirsaugiensis ab-**  
*bas.* 112. 113. 114. 115. 223. 230  
 132. 133. 137. 138
- Gebhardus episcopus Herbipo-**  
*lensis* 150
- Gebhardus ab Eckstein contem-**  
*dit de archiepiscopatu Mo-*  
*guntino* 258
- Gebhardus ep. Argētimen.** 167
- Gedebaldus Traiectensis episc.**  
*condit Cœsborch monaste-*  
*rium* 146
- Gelasius papa, ordinis Benedi-**  
*ctini* 142. 143
- Geldria comes capitur** 260
- Geldria comes in ducem crea-**  
*tur* 279. 285
- Geldri prelio vincit Leodien-**  
*ses & Brabantinos* 285
- Gemblach monasteriū** 32. 145
- Genzingensis ecclesia cum iure**  
*patronatus donatur canoni-*  
*cis Moguntinis* 249
- in Genesin commentaria** 47
- Georgius comes de Vuide** 236
- Gerardus episc. Morfenus** 59
- Gerardus archiep. Moguntinus**  
 245. 247. 248. 259. 261. 268
- Gerhardus ep. Traiectensis ep.**  
*Spirensis captivum abdu-*  
*xit* 261
- Gerhardus filius comitis Hirsu-**  
*ti ep Vuormatiensis* 262
- Gerhardus** 276
- Gerhardus contra archiep. Co-**  
*loniensem eligitur* 183
- Gerhardus comes Montensis**  
*& comes à Blanckenheim*  
*mutuò sese interficiunt* 299
- Gerardus ab Ercenberg episco-**  
*pus Spirensis* 285. 300
- Gerbertus, papa Sylvester II.**  
*dictus* 52. 53
- Gerburga altera filia Imp. Hen-**  
*rici* 33
- Gerburgis sorori succedit in ab-**  
*batia Gandersheim* 18
- Germanorum Imperij consti-**  
*tuto* 52
- Germanorum ueterum consue-**  
*tudo* 162
- S. Gereonis corp. reperitur** 150
- Gerlacus presbyter uidit gladiū**  
*à uento in sublime ferri* 119
- Gerlacus prior** 182
- Gerlacus Schenck episcopus fit**  
*Vuormatiensis* 282. 283
- Gerlacus archiep. Mogunt.** 294
- Gerlucus à Nass. ep. Mogūt.** 289
- Gerlandus monachus arch.** 38
- Gero archiep. Colonien.** 45
- Gerold. I. episc. Lubicensis or-**  
*dimatur* 178
- Gertrudis marchionissa** 139
- Gertrudis filij Lotharij** 162. 169
- Gertr. filia Palatini nuptiæ** 233
- Gerungus abbas Hirsf.** 17. 18. 23
- Gerungus abbas Cella Pauline**  
*in Saxonia* 102
- Gerungi abbatis prosopogra-**  
*phia* 136. 137
- Gibellini ab Imp. partibus stant**  
*contra papam* 241
- S. Giberti regis uita** 145
- Gießen oppidiū capitur ab ar-**  
*chiep Moguntino* 277
- Gigniacensis monasterij funda-**  
*tiō* 28
- Gilbertus Potreta Pictauiensis**  
*episc. scriptor* 183
- Gildericus episcopus** 33
- Gisela uxor Conradi** 60. 61
- Giselbertus dux Lotharingiæ re-**  
*pugnat Imp.* 31
- Giselbertus abbas Hassungensis**  
 92. 161 117
- Giselbertus abbas monasterij**  
*Vuest in Anglia* 97
- Gisila regnia Vngariæ Vnga-**  
*ros ad fidem conuertit* 57
- Gisla heretica puella** 275
- Glabach cœnobium** 45
- Goaris presbyteri & eremite**  
*uita* 20
- Gotshalcus hereticus** 16
- Gotisaugia cœnobium** 103
- Gotelboldus episcopatu Traie-**  
*ctensi se abdicat & postea*  
*moritur* 156
- Gotfridus abbas** 192
- Gotfridus abbas Brigatij** 104
- Gotfrid. abb. in Zuueisaliē** 104
- Gotfrid de Bulion** 119. 120. 129
- Gotfrid. Adelberti comitis fi-**  
*lius, aduocatus Hirsang* 123
- Gotfridus comes de Calue adest**  
*contestationi donationū Hir-*  
*saugien.* 142
- Gotfr. comes palatin.** 149. 105
- Gotfridus abbas S. Iacobi prin-**  
*ceps conturationis in episc.*  
*Moguntinum* 268. 202
- Gotfridus arch. Herbipol.** 204
- Gotfridus de Hoënloë episcop.**  
*Herbipolensis* 210
- Gotfridus comitatū suum Arn-**  
*spurg Colonienj ecclesiæ do-*  
*nauit* 305
- Gotfridus rex Danorum** 38
- Gotfridus ex decano archiep.**  
*Treuerensis* 151. 156
- Gotfridus et Hermānus de Cuch**  
*occidunt fratrem Imp.* 162
- Gotfridus Hirsaug. abbas.** 262  
 266. 267. 276. 281
- Gotisau monasterium** 104
- Golgenstatis monasteriū** 13
- Goslartensis aula** 137
- S. Gothardus episc. Hildenshe-**  
*mensis* 60. 160
- Gotzau monasterij conditor et**  
*descriptio* 202
- Grandimontensis ordo institu-**  
*tus* 107
- Grando copiosa cecidit** 151
- Gratianus & Valentinianus,**  
*quando imperauerunt* 11
- Gratianus monachus** 184
- in Gratiani Decreto. multa ha-**  
*bentur à Calixto composi-*  
*ta* 145
- Contra Græcorum hereses scri-**  
*ptor* 63
- Gresschasi monasteriū in Vuest**  
*phalia* 72
- D Gregorij cella in Richēbach**  
*pag.* 99
- B. Gregorij episc. oia ad Secun-**  
*dum* 95
- S. Gregorij Martyris in Nigra**  
*sylua monasterium* 82. 101
- Gregorius Papa IIII.** 15
- Gregorius presbyter filius re-**  
*gis Angliæ claruit* 40
- S. Greg. Spoletani reliquiæ** 43
- Gregorius V. antea dictus Brit**  
*no* 52
- Gregorius VII. papa** 92. 93  
 98. 99. 106
- Gregorius VIII. papa** 158. 205
- Gregorius IX. papa** 230. 231  
 232. 239. 240. 252 254
- Guelffi, papæ partes sequun-**  
*tur* 242
- Guido filius Lamperti** 25
- Guido Arentinus monachus.**  
*pag* 59
- Guido abbas Bobiensis** 62
- Guido**



I N ; T R I T E M I V M .

Guido Prænestinus Coloniae ue-	tenfis	13. 16	ponte episcopus Vuormati-
nit Philippū excommunic. 213	Hecti, ex abbate archiepisc. 14		ensis 226. 230. 234. 236
Guido ep. Traiect. 267. 272. 276	Heidelbergensis uniuersitas in-		Henricus de Molenarck archie-
Guidonis Flādrīe comitis bellū	stituitur 286		piscopus Colonienfis 230. 239
cum Hollandie comite 269	S. Heimeradus in Hassungen ui-		Henricus comes de Limingen e-
Guimondus archiep. Auerfanus	sitatur 92		piscopus Spirensis 242. 252
claruit & scripsit 61	S. Helenæ reliquiæ 16		Henricus archiepiscopus Treui-
S. Guniberti monachi uita 145	Helibaldus episcopus 18		renfis 248. 255. 258. 259
Gunihelda uxor Henrici impe-	Helias abbas moritur 61		Henricus Traiectensis episcopus
ratoris tertij 71	Helpericus scholæ S. Galli mo-		obiit 251
S. Guntherus arch. Colon. 19. 21	derator 37		Henricus filius comitis Sylue-
Guntherus epif. Babenbergens-	Heluwigis filia Ezelimi abbatif-		stris de Dunc, episc. Vuor-
sis Hierosolymam uisit 61	sa in Nussia 58		mationensis 273. 277
Guntherus monach. scriptor. 72	Hemma comitissa largitur Hir-		Henricus archiepiscopus Colo-
Guntherus abbas in Cāburg. 101	saugiensibus 142		nienfis 275. 276. 277. 234
Guntherus comes de Zuartz-	Hemmo comes Flandriæ sese im-		Henricus de Virnenberg archie-
burg 290. 291	peratori subiecit 201		piscopus Moguntinus 281
Gunthildis prima abbatissa in Bi-	Hennebergenses comites cōtra		282. 283 288. 289. 293
belis 159	Herbipolensem episcopū Su-		Henricus filius Ottonis 31. 33. 37
<b>H</b>	artzach comburunt 258		Henricus dux Bauariæ obiit. 41
Abspurgenses comites sūt	Hēricus abbas S. Georgij in Ni-		Henricus comes de Northeims
duces Austriæ 254	gra Sylua 81. 101		Brunsweldiam condit 121. 131
Haderadus Hirsfaugiensis abbas	Hēricus abbas in Bliedēstab. 105		Henricus comes Palatinus con-
25. 26 29. 32	Henricus monachus abbas in		dit monasteriū Lacense. 140
Hademarus abbas Fuldensis 41	Breitenouu 104. 154 159		Henricus dux de Limburg cum
Hadmodis abbatissa prima in	160. 167 169		Saxonibus contra Imp. 140
Gaudersheim 18	Henricus Hirsfaugiensis abbas.		Henricus & Hugo filij Hugō-
Hadrianus III papa 178. 183	205. 206. 208 210		nis comitis de Tubingen 142
Haduwigis quarta filia impera-	S. Henrici & Cunigundis cor-		Hermannus comes de Limingen
toris Henrici 33	pora miraculis clarent 213		centum tubas donat 143
Haduwigis ducissa Poloniæ ca-	Henricus secundus Hirsfaugien-		Henricus dux Bauariæ 155. 156
nonizatur 249	sis abbas 267. 276. 285. 286		Henricus Leo dux Brunswicēsis
Hereses. 63. 91. 135. 155. 156. 188	Henricus decanus Vormatiēsis		et Saxonie. peregrinator 162
194. 224. 232. 235. 266. 272	munificus in Hirsfaugies. 149		Henricus marchio Brandebur-
274. 275 277. 292	Henricus succedit archiepisco-		gensis sine herede obiit. 169
Hagenoa obsessa à Friderico.	pō Treuerensi 41		Henricus Leonis dux Saxonie.
222 257	Henricus August. episcopus in		169 237
Hamburgum destruitur 16	prelio cadit 46		Henricus comes de Soltauedel,
Harderadus abbas Hirsfelden-	Henricus canonicus fit episco-		ducta uidua ducis Bauariæ.
sis 25. 29	pus Spirensis 75. 92		creatur dux Austriæ 169
Hartfridus Hirsfaugiensis abbas	Henricus archiepiscopus Mag-		Henricus filius Imp. Friderici
49 50	deburgensis consecratur. 132		primi nascitur 195
Hartmannus Rodolphi impera-	Henricus ex preposito archie-		Henricus comes Palatinus redit
toris filius submersus 255	piscopus Mogūtinus 169. 173		à transmarinis partibus 212
Hartmondus monach. S. Galli 21	Henricus archiepiscopus Colo-		Henricus palatinus Rheni Mo-
Hartungus. primus prepositus	niēsis depositus moritur 177		guntinensem agrū uasat 221
in Heyna, seu Hegina 164	Henricus Mindensis episc. 177		Henricus dux Brabantie Leo-
Hartuwigus episcopus Misnensis	Henricus episcopus Herbipo-		dium capit 221. 223
142. 180 184	lensis 205. 201. 210		Henricus comes de Scuirinck.
Hartuuius ep. Ratisbonensis 155	Henricus de Veringen episco-		228 229. 231
Hassungen monasterium 91. 101	pus Argentinenfis 214. 228		Henricus Palatinus Rheni 231
Hatto Augiensis abbas, archie-	Henricus Casseus episcopus Her-		237 238
pisc. Moguntinensis 27. 29. 31	bipolensis 214. 218		Henricus ultimus Alfatie Land
Hatto abbas deinde archiepi-	Henricus episcopus Basiliensis.		grauius moritur 240
scopus 41. 44	224. 240. 258 259		Hēricus filius Ottonis ducis Ba-
Haymo episcopus Halberstra-	Henricus filius comitis de Sara-		uariæ 242. 243. 260

I N D E X

- Henricus comes Veldentiae* 256  
*Henricus comes à Spanheim* 256  
*Henricus comes de Lutzenburg*  
 267. 269 271  
*Henricus dux filius Alberti re-*  
*gis Romanorum* 265  
*Henricus Cameracensis canoni-*  
*cus* 266  
*Henricus princeps de Notter-*  
*berg* 271  
*Henrici Probi ducis Bauariae cū*  
*fratre Ottone disidium, &*  
*reconciliatio* 283  
*Henricus dux Bauariae* 284  
*Henricus rex Vngariae* 61  
*Henricus I. imp.* 25. 32. 33. 36. 40  
*Henricus II. imper.* 55. 56. 60  
*Henricus III. imper.* 61. 66. 67  
*Henricus III. imper.* 61. 67. 89  
 91. 92. 93. 93. 106. 108. 117.  
 118. 119. 121 131. 132. 135  
*Henricus V. imp.* 99. 103. 131. 132  
 135. 137. 139. 140. 144. 150. 155  
*Henricus VI.* 206. 207. 208. 210  
*Henricus VII.* 222. 227. 228. 229  
 230. 235 236. 237  
*Henricus comes Flandriae fit im-*  
*perator Graecorum* 218  
*Henricus Landgravius* 241. 243  
*Henricus Conradi filius rex.* 171  
*Henricus rex Rom.* 272. 273  
*de Herbarū naturis scriptor* 175  
*Herbipolis* 106. 201. 250. 258  
*Herderius & eius scripta* 29  
*Heribertus archiepiscopus Co-*  
*loniensis* 53. 58. 59. 62. 63  
*Herigerus abbas Fuldenfis* 29  
*Herigerus abbas* 45  
*Herigerus episcopus Mogunti-*  
*nus* 32. 35  
*Heriolus rex Danorum* 14  
*Hermannus rex* 98. 106. 107  
*Hermannus archiepiscopus Co-*  
*loniensis* 29. 58. 61. 66  
*Hermannus ex monacho episc.*  
*Babenbergenfis* 72. 91. 93  
*Hermannus III. archiepiscopus*  
*Coloniensis* 108. 122  
*Hermannus de Ladenburg epi-*  
*scopus Herbipolēsis* 229. 245  
*Hermannus dux Saxoniae* 45  
*Hermannus ex marchione ab-*  
*bas* 99  
*Hermannus de Caluelage* 140  
*Hermannus Landgravius* 216  
*Hermannus comes à Geroldefeck*  
*Argentineses infestat* 264  
*Hermānus Palatinus infestat ar-*  
*chiepi. Moguntinū.* 178. 179  
*Hermannus monachus S. Galli*  
*doctissimus* 62  
*Hermannus magister hospitali-*  
*tatis* 229  
*Hermannus miles de Rieberg re-*  
*ginam capit ac spoliat* 246  
*Hermannus de Vuinceburg* 179  
*Heroldus episcopus Herbipolē*  
*sis.* 201 moritur. 202  
*Hessorum cum Moguntinis bel-*  
*lum* 234  
*Heymericus prior claustrī* 182  
*Heymo prior ordinatur* 115  
*Heyna seu Hegina conditur* 164  
*in Hieremiam scriptor* 184  
*Hierosolymitana expeditio* 71  
 75. 119. 120 227. 232  
*Hildebertus Puldenfis* 34. 35. 37  
*Hildebertus Suartzachensis* 105  
*Hildeboldus abbas S. Ioānis.* 102  
*Hildebrandus ex abbate fit pa-*  
*pa Gregorius* 92  
*Hildegardis abbatiſſa S. Ruper-*  
*ti* 170. 171. 172. 173. 174  
 175. 176. 177. 178. 180. 181  
 186. 189. 190. 191. 193. 204  
*S. Hildegundis in Schonauu* 205  
*Hildelinus Schonauuen.* 155. 200  
*Hildemannus archiepiscopus* 38  
*Hildensheim ciuitas* 15. 35. 41  
*Hildeuimus episcopus* 14. 35  
*Hildolphus Coloniensis* 91. 98  
*Hiltrudis comitiſſa* 174. 204  
*Hillinus Treuerensis archi.* 177  
*Hincmarus Remensis archie.* 22  
*Hirſaugia* 4. 5. 6. 7. 8. 9. 50. 51  
 52. 55. 56. 63. 65. 67. 70. 71  
 72. 74. 79. 84. 85. 86. 88. 89  
 90. 91. 94. 98. 99 100. 108  
 112. 115. 116. 117. 118. 122. 123  
 124. 125. 126. 127. 132. 142  
 143. 149. 170. 171. 186. 189  
 190. 191. 197. 207. 209. 224  
 226. 228. 256 276. 287  
*Historia quid* 1. 2. 297  
*Historiographi* 2. 21. 67. 119  
 145 184  
*Hocheim moniale cœnobiū* 256  
*Hoēnskirch castrum* 298  
*Hollandiae comes* 236. 288. 289  
*Hollandina se ditio* 251. 269  
*Homiliae Haymonū.* 115. 145. 155  
*Honorius II. papa* 155. 158  
*Honorius III. papa* 224. 229  
 227. 229 230  
*Honorius III. papa* 259  
*Hornbach monasterium* 105  
*Horreum, Treuerense monaste-*  
*rium* 176  
*Hospitalarij S. Ioannis Hieroso-*  
*lymitani* 270  
*Huardus episc. Leodiensis* 221  
*Hugbaldus Eluenensis* 22  
*Hugbertus abbas* 19  
*Hudekim spiritus in Saxonia fa-*  
*cit multa admiranda* 160  
*Hugo Blancus cardinalis aduer-*  
*ſus papam* 93  
*Hugo abbas S. Ioannis* 103  
*S. Hugo abbas Cluniac.* 114. 139  
*Hugo F. Bertholdi comitis* 141  
*Hugo comes de Tubingen* 142  
*Hugo ex abbate episcopus Ali-*  
*ſiodorensis* 150. 165  
*Hugo episcopus Gratianopoli-*  
*tanus* 108. 160  
*Hugo ex decano episcopus Co-*  
*loniensis obiit* 164  
*Hugo canonicus S. Victoris* 168  
*Humilitas summa uirtus mona-*  
*chorum* 50. 68. 80. 128. 146  
*Hungerus praesul Traiecten.* 19  
*Humbertus cardinalis* 63  
*Hunibaldus monachus* 23  
*Hyems dura* 151. 169. 173. 201  
 216. 220 244. 30E  
*Hymnorum scriptor* 160  
 I  
*Iacobus Caturacensis in pa-*  
*pam electus* 275  
*Iacobus de Furno papa* 284  
*Iacobus episcop. Sudensis* 279  
*Iacobus episcop. Traiecten.* 279  
*S. Iacobi monasteriū iuxta Mo-*  
*guntiam* 66. 281  
*S. Iacobi monasteriū Leodij* 57  
*S. Iacobi Scotorum monasteriū*  
*Herbipolis* 167  
*Ianuenſis ciuitatis prodigiū* 36  
*Ida comitiſſa cum Euerardo co-*  
*mite Schafhusen monasteriū*  
*condit* 71  
*Ieiunium* 48. 59. 145. 275  
*Iefabela regina Angliae captiuū*  
*tenet uirū suū Eduardū.* 277  
*Iesse episcopus Ambianensis* 18  
*Ignis sacri generalis plaga* 29E  
*Igniti globi in aere uisi* 120  
*Illustrium uirorum liber* 145  
 Imperium

I N T R I T E M I V M.

Imperium tripartitum	18	Iuliacēsis comes fit marchio	285	Limbertus abbas Hirsaugiensis	7. 8. 12. 13. 16. 17
Imperium à Romanis defertur ad Germanos	29. 52	in ducem creatur	295	Limhelmus magister scholæ	77
Imperij insignia	135	Iutta uxor Vdalrici ducis Bohemie	45	Literæ apud monachos maximè in precio fuerunt	17. 22. 26
Imperator primus, qui à papa depositus est	136	Iuliacensium cum Brabantinis & Lutzeburgensib. bellum	303		27. 38
Imperator papæ inuestiturâ ablata regalia resignat	144			Lobensfeld monasterium	163
Incendium Moguntie	99	<b>K</b> Eifer suerd, insula sancti Suitberti in Rheno	57	Lolhardus Vualtherus	277
Infans contra naturâ loquēs	141	Konigs-luter monasterium	163	Longobardi	230. 238. 272
Ingelheim uilla regia	135	Kreichauu cœnobium	163	Lorch monasterium	137
Ingelheim cœnobium cõditur	298			Lotharius patri rebellis	15. 18. 19
Ingelheim imperiale palatium	15	<b>L</b> Acense monasterium iuxta Andernacum	140	Lotharius imperator fit monarchus	19. 21
Ingersheim comitatus	86	Laiici monachi unde originem sumpserint	83	Lotharius rex Francorum	49
Innocentius II. papa	167	Lancea Domini uenit ad imp.	35	Lotharius de Supelingenburg, dux Saxonie	136
Innocentius VI. papa	293. 300	Landgrauus gratiam Philippi imp. impetravit	216	Lotharius dux Saxonie contra imperatorem	140
Inuestituræ prelatorum lis	137	Landolphus episcopus Vuormatiensis	236	Lotharius II. 155. 156. 157. 158	159. 162
Inundationes	22. 164. 226. 287	Lanfrancus Cantuariensis	68		163. 164
in lob opus metricum	120	Lanscroin castrum conditur	213	Lotharingia unde dicta	15. 18
Ioanna uxor Vuenceslai comitis Lutzenburgensis	295	Lampertus monachus S. Laurentij, scriptor	63	Lotharingie dux, exercitum dicit in Alsatiâ	227
Ioannes papa	23. 42. 43	Lampertus de Legia	68	Lotharingij circa Andernacum quæ commiserint	211
S. Ioannis Baptistæ canonicatus in Halberstata instituitur	60	Lampertus Hostiensis	150. 155	Lubentius Bremensis archie.	48
Ioannes monachus Hibernen.	72	Lampertus à Buren Spiren.	300	Lubicensis episcopus	178
S. Ioannis monasterium Magdeburgi	102	Larissa, uel Tharissa, olim castrum, iam cœnobium	30	Luca oppidum capitur	283
Ioannes Vuedel abbas in Schuttera	105	Laterna monachorum liber, profusa & carmine scriptus	129	Lucarda filia imp. Arnulphi	25
S. Ioannis prepositura monasterium in Rinckauu cõditur	138	Lateranense palatium, camera papæ	123	Lucarda filia Vuelphonis	25
Ioannes diaconus fit papa	142	Latrones à coruis produntur	20	Lucenses libertatem suam emerunt ab imperatore	259
Ioannes dux Brabantie	273. 287	Lauenense cœnobium	82. 102	S. Lucia uirgo	145
Ioannes de Dieft episcopus Traiectensis	180	Laurisse monasterium	22. 28	Lucius II. papa	170
in Ioannis euangelium commentator	43. 183. 184		77. 105. 234	Lucius III. papa	204. 205
Ioannes XXII. papa	275. 279	Lebena u cœnobium mulierum	266	Ludericus primus abbas Luneburgensis	45
	280. 283. 284	Lechfeldt	41	Ludhelmus Tullensis episc.	29
Ioannes Schadland episc. Vuormatiensis	300	Leo de Brandalo papa	31	Ludouicus comes Palatinus & dux Bauarie obiit	258
Ioannes à Vuirnenberg archiepiscopus Colonienis	300	Leo papa	17. 42. 43	Ludouicus I. imper.	8. 12. 13. 150
Ioannes de Rupe scissa, minorita, uaticinia scripsit de antichristo, de reductione totius orbis ad Christianismum	301	Leo IX. papa	63. 64. 65. 66	Ludolphus Exelimi filius	58
Ista monasterium	102	Leodiensis episcopus	20	Ludolphus F. Ottonis imp.	37
Italia tertiò ab Ottone pressa	54	Leodienses uicti à Geldris & Brabantinis	285	Ludolphus Vuormatien. ep.	243
Italia bellum patitur	164	Leodium capitur	231	Ludouicus	18. 19. 22
Iter Nottingi in Germaniam	5	in Leuiticum commentaria	47	Ludouicus Balbus imper.	23
Iubileus annus Romæ	292. 293	Libatius episcopus	48	Ludouicus primogenitus Arnulphi imperatoris	25. 29. 30. 31
Iudei baptizati scelus	280	Liberadis mulier Colonien.	149	Ludouicus comes de Ottinge	226
Iudeos pestiferos persequuntur Christiani	291	Liberius papa	10	Ludouicus comes Palatinus Rheini uxorem suam occidit	243
Iudih imperatrix monialis	15	de Libero arbitrio scriptor	47	Ludouicus rex Romanorum	273
		Libri Hildegardis	174. 175	Ludouicus comes Rinckaugiensis fit monachus	138
		Libri condemnati à papa	223	Ludouicus de Stolberg	231
		Limpurg monasterium	60. 121. 151	Ludouicus dux Bauarie à Sa-	
		Limpurgensis dux	232. 260		

# INDEX

<i>Facenis redies occiditur.</i> 233	peratori	139	bas	208.217
Ludouicus filius ducis Bauariae	Magdeburgensis archiepiscopus	erectus est	38	Marsilius de Ingen primus re-
comes Palatinus Rheni. 242	Magica claret	44.278	stor uniuersitatis Heidelber-	gensis
Ludouicus dux Bauariae Imperator	S. Magni martyris in Saxonia.	col.	58	S. Martini Turonensis templum
Ludouicus II. marchio Thuringiae moritur	Magnus, dux Saxoniae moritur	136	crematum	17
Ludouici marchionis Braëdeburgen. genealogia. 259. 274. 292	Magnus rex Danorum	162	S. Martini Scotorum monasterium Coloniae	43.46
Ludouicus III. 274. 275. 277. 278. 279. 280. 283. 285. 288. 289	S. Matheus abbas quartus Cluniacensis	41	S. Martini cœnobium Coloniae instauratur	47
Ludouici, qui et Otto, primogeniti Ludouici III. Imperatoris fors hereditaria	Maiorica insula Saracenorum capitur a rege Arragoniae. 232	171	S. Martini Ecclesia Mog. 46. 62	82
Ludouicus rex Franciae legatos mittit Imperatori	S. Malachias archiepiscopus Lemoricensis	102	S. Martini episc. cœnobium in Bauaria conditur	152
Ludouicus rex Vngariae cum Venetis bellum gerit	Manegoldus abbas Campidonensis	184. 185. 186. 190. 191. 195	Martinus 4. papa. 257. 258. 259	145
Luitboldus fit archiep. Mog. 66	Manegoldus Hirsaugiensis abbas.	263	Martyrum Theoborum passionum	145
Luitgardus soror Brunonis. 142	Manegoldus episc. Herbipolensis obiit	222	Maselinus de Rupburg adest cõtestationi donatorum Hirs. 142	116
Luithelmus scholasticus	Mafredus nothus. 245. 249. 251	222	Matricularium librum quis composuerit	293
Lunae tres in caelo simul apparuerunt	Mansfredus Siciliae rex	238	Mater a filio uincitur ac depellitur	158
Luneburg cœnobium	Mangoldus a Nuuenburg fit episcopus Herbipolensis.	140	Matheus Albanensis episc. legatus praesidet concilio	216
Lupoldus abbas	Mansfeldensis comes cum magna multitudine in praelio cecidit	29	Mathias de Buseck archiepiscopus Moguntinus. 277. 281	163
Lupoldus archiep. Moguntinensis	Mantua capitur	75	S. Matthiae apostoli corpus repperitur	163
Lupoldus abbas Besselfornensis	Marbodus ex monacho episcopus Redensis. scriptor	301	S. Matthiae cœnobium Aquigrani, olim S. Eucharj dictum	129
Lupoldus Marchio Austriae fit dux Bauariae	Marchiae cum Cleuensi comitatu coniunctio	244	S. Matthiae monasterium iuxta Treuirim reparatur	58
Lupoldus episcopus Vuormatiensis	Marchio Badensis	188. 169	Mathildis filia Ezelimi abbatissa in Didikirchen	43
Lupoldi ducis Austriae bellum aduersus Balbien. Saracenos. 221	Marchio Brandeburgen.	207	S. Maurinus abbas	72
Lupoldus dux Austriae. 221. 226. 232. 277	Marcolphus archiepisc. Moguntinus	274	S. Maurilius ex monacho arch. Rotomagensis	21
Lupoldus dux Carinthiae ac Stiriae. F. Alberti regis Rom. 265	S. Margaretha ex comitissa, monialis obiit	293	S. Maurus transfertur	253 & 296
Lupoldus Hirsaug abbas	Margaretha coniunx Ludouici regis Rom.	293	Maximiliani regis Rom. genealogia	33
Lupus Seruatus presbyter	Margaretha, uxor Ludouici III. Imperatoris. 288. 292. 293	92	Mechildis prima filia Imper. Henrici	36
Luitfridus abbas Hirsaugiensis	B. Mariae uirginis ad gradus, claustrum Moguntiae	222	Mechildis prima abbatissa in Quelenburg	37
Luitgardus filia Ludolphi ducis Saxonum	Mariae filiae regis Arragonum maritus & liberi	243	Mechildis Imperatrix	38
Luitoldus episcopus Basiliensis.	Mariae filiae ducis Brabantiae coniugium & mors	243	Mechildis secunda uxor Ottonis Imperatoris	57
Lutzēburgen ducatus. 290. 296	Maria uxor Ludouici Palatini, propter suspicionem occisa	243	Mechildis uxor Ezelimi Palatini	178
Lutzhart praedium Hirsaugiae	Marianus Scotus chronographus	71. 107	Mechildis uxor Meginhardi comitis	150
	Marquardus abbas in Deckmungen	105	Mechildis filiae regis Angliae nuptiae & liberi	222
	Marquardus Hirsaugiensis ab-		Mechil-	

## M

**M**acarius Scotus primus abbas Scotorum Herbipolis 167  
 Mechildis nubuit Henrico V. im

I N T R I T E M I V M.

Mechtildis Rudolphi Imp. filiae coniugatio	253	Morfenus episc. in Vngaria.	59	Odochirus & Vuentzeslaus reges Bohemiae privilegium dāt Moguntino	231
Meginradus monachus.	20. 37. 39. 44	de Mortalitate cogitanda, scriptor	160	Odo episcopus	28. 48
Mediolacense monasterium	103	Mulierū egregium facinus.	168	Oesborg monasterium	146
Mediolanenses uincuntur ab imperatore	187. 192. 239	de Mundi contēptum liber.	155	in Oppenheim ecclesia S. Catharinae conditur	247
Meginus abbas	36	Murbacensis abbas oppugnatur	235	Orationum liber	160
Meginfridus	60. 21. 57	Murium turris apud Bingā.	44	Orientalis ecclesia cum Romana unitur	213
Meginhardus	150. 172. 174	Musicae scriptores	28. 48. 50. 54. 59. 79	Osbernus monachus in Anglia scripsit	48
Meginherus abbas Hirsfeldensis	68. 158	Mutina à Bohemis capitur	283	Osbertus Leodiensis episc.	144
Meginuuardus abbas Hildenshemensis	91	Mymbormus Scotus primus abbas S. Martini Coloniae	46	Oslacus Hildesheimen. epi.	48
Memfeld monasterium	248	N		Osualdus archiepiscopus	47
Mendacium occidit animam	2	Nagatha fluuius	86	Otfridus monachus Vuissenburgensis quid scripserit	20
Mersburg	132	Nazarij capella	5	Otgarius Mogunt. archiep.	7. 13
Metensis ciuitas obsidetur.	278	Nemetensis ciuitas à Nortmannis subuertitur	17	Othericus archiepiscopus Magdeburgensis	46
Michaël de Cesena minorita	279	Nemetensis episcopatus	86	Othobonus Genuensis papa	255
S. Michaëlis archangeli cœnobium in Hildenshem	52	Neresheim cœnobium	169	Othuuus ex monacho episc.	48
Mico monachus sancti Richarij multa scripsit	10	Nicolaus papa	18. 20. 21	Ottoburen monasterium	105
Milo monachus	22. 27	Nicolaus III. papa	256. 257	Otto abbas in Buren	102
Minorum fratrum ordo	229	Nicolaus IIII. papa	260. 261	Otto fit prior Hirsauugiensis	107
Miracula	5. 10. 62. 68. 81. 113. 117. 128. 131. 151. 147. 157. 160. 164. 167. 171. 172. 173. 178	Nicolaus V. papa	280. 281	Otto comes de Scheuren	159
Misericordia in egentes.	80. 188	Nicolaus Anglicus papa	178	Otto comes ab Ochsenstein	265
Misnensis episcopatus cōditur	33	Nicolaus Taruisinus papa.	266	Otto Palatinus de Vuitelsbach regē Philippū occidit	219
Misnensis marchio	290	Nigra sylua	86	Otto Ratisbonensis episcopus	72
Mogoni fluuij exundatio immensa	287	Nonnenmunster Vuormatiæ cœnobium	236	Otto episc. Hostiensis papa	107
Moguntia	46. 48. 66. 99. 132. 135. 145. 155. 165. 187. 192. 201. 212. 221. 231. 234. 245. 258. 277	Norbertus Præmōstratēsis fundator	150. 156. 163	Otto ex monacho episcop. Bambergensis	129. 158. 167
Möbelgardiaē comes cœnobii cōdit	159	Northusen	132	Otto episc. Argentinenfis	129
Monachi	6. 17. 26. 38. 45. 47. 48. 74. 77. 99. 112	Nortmannorum incursus	15. 17. 19. 22. 23. 25. 27. 28	Otto Viennensis papa	143. 144
Monasteria	13. 39. 40. 43. 46. 97. 97. 109. 124. 125. 133. 151	Notgerus episcopus	20	Otto Haluerstatensis episc.	158
Moniales cū monachis	14. 6. 138	Notgerus abbas in Zuuifalten. pag.	101	Otto Spirensis episc. obiit	211
Mons S. Petri unde mutatus.	82	Nottungus Verceilensis episcopus	4. 5. 6. 9	Otto de Ladenburg episcopus Herbipolensis	218. 228
Mons monachorum cœnobium	56. 103	Nubes prodigiose cadens multa hominū millia submersit	58	Otto Monasteriensis episc.	223
Mons in Burgundia agricolas obruit	140	Nubes sanguineae apparēt	119	Otto Vuolfskel Herbipolensis episcopus	2. 3. 290
Montis S. Iohannis praepositura in Ruckaugia in abbatiā extollitur	158	Nouesia ab imper. capta	218	Otto dux in bello ceditur	47
Montes dissecti sunt	141	Nauu monasterium	103	Otto priuatus ducatu Bauariae apud Saxones dux belli contra imperatorē factus est	91
Monstra bimedia & bicipitata nascuntur	120	Nurenburgensis praepositura fundatur	62. 208	Otto, dux ordinatus Bohem.	155
		Nurenburg castrum in Bauaria capitur	132	Otto Sueuiae dux	210. 111
		Nurenberga obsidetur	156. 158	Otto Bauariae dux	231. 239
		O		Otto dux Saxoniae reconciliatur imperatori	237
		Otauianus, papa	187	Otto primus ex ducibus Bauariae palatinus Rheni	243
		Odocharus rex Bohemiae	211. 216. 254	Ottonis Rom. genealogia	259
		Odenheim cœnobium	130. 150	Otto filius Alberti regis	268
		Odilo abbas Cluniacensis	53		
		Odmgas in Bauaria	29		

# INDEX

- Otto dux Brandenburgensis** 27 4  
**Otto dux Bauariæ** 271. 284  
**Otonis ducis Bauariæ & filij Henrici disidium** 283  
**Otto filius Henrici imper.** 33  
**Otto I. imperator** 35. 36. 37. 38  
     41. 42. 43           45  
**Otto II. imperator** 44. 45. 46  
     47. 48. 49. 50   53 54. 55  
**Otto III. imp.** 212. 213. 214. 216  
     218. 219. 220. 221. 222. 223. 225  
**Otto rex Vngariæ moritur.** 272  
     P  
**Adelborna monasterium combustum** 67  
**Padua ab imper. capitur** 239  
**Paleologus imperator Constantinopolitanus accedit concilium Lugdunense** 252  
**Palatinus comes, regni archidapifer** 244  
**Palatini bellum cum Moguntinis** 178  
**S. Pantaleonis cœnobium** 43  
**Papa exactor cœnobiorum** 130  
**Papa an possit imperatorẽ deponere** 136  
**Papa pace confirmata cum imperatore, mox eundem cum omnib. suis excommunicat** 139  
**Papa, bestia de mari ascendens à cœcellario imperatoris appellatus** 284  
**Papæ crimina obiecta** 42  
**Papæ camera aureum nummum postulat** 123  
**Papæ duo simul eliguntur** 187  
**Philippus rex.** 158. 207. 211. 213  
     215. 216. 218. 219. 223. 228. 262  
     268                   285  
**Philippus de Hohenfels excommunicatur** 249  
**Phrysones Vuilhelmum regem nescientes usterficiunt** 246  
**Phrysijs Hollandiæ comitem in bello occidunt** 273. 288  
**Phrysijs infeliciter pugnant cum comite Hollandiæ ac Selandiæ** 263  
**Pipinus dux Aquitaniæ** 15  
**Pilligrinus Colonies. arch.** 59. 61  
**Pisani, in ordinem rediguntur.** 192. 272           293  
**Placentia subigitur ab imperatore** 178. 272  
**Plaberus latomus occidit episcopus** 122  
**de Pœnitentia scriptor** 59  
**Pontius abbas Cluniacensis.** 155  
**S. Poppo abbas Stabulensis** 59  
**Poppo archiepiscopus Treuerensis** 56. 60. 62  
**Poppo comes de Breckeim** 150  
**Poppo comes de Heneberg** 226  
**Pragensis uniuersitas instituitur** 298  
**Pragensi episcopo ius traditur coronadi reges Bohemiæ** 231  
**Prædicatorum ordo** 213. 251. 273  
**Pralia** 25. 30. 106. 140. 211  
     218. 260. 265. 169 274. 278  
**Præmonstratenses.** 105. 144. 234  
**Prædix imperatrix Ruscorum regis filia** 108. 118. 119  
**Principes electores** 52. 139  
     145                   210  
**Priueilegium Hirsaugiensium** 89  
     90                   139. 124  
**S. Probus monachus** 20  
**S. Proculus martyr** 43  
**Prodigia.** 22. 36. 52. 58. 62. 63. 71  
     119. 120. 137. 141. 164. 173  
     184. 232. 251       292. 299  
**Profopographia** 74. 75. 79. 80  
**B. Prosperi episcopi cõsilium** 146  
**in Prouerbia Salomonis scriptor** 47  
**Prouinciæ comes gradum militiæ suscipit** 238  
**Prouocatio ad tribunal Christi** 69  
**Prudentia** 2. 51 97  
**Prumiense cœnobium** 20. 23  
**in Psalmos commentator** 15. 30  
     79. 120           183. 184  
**Pseudoimperator decipit multos** 168  
     Q  
**Qvelenburg monasterium** 26  
     R  
**Rabanus Maurus, abbas Fuldensis** 7. 12. 13. 19  
**Rasuram monachorum nodum fuisse, indicant capilli Fridericici dispersi** 75  
**Ratbodo archiepiscopus** 24  
**Ratbodo Traiectensis episc.** 29  
**Ratbodo Treuerensis arch.** 29. 32  
**Ratherius episcopus** 35  
**Reginbodonus Hirsaugiensis abbas** 23. 25  
**Reginbodo comes de Tallacker pag.** 142  
**Reginboldus Spirensis episc.** 61  
**Reginboldus abbas in Nauu** 103  
**Regino abbas Prumiensis.** 28. 29  
**Regium à Bohemis capitur** 283  
**Regule Benedicti autor** 21  
**Reguuagium crematur** 211  
**Reinhardus abbas Senouësis doctissimus** 58  
**Reinhardi abbatis opuscula** 120  
**Reinhardus** 202. 204. 260. 285  
     287. 289           293  
**Reinhartzborn monasterium** 101  
**Reinhausen monasterium** 120  
**Reinherus abbas fit papa** 123  
**Reinoldus archiepiscopi Colon.** 187  
**S. Reinoldi uita** 72. 117. 195  
**Rembertus scholæ præfuit** 24  
**Remesium pontificum gesta quis scripsit** 48  
**Remigius scholæ præfuit** 25. 54  
**Reliquæ** 5. 14. 43. 90. 108. 109  
     114. 129. 150   163. 166. 172  
**Renhardus comes Geldriæ in ducem ab imperatore extollitur** 279  
**Reuelationum uariarum libri.** 155           198  
**Rhenus clauditur** 293  
**Rhodus obtinetur** 270  
**Richarda cum uiro suo Rudolpho monasterium instruxit** 150  
**Richardus abbas Virdunensis** 60  
**Richardus episcopus** 44  
**Richardus Vuormatiensis episcopus.** 243   obiit. 247  
**Richard. Cornubiæ comes** 247  
**Richardus eremita** 149  
**Richardus rex Angliæ** 207  
**Richardus de S. Victore scriptor** 183  
**Richardus monachus Cluniacensis scriptor** 184  
**Richarius abbas Pramiensis** 24  
**Richarij monasterium** 19  
**Richodo scholæ præfuit** 24. 25  
**Richenbaeh cella S. Gregorij conditur** 82  
**Richenboch monasterium** 99  
     122                   159  
**Richenstein castrum** 245. 257  
**Richenberg castrum** 279  
**Richiza Ezelimi filia** 58  
**Richiza imperatrix** 169  
**Rietburg castellum** 218  
     Rinanus

I N T R I T E M I V M.

Rinane cœnobium	102	Rupertus abbas in Spanheim.	202	223	Schafhusen monasteriū.	71.101
Rindorff monasterium	183	Rupertus abbas Hirsaugiensis.	195	202	Scholas in monasterijs habere	laudatur
Ringelhem monasterium	33	Rupertus arch. Treuerensis.	41		Scheurē cœnobiū instituitur	139
Ripensis episcopatus	38	Rupertus Moguntinus arch.	46		Schonaugia cœnobium	163
Rixa tertia filij Henrici imp.	33	Rupertus Herbipolē. præsul	132		Schonaui monasterium	155
Rode præpositura	100.143	Rupertus episc. Bambergē.	129		Schoneck castrum diruptū	157
Rogerius monachus scriptor	61	Rupertus presbyter in ecclesia			Schōreim cœnobiū	100.104.105
Rolandi insule monasteriū pro		Magni martyris	58		Schuttera cœnobium	56.105
pe Bunnam conditur	122	Rupertus comes Palatinus	286		Sclesuensis episcopatus	38
Rolandiseck castrum	122	S. Ruperti cœnobium	171.172		Scoti monachi Herbipolis	167
Roma ab imperatore capitur.	43	174	175		de Scriptorib. claris libellus	145
Roma	139.178.275	Rupertus de Tubingen	286		Sciñæ, liber Hildegardis	174
Romanum imperium confundi		Rupertus rex Franciæ doctus et			S. Sabaldus Nurenbergæ clarus	habitus
tur, & Germanici imperato		sanctus claruit	46		Sabulo abbas S. Dionysij	28
res fiunt	29	Rusticorum cōspiratio in Fran			Sedechias iudeus Magus mira	bilia fecit
Rofatum monasterium	102	cia	268		Sedes aurata S. Martini Mogun	tie
Rosuida sanctimonialis uirgo,		Rutgerus archiepiscopus Tre			139.252	
docta	45	uerensis	33		Seditiones multe	139.252
Rolandus papa	187	Rutgerus archiepiscopus Mag			Segenberg cœnobium	66
Rotenberg castrū destruitur	221	deburgensis	144.156		Segenbergensis abbas	122
Rothenis præpositura	226	Rutgerus princeps Apuliæ bel			Segeuinus abbas Rosati	102
Rubiaccum obsidetur	264	lum gerit cum imp.	164.165		Senenses subiguntur	272
Rudigerus abbas in Tharis	104	Ruthardus abbas Hirsfelden.	69		Senetiariū liber cōponitur	184
Rudolphus abbas Hirsaugiens	32.34.105	Ruthardus archiepiscopus Mo			S. Sepulchri monasterium Spi	rae
Rudolphus abbas S. Trudonis,		gūt. 107.118.121.131.138.139			219	
clarus scriptor	145	Ruthardus primus Hirsaugiēsis			Sermōnes scripsit Siebert.	145
Rudolphus episcopus Herbipo		scholæ præfectus	21		Seynensis comes	235
lensis	29.30	S			Sibicho episcopus Spiren.	61.66
Rudolphus ex abbate fit episco		Sacerdotes occiduntur	75		Sibodo à Liechtenberg episco	pus Spirensis
pus Padebornēnsis	61	Sacerdotibus prohiben			268.273	
Rudolphus filius ducis de Ze		tur uxores	52		Siccitas magna in Germania	50
ringen archiepiscopus Mo		de Sacramento altaris quis scri			Sifridus abbas Moguntinensis	68.71.75
guntinus	188.201.241	pserit	28.47.136		91.92	
Rudolphus comes Rinckaugi		Sanctorum gesta scripsit Sie			Sifridus episcopus Spirensis	158
ensis	138	bertus	145		Sifardus archiep. Moguntinus.	212.213.217.218.219.221.227
Rudolphus comes de Spanheim		Sanderadus, primus abbas in			Sifridus III. archiepisc. Mogun	tinus
cum uxore & socio monaste		Gladbach	45		230.234.240.243.252	
rium instituit	150	Saladinus rex Ægyptiorum fu			256.258.260	263.264
Rudolphus comes de Zeringen		gatur	204.205		Sifridus comes Palatinus	140
eligitur arch. Mogūtinus	201	Salamannus episcopus Vuorma			Sigebertus Gemblacensis mo	nachus
Rudolphus comes Palatinus	258	tiensis	283.295		27	
268.272	274.286	Salauelda donatur Palatino	57		Sigebertus scholæ monachorū	præfuit
Rudolphus dux Sueuiæ eligitur		Salomon Constantiensis episco			145	
imperator	93.98	pus	20.24.29		Sigebertus socius Vuymonis	31
Rudolphus ab Hasspurg	253.254	Salutarunt homines continue per			Sigefridus abbas	101
255.257	259.260.261.265	integrū annum	58		Sigefridus decanus de Phortz	beim
Rupertus abbas Augiensis	97	Saltzungen arx in Thuringia			182	
Rupertus abbas in Gotifau	104	destruitur	221		Sigefridus ep. Spirensis	155.157
Rupertus abbas S. Petri	157	Saluedia monasterium in fini			Sigefridus epif. Herbipolen.	170
Rupertus abbas Limpurgensis.		bus Schlaorum conditur	72		Sigehardus abbas Laurissen.	102
150.151.153.154.155	160	Sanguinem pluit	22.71			
Rupertus Tuiciensis abbas cla		Saraceni	207.213.221.227.232			
rus scriptor	151	Saxones	31.40.119.165			
Rupertus abbas S. Petri	156	Saxonie dux, ensifer regni.	244			

I N D E X

Sigehardus episcop. Heldesheimensis	29	archiepisc. Treuerensi	276	rienfis	156
Sigenbergæ aduocatiæ contentio	232	Stierberg in feudū datur Landgrauio Luchtēbergenfi	279	Theodoricus comes Hollandiæ	216
Sigerus Hirsaugiæ. abbas	39. 47	Strabus monachus Fuldenfis.	17	Theodoricus abbas S. Trudonis	72. 117
Sigerus abbas sancti Maximiani	169	Straubingen obsidetur	283	Theodoricus archiep. Treuerensis	46
Sigeuuinus archiepiscopus Coloniensis	98. 108	Sturmo abbas Fuldenfis	12	Theodoricus Metensis episcopus	44
Sigismundus abbas Hirsaugiensis	276. 287	Stuckgardiam canonicatus de Bittelsbach transfertur	282	S. Theodorici Metensis episcopi uita	145
Sigismundus episcopus Haluerstratenfis	28. 29	Suartzach monasterium	72	Theodoricus Bauarus Vuormatiensis	295. 300
Sigismundus rex Vngariæ	292	104	258	Theodoricus cardinalis	214
S. Simeon montis Sinai	59. 61	Suiggeri presbyteris uisio	119	Theodoricus comes de Montbelgard	255
S. Simeonis monachi Treuerensis uita	59	Suikerus à Gondelfingen	291	Theodorus monachus scriptor	48
Simon cardinalis papa	257	Suitenses Beronæ multos occidunt	285	48	54
Simon de Schoneck episcopus Vuormatiensis	258. 262	Suuitgerus episcopus Bambergensis. postea papa	61. 62	Theodorus monachus Hirsfeldensis scriptor	62
Simo de Guntheim	248	Sunderoldus ex monacho archiepiscopus	25	Theodoricus S. Albani	68
Simonia	91. 92. 117. 124. 135. 145	Susatiensis Ecclesia in Vuestphalia	43	Theodulphus Aurelianensis episcopus	14
Simplex medicina. liber	175	Superbia pontificum taxatur	50	Theophana Ottonis II. uxor.	pag.
Smyrna oppidum à Christianis capitur	288	Syluester secundus	53	pag.	45
Sonderoldus archiepisc. Moguntinensis	27	Synodi	16. 29. 36. 41. 60. 66	Theophane mater Imp.	52
Sophia abbatisa in Gantheim	48	92. 98. 139. 142. 144. 106		Theophane abbatisa	58
Sophia S. Mariæ	58	158. 168. 173. 188. 192. 223		Theophrastus pauperum, opus medicū Ioānis XXI. papæ	255
Sophia comitissa sanctitate notabilis	186	261	281	Teucris à Christianis oppugnatur	288
Spanheim	150	<b>T</b>			
Spectrum	62. 121. 129	Artarorum incurfus	240	Thiedberga patrueli nupta	19
Speculum uirginum. quis composuerit	116	Tauchelinus, hereticus		Thiedgandus Treuerensis archiepiscopus	21
Sphæra	53. 234	Antuerpiæ	155. 156. 193	Thiode abbas Fuldenfis	20
Spira	126. 157. 158. 163. 171	Taurinenses in ordinem rediguntur	272	Thiatagus archiep. Pragæ	61
Spiritus Hidekim, in Saxonia.	160. 161	Tenebræ horribiles factæ	194	Thirolis comitatus imperio uacat	253
Spoletum oppidum concrematur	178	Tentorium mira arte constructum	234	Tholosanus comes feudum accipit	238
Stabulense coenobium	59	Terramotus	53. 108. 141. 170	S. Thomas archiep. Cantuariensis	195. 278
Stadtingenses uisiti	236	186. 228	292	In Threnos Hieremiæ opus	28
Stephanus abbas Cistercijs	140	Terræ sanctæ bellum	205. 221	Thurregum expugnatur	257
Stephanus episcopus Halberstadenfis	117	226	228. 231	Thuringia oppugnatur	221
Stephanus dux Bauariæ	259	Terroribus homines non emendantur	141	Thuron castrum captum	248
274	292	Teuthonicorū ordo cœpit	207	Thuscorum legati ad Ottonē	41
Stephanus Leuita	107	Tharis monasterium	104	Tempestates uariæ	141. 162
Stephan. miles de Oersbeck	289	Thebearum martyrum passionis quis descripserit	145	194	287
Stephanus nonus papa	67	Theobaldus archidiaconus Leonensis fit papa	252	Templariorū ordo deletus	272
S. Stephan. rex Vngariæ	57. 61	Theodoricus archiep. Coloniensis	223	Templum Vormatiense renouatum	141
S. Stephanus templum Moguntiae edificatur	46	Theodericus archiepiscop. Treuerensis	240	Tondali militis uisio	183
Sterrenberg castrum emitur ab		Theodericus episcopus Herbipolensis	223. 229	Traiectū destruitur.	23. 173. 251
		Theodoricus episcop. Monasteriensis		de Tranquillitate uitæ, scriptor	69



I N T R I T E M I V M.

Treueris incenditur	23	episcopus	49. 55	scopo Treuerensi litigat	298
Treuerensis archiep. cum comite Spanheimensi bellū.	298	S. Vincentij cœnobium instituitur	44	Vualterus episcopus Basiliensis	eligitur 223. deponitur 224
Treuerenses, duos episcopos unā elegerunt	248	Vincentia ab imperatore destruitur	239	Vualtherus Lolhardus	277
Tribock instrumenti bellici inuentio	221	Vini magna fertilitas	239. 284	Vuarinus Coloniensis archiepiscopus	47. 48
Triburia uilla regia	25. 30	Viridifaugia monasterium	14	Vuelchio abbas in Altdorf	102
Trifels castrū iuxta Lādau	246	Vischbachonna sancti Martini cella	122	Vuelpho	25. 149. 165. 168
Trium regum corpora Coloniā feruntur	192	Visiones	130. 198. 208	Vuenceslaus comes Lutzenburgensis	273. 295. 296. 303
S. Trudonis monasteriū	72. 117	Vites frigore pereunt	290	Vuentzlai filij regis Bohemiæ	matrimonium 257
Tuitium monasterium	53	S. Vdalricus à quo sepultus	45	Vuerdena castrum capitur	223
V					
VAllo, Alifstodorensis episcopus	22	Vldericus comes de Lustenauu testis pro Hirsfaugia	142	Vuerenboldus abbas sancti Iacobi	150
Vandelbertus monachus Prumiensis	20	Vndecim milium uirginum historia à quo conscripta	198	Vuerenboldus monachus scriptor	46
Vangionum ciuitates infestatur à duobus militaribus	248	Vngarorum incursiones	27 28 30. 31. 32. 33. 35. 36. 38. 41 57	Vuerenbertus monachus sancti Galli	20
Vda soror Godfridi comitis	149	Volandus abbas Hirsfaugiensis.	254. 255	Vuernerus archiepiscopus Moguntinus	256
Vdalricus abbas Cellæ Paul.	103	Volbertus abbas S. Albani	150	Vuernerus abbas	44. 47
Vdalricus Augusten. ep.	40 41	S. Volfgangus Ratisbonensis episcopus	45	Vuernerus Bolant	212
Vdalricus Bohemiam sibi uendicare conatur	155	Volmarus abbas Hirsfaugiensis.	147. 148. 149 164. 158 171	Vuernerus comes, qui condidit Breitenauu	141. 146
Vdalricus epif. Constantiēsis	156	Volmarus Coloniensis archiepiscopus moritur	45	Vuernerus abbas S. Petri Erfordie	157
Vdalricus filius comitis Vuirtenbergensis	288 302	Volpoldus abbas Passauie	103	Vuernerus Monasterien. ep	159
Vdalricus epif. Spirensis	205	Volpoldus Hirsfaugiensis abbas	242. 249	Vuernerus de Falckenstem archiep. Moguntinus	248 258
Vdalricus epi. Halberstadē.	176	Vraugia monasterium constructur	129	Vuernerus puer è Vuamraid à Iudeis occiditur	259
Vdo archiep. Magdeburgē.	129	Vrbanus II. papa	107. 122	Vuernigau pagus	86
Vdo Treuerensis archiepisc.	71	Vrbanus III. papa	205	Vuest monasterium in Anglia	97
Venceslaus princeps Bohemiæ martyrizatur	38. 292	Vrbanus IIII. papa	249	Vuertrudis Rudolphi comitis filia fit monialis	139
Venetorū cū Vngaris bellū	297	Vrbanus V papa	300	Vuetzilo abbas Lauensis	82. 102
Ventus prodigiosus	160 164 245	Vrechem castellum destruitur à ciuibus Coloniensibus	277	Vuiberadis sanctimonialis	32
Vernerus abbas sancti Petri Erfordie	104	Vualdemerus rex Danorū	192	Vuibertus dux captiuus	139
Veronenses rebelles subiguntur ab imperatore	272	Vualdensium dogma	188	Vuicholdus Coloniens. archi.	79
Vesalia Treuerensi archiepiscopo pignori datur	272. 301	Vualdo Fuldenfis abbas	20	Vuichmānūs Magdeburgē.	176
Vetuli de Montanis cruentum facinus	233	Vualdrado concubina Lotharij in uxorem ducitur	19	Vuifridus Coloniensis archi.	40
Vetzilo Moguntinus archiepiscopus	107. 118	Vualo Metenfis episcopus	23	Vuigandus Moguntinus	115
Viarum Dei opus ab Elisabetha conscriptum	198	S. Vualpergis monasterium prope Hagenoam conditur	159	Vuigbertus Rauēnēf. pa.	98. 128
Victor II. papa	66. 67	Vualramus comes Iuliacensis agrum Coloniensem uastat	261	Vuighardus I. Hirsfaug. abb.	294
Victor III. papa	106. 107	Vualramus comes de Veldens episcopus Spirensis	282. 285	Vuighardus XXXII Hirsfaugēnsis abbas	287. 294
Victor IIII. papa	187. 188 191	Vualramus archiepiscopus Coloniensis	284. 292	Vuignandus Hirsfaug. abbas	297
S. Victoris monasterium augeatur	46	Vualramus comes Spanheimensis cum Treuerensi archiepiscopo		Vuido Cremensis, papa	194
Villigifus Moguntinensis archi				Vuilhelmus Diuionēsis abbas	59
				Vuilhelmus Traiectensis	71. 92
				Vuilhelmus Hirsfaugiensis abbas	73. 75. 78. 83. 90. 93. 94. 97 98 99. 106. 108. 109. 114. 115
				Vuilhelmus Apulie rex	207
				Vuilhelmi cella S. Petri	123
				Vuilhelmus	

I N D E X.

Vuilhelmus comes Hollandiæ.	226. 244. 246. 259. 266. 269		
	273. 274	283. 293	
Vuilhelmus de Hißickeim	143		
Vuilhelmus comes Iuliacēsis oc- ciditur	255. 285. 295. 299. 303		
Vuilhelmus Burgūdiæ princeps à suis necatur	156		
Vuilhelmus episcopus Traiectē- sis in bello cadit	263. 267		
Vuilhelmus ab Ocham multa in papam scripsit	279		
S. Vuilhelmus ex comite eremi- ta factus, claruit	183		
Vuilhelmus ex Bickelnheim ab- bas Spanheimensis	287. 293		
Vuilhelmi ducis, filij Ludouici III. imp. fors hereditatis	292		
Vuilhelmus à Genep archiepi- scopus Coloniensis	292. 300		
Vuilhelmus comes Palatinus, fu- riosus	296		
Vuilhelmi coenobium	82		
Vuiltramus abbas, scriptor	71		
Vuillegifus archiepiscopus Mo- guntinus	46. 57		
Vuilicho fit abbas Spanheimen- sis	271		
Vuiltbād	302		
Vuiltrudis comitissæ consilium & pietas	73. 85		
Vuilla uxor Berengarij fit mo- nialis	41		
Vuillichalda filia Ezelimi abba- tissa monasterij S. Mariæ	58		
Vuillichen primus abbas Span- heimensis	284		
Vuillichen secūdus Spanheimen- sis abbas	286		
Vuinckel quondam Vinicella	19		
Vuindesheim fratres regulares suscipiunt Franckental refor- mandum	163		
Vuindichimus Corbeiensis mo- nachus scriptor	39. 40		
Vuingarten monasterium	104		
Vuipertus fundauit Gēblach	32		
Vuinsberga capitur	168		
Vuirtenbergenses	272. 302		
Vuiffenauu castrum à Mogunti- nis destruitur	281		
Vuiffenburg monasterium	240		
Vuizensis ciuitas in Thuringia obsidetur	216. 221		
Vuolframus Meiser abbas	147		
Vuolframus de Vuinsberg	149		
Vuolframus de Grunbach Her- bipolensis episcopus	281. 283		
Vulfranus abbas in Monte mo- nachorum	103		
Vuolfhelmi uita	116		
Vuolfhelmus abbas Bruuileren- sis moritur	116		
Vuolmarus abbas Hirsaug.	158		
Vuolmarus archiepiscopus	43		
Vuolkenberg castrum	122		
Vuolpeto abbas Godisfaugia	103		
Vuormatia subuertitur à Nort- mannis	27		
Vuormatiæ incendia	227. 236		
	241. 248	262	
Vuormatienses	141. 212. 230		
	235. 245. 266. 282. 283. 301		
Vuormatiensium dissensio	212		
Vuurtzburg	132		
Vuulphesholtz locus prelio no- bilis	140		

Z

Zvlph castrum fortissi-  
mum à Iuliacensi co-  
mite destruitur 262

Finis Indicis in Chronicum Ioan-  
nis Tritemij.

BASILEÆ, APVD IACOBVM PARCVM  
EXPENSIS IO. OPORINI,  
ANNO M. D. LIX.  
MENSE AV-  
GVSTO.

